Smithsonian
Institution
Libraries

Gift of

an Anonymous Friend

of the Smithsonian

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XII. PARS I.

LIPSIAE MDCCLXIV.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré,
Holmiae apud L. Saluium.

QH
7
C66
V.12
SCNHRB

I.

Hiſtoire de l' Academie Royale des Sciences. Année MDCCLVII. Avec les Mémoires de Mathematique et de Phyſique pour la même année etc. à Paris, 1762. 4. Hiſt. 1. Alph. 5 pl. Comment. 3 Alph. 2 pl. 18 tab. aen.

h. e.

Hiſtoria et Commentarii Academiae regiae Scientiarum Pariſinae, ad annum MDCCLVII.

Ad *Phyſicam generalem* ſpectantes obſeruationes duae duntaxat in huius anni Hiſtoria occurrunt. Prima eſt de me- p. 25.
teoro igneo, quod figuram ſtellae caudatae habuit, et per aera ſemicirculum intra minutum primum horae percurrere viſum eſt: ac prope horizontem ingenti cum fragore diſparuit. Altera
eſt de vapore, qui ex orificio cloacae obſtructae p. 26.
retecto aſcendens a flamma candelae ignem concepit, et in forma columnae, plus quam octodecim pedes altae, totus per dimidiam horam arſit, fortem ſulphuris odorem late ſpargens.

p. 28. In *Obſeruationibus anatomicis* narratur, 1) pue-
rum octennem ab epilepſia, qua laborauerat, libera-
tum eſſe, dum fractura occipitis, quam a caſu paſ-
p. 29. ſus fuerat, ſanaretur; item iuuenem, qui ab infan-
tia ſtupidi ingenii fuerat, quum fractura, quam in
latere capitis grauis lapſus ipſi effecerat, feliciter cu-
rata eſſet, ad dextrum mentis vſum perueniſſe: 2)
p. 31. in veſica viri, qui, poſt vſum remediorum *Stepha-
niae* contra calculum, per plus quam duodecim an-
nos vix vllos in veſica dolores ſenſerat, adeo vt,
poſtquam minores aliquot calculos eiecerat, ſemet
omnino a calculis liberatum crederet, tamen poſt
mortem inuentum eſſe magnum calculum, ſed cru-
ſta mucilaginoſa obductum: 3) in infante trium anno-
rum febrem tertianam duplicatam, quae aliis medica-
mentis non ceſſerat, ſolo laudani liquidi vſu, cuius
XV guttae hora vna ante horrorem, qui paroxyſmum
ſemper antecedebat, exhibitae ſunt, prorſus victam
p. 32. eſſe; 4) iuuenem, qui ex aquis, ſub quibus per ſe-
mihoram merſus delituerat, pro mortuo extractus
erat, in vitam reuocatum eſſe, magna fumi Nico-
tianae copia in anum, nares, et os immiſſa, venis
quater ſectis, totoque corpore pellibus ouium, re-
cens mactatarum, obuoluto.

p. 40. Sequitur *obſeruatio chymica*. Cl. HELLOTUS in aqua regia ſtanni triplum fere pondus ſoluerat. Quae ſolutio dum ſiceeſcebat, aeris in fundo lagenae reſidui particulae perrumpebant maſſam, pellucidam factam, et in ea formabant meatus vacuos, ita diſpoſitos, vt vegetationis genus referrent.

Inter *commentarios* leguntur

1) BOUGUERI *meditationes de modis lumen metiendi, eorumque ad praxin accommodatione.*

2) Cl.

2) Cl. LASSONII *Commentatio de combinatione acidi ſalis marini cum antimonio, et hinc oriundo ſale, qui ſali ſedatiuo ſimilis eſt, nec non de alia ſubſtantia ſalina, quae boraci ſimilis eſt, et ope antimonii paratur* *). Haec commentatio in tres partes diuiſa eſt. In prima parte Cl. Auctor enarrat ea, quae obſeruauit, butyrum antimonii per ſaepe repetita deliquia et deſtillationes tractans. Vidit illud poſſe ſublimari in p. 26.
cryſtallos leni igne, quae non ſolum fortiori igni fundantur, ſed etiam a contactu aeris conſumantur et auolent, adeo vt non niſi certa aquae copia ſuperfuſa totalis earum euaporatio impediri queat. Exiſtimat, ſpiritum ſalis, dum phlogiſton ex parti- p. 30.
bus regulinis extricet, cum eo ſe combinare, et repudiata primae ſuae miſtionis aqua concentrari, et ſic ipſum, volatiliorem redditum, partes regulinas, quibus iunctus ſit, etiam volatiles reddere. In ſecunda parte agit de ſale, quem ſpiritus vitrioli phi- p. 33.
loſophici deſtillatione nactus eſt ea ratione, vt, quum poſt phlegma et ſpiritum ſulphureum deſtillare acidum coepit, ſtatim ignis minueretur. Sublimatus tunc in ſuperiori parte retortae haeſit ſal, in forma ſubtiliſſimarum acuum et lamellarum, argenti et talci ſplendore conſpicuarum. Hic ſal, quem *ſalem antimonii* appellat, linguae impoſitus ſaporem praebet primum acerbum, qui deinde in ſubdulcem, ſapori ſachari Saturni ſimilem, mutatur; non liqueſcit in aere, et ne quidem in aqua ſoluitur frigida, ſed in ſpiritu vini, cui viridem flammam conciliat; ferro candenti impoſitus vitrificatur; et haec vitrificata maſſa, in aqua ebulliente ſoluta, iterum cryſtallos praebet, quarum tamen ſapor non tam fortis eſt, quam antea. Sali ſedatiuo admodum ſimilem hunc ſalem Auctor deprehendit, eo quod vterque e baſi vitreſcibili et phlo-

*) Lecta d. 13 Iun. 1757.

phlogiſto valde concentrato, et per acidi actionem extricato conſtare videtur: in hoc tamen alter horum ſalium ab altero differt, quod ſal ſedatiuus in aere non mutatur, ſal autem antimonii, aeri expoſitus poſt ſeptem vel octo menſes in farinam inſipidam et terream abit. In tertia huius commentationis parte V. Cl. propria experientia illuſtrat et confirmat, quod alicubi STAHLIUS (in *Specim. Beche-*
p. 36. *riano*) dixerat, ex croco antimonii per alcalia parato veram boracem ſibi obtigiſſe.

p. 41. 3) Cl. LEGENTIL *obſeruatio duarum iridum ſingularium.* In prima, Pariſiis d. 27 Iunii 1756 viſa, hoc erat ſingulare, quod in extremitate arcus, ad orientem aeſtiuum poſita, ſub colore violaceo apparebat color viridis, interiecto inter hunc et violaceum ſpatio tantae latitudinis, quantam colores viridis et coeruleus in ipſo arcu ſimul occupabant. Al-
p. 40. tera iris, quae d. 18 Nouembris hora decima antemeridiana ibidem conſpiciebatur, ex arcubus quatuor conſtabat. Nempe ſub arcu, qui in iride duplici interior eſſe ſolet, poſiti erant duo alii arcus, quorum ſuperior tangebat cauitatem arcus primarii, alter autem ab illo disiunctus erat ſpatio, tertiae circiter parti latitudinis arcus primarii aequali. Color vtrique horum intimorum arcuum coeruleus erat.

4) Cl. DE CHABERT *commentatio, in qua oſtenditur, quam neceſſarium et vtile futurum ſit iter, a Cl.* PINGREO *in partem occidentalem et meridionalem Africae, tranſitus Veneris per ſolem d. 6 Iunii* 1761 *obſeruandi gratia auctoritate Academiae ſuſcipiendum, et quaenam res quibusque mediis in hoc itinere gerendae ſint.*

5) *Eius-*

5) *Eiusdem commentatio de quarundam inſularum maris auſtralis valde commoda poſitione ad introitum Veneris in diſcum Solis d. 6 Iunii* 1761 *obſeruandum.*

6) Cl. GUETTARDI *de fodinis ardeſiae tegularis circa Andegauum* *). In hoc commentario V. Cl. primum deſcribit ipſas has fodinas, modumque, quo lapidem in illis excidunt foſſores. Deinde commemorat quaedam diſcrimina, quibus varia ardeſiae genera differunt; nam color non idem prorſus eſt omnibus; et quarundam ardeſiarum ſuperficies magis continua et polita apparet, aliarum minus; quaedam curuae ſunt, quanquam pleraeque planae inueniuntur; nonnullae acidis mineralibus, ex parte ſaltim, ſoluuntur, ceteris ab acido non laeſis. Quod autem nonnullae ſpecies ardeſiae acidi actione mutentur, eius rei rationem hanc eſſe coniicit, quod illae particulas ſpataceas ſibi innatas habere videntur, quum in nonnullis fodinis adeo reperiatur ardeſia, in aliquot ſtrata diuiſa per interiecta ſtrata, quae ex ſpato albo conſtant. Pergit deinde Auctor ad quaeſtionem, vtrum ardeſia lapis ſit calcarius, an vitreſcibilis; et examinatis CRAMERI, WALLERII, LINNAEI, POTTII de hac quaeſtione ſententiis, prioribus accedit, qui ardeſiam inter lapides vitreſcibiles retulerunt. Addit autem hunc characterem, quod ardeſiae partes figuram quandam determinatam, et quidem plerumque parallelogrammi affectent. Hunc characterem praecipue in ſummis ſtratis obſeruabilem eſſe ait. Tandem de figuris exponit, quae ardeſiis circa Andegauum impreſſae cernuntur. Referunt illae partim fucos marinos, partim animalia cruſtacea ex claſſe cancrorum. Quanquam color ferrugineus, quem fucorum figurae oſten-

p. 52. p. 58. p. 61. p. 66. p. 68.

*) Lecta d. 8 Iun. 1757.

oſtendunt, perſuadere alicui poſſet, has figuras caſu
ortas eſſe ex liquore aliquo ferrugineo, inter lami-
p. 70. nas ardeſiae forte diffuſo: tamen ex maculis rotun-
dis et ſulcis leuiter impreſſis lapidi iudicat Auctor,
eas veras eſſe plantarum impreſſiones, ſiue hae plan-
tae primitus ferruginea quadam aqua fuerint imbu-
tae, ſiue poſt factam iamiam impreſſionem liquor
eiusmodi ſeſe inter laminas lapidis inſinuauerit.
Quod ad animalium cruſtaceorum impreſſiones atti-
net, ſpecies adhuc incognitas eae oſtendunt; non-
p. 81. nullae ad pulicis marini ſimilitudinem proxime acce-
dere videntur.

7) De *variationibus apparentibus in obſeruata inclinatione orbitae quinti ſatellitis Saturni*, *de limitibus atmoſphaerarum ſolis ac planetarum*, *et de peculiaribus vſibus teleſcopiorum et catalogi generalis fixarum in Zodiaco.* Auctore Cl. LEMONNIER.

8) Cl. PINGREI *commentarius de cometa, qui anno* 1757 *apparuit.*

9) LACALLII *Commentatio de theoria ſolis.*

10) Cl. D'ALEMBERT *Reſponſio ad articulum quendam commentationis* LACALLII *de theoria ſolis.*

11) *Exempla, quae oſtendunt, poſſe incendia ſponte oriri, enarrata a* Cl. DU HAMEL. Duobus po-
p. 150. tiſſimum exemplis rem declarat Auctor. Videlicet
anno 1741 Breſtiae ingens cumulus carbonum foſſi-
lium, quo repletus erat locus, aſſibus clauſus et tectus,
ignem occultum concepit, qui omne inflammabile in
carbonibus, medio in cumulo poſitis, conſumſit, et fu-
mo multo ſeſe prodidit. Et Rupeforti aeſtate anni
1757, quum magna copia telarum, bolo rubra
cum

enm oleo trita coloratarum, ex ſole, in quo ſiccabantur, ſubito conuolutae in locum clauſum, velis aſſeruandis deſtinatum, delatae eſſent, calor ſponte in mediis telis natus eſt, qui fila in carbones redegit.

12) Cl. VAUCANSONI *Deſcriptio nouae machinae, cuius ope lamellae argenti aurati, quibus fila ſerica in quibusdam textilibus obducta ſunt, attenuantur et explanantur.*

13. 14) *Eclipſis lunae d. 30 Iul. 1757 obſeruationes a V. Cll.* THURIO, MARALDO, et PINGREO *habitae.*

15) Cl. LALANDII *Obſeruationes aſtronomicae menſibus Octobri, Nouembri, et Decembri anni 1757 habitae Lutetiae Pariſiorum.*

16) *Cl.* LEGENTIL *Inueſtigatio obliquitatis eclipticae, et annotationes in ſyſtema* Cl. LOUVELLE.

17) *Obſeruationes geographicae et phyſicae, quibus nituntur coniecturae de poſitione terrarum circa polum antarcticum, et maris glacialis, inter illas comprehenſi: nec non monita de globo quodam artificiali terreſtri, qui montes et phyſice conſideratam ſuperficiem terrae exhibet.* Auctore Cl. BUACHE.

18) Cl. DU HAMEL *Obſeruationes botanico-meteorologicae ad annum 1756.*

19) Cl. LALANDII *commentarius de tranſitu Veneris per diſcum ſolis annis 1761, et 1769 obſeruando.*

20) Cl. LEGENTIL *Inueſtigatio poſitionis punctorum principalium in theoria planetarum ſuperiorum. Commentarius primus: de inclinatione vera orbitae Martis ad planum eclipticae.*

21) Cl. TILLET *Obſeruationes ad agriculturam ſpectantes* *). Harum obſeruationum pleraeque mere oeconomicae ſunt, quarum ergo enarrationem a nobis non exſpectabunt lectores. Eſt tamen
p.304. ſub finem commentarii propoſita haec obſeruatio, in plantis eiusdem ſpeciei, quamuis inaequaliter magnis, ſemina tamen ſemper paris eſſe magnitudinis, in cuius rei rationem phyſice inquirere promittit Cl. Auctor. Verum enim vero, quemadmodum vehementer dubitamus, hanc obſeruationem eſſe generalem, ita nec videtur nobis Auctor eam explicaſſe, ſed potius, mutata quaeſtione, rationem reddere conatus eſſe, cur in plantis cerealibus eiusdem ſpeciei, quae ex ſeminibus aeque bonis et magnis prouenerunt, ſaepe aliae aliis et qua culmos, et qua ſpicas, ſint minores et debiliores.

22) Cl. DE THURY *Monita de coniunctione Veneris cum ſole d. 6 Iunii anni* 1761 *obſeruanda.*

23) Cl. DE LA CONDAMINE *Excerpta e Diario itineris ſui per Italiam* **). Ex his nonnulla nobis enotanda ſunt, quae ab inſtituto noſtro haud
p.341. ſunt aliena. Vas illud, quod Genuenſes pro miraculo magna cum veneratione oſtendunt, et ex ſmaragdo elaboratum praedicant, Cl. Auctori vitreum
p.375. eſſe videtur. Romae plateas obſeruauit materia ſtratas eſſe prorſus ſimili illi, quam Veſuuius mons

*) L. d. 25 Apr. 1759.
**) L. d. 20 Apr. 1757.

mons candentem euomit, et quae frigefacta ad inſtar lapidis indureſcit: qua etiam vrbis Neapolis plateae ſtratae ſunt. Eodem lapidis genere, Italis *Laua* dicto, totam viam Appiam ſtratam eſſe animaduertit, idemque in viis, quae Roma Neapolin, Viterbum, et Lauretum ducunt, vbique deprehendit. Coniicit inde, per magnam Italiae partem antiquiſſimis temporibus fuiſſe montes ardentes; et huic coniecturae, ait, non ſolum montium Apen- p.377. ninorum faciem fauere, ſed etiam hoc, quod in monte eo, in quo Tuſculum fuit, in collibus, qui inde ad lacum vsque Albanum pertingunt, in magna parte montis, cui Tibur impoſitum fuit, nec non in iis, qui Viterbo et Caprarolae adiacent, diuerſa ſtrata lapidum calcinatorum, cinerum, ſcoriarum, et lapidis *laua* dicti deprehenſa ſunt. Neapoli p.382. vidit Cl. Auctor fila ex Apocyno parata, et ex iis textas telas, quae holoſericis admodum ſimiles erant. Methodum variolas inſerendi et Romae, p.385. et in multis aliis Italiae vrbibus introductam, et ab ipſis Theologis probatam eſſe memorat.

24) Cl. DE LALANDE *Commentarius de aequationibus ſecularibus, et motibus mediis ſolis, Lunae, Saturni, Iouis, ac Martis; cum obſeruationibus Martis, a* TYCHONE *anno* 1593 *habitis, et ex MSto eiusdem erutis.*

25) Cl. PINGREI *obſeruationes aſtronomicae habitae anno* 1757.

26) Cl. DE LALANDE *Problema gnomonicum.*

27) *Noua theoria eclipſium, in quibus parallaxis ratio habenda eſt, ad eclipſin Solis d.* 25 *Iul. an.* 1748 *applicata*, Auctore Cl. DE L'ISLE.

28) *Exa-*

28) *Examinatio errorum, qui in metiendo altitudines meridianas, vel reſpondentes, ſtellarum committi poſſunt; cum tabulis eorum correctioni inſeruientibus.* Auctore Cl. DE LALANDE.

29) Cl. CLAIRALTI *commentatio altera de modis perficiendi tubos opticos ope lentium obiectiuarum, e vitris lucem diuerſimode refringentibus compoſitarum.*

30) Cl. NOLLETI *noua experimenta circa radios ſolis, et per reflexionem, et per refractionem*
p.551. *collectos.* Haec experimenta docent, ſpiritum vini, et liquorem illum, qui *aetheris* nomine venit, a radiis ſolaribus in foco lentis vel ſpeculi vſtorii collectis incendi non poſſe, etiamſi illi liquores antea fuerint calefacti. Quod iam ab Academicis *del Cimento* obſeruatum fuiſſe, Cl. Auctor, quum haec experimenta caperet, ignorabat. Etiam olea et reſinae in hoc foco nullum conceperunt ignem, ſed poſt fuſionem in fumum diſſipata ſunt. Omnes autem hae materiae inflammatae ſunt, quum prope eas in foco lentis vel ſpeculi corpus quoddam ſolidum inflammabile, veluti lignum, poſitum et accenſum fuit. Colligit hinc V. Cl. ignem electricum non eſſe purum ignem, qualis eſt ſolaris, ſed cum materia quadam alia coniunctum.

31) *Commentatio de ſale lixiuioſo tamariſci, in qua demonſtratur, illud eſſe ſal mirabile Glauberi, ac cineris tamariſci vſus ad nitrum conficiendum exponitur; nec non de ſale thymelaeae.* Auctore Cl. MONTET,
p.555. *Acad. Sc. in Monte Peſſulano Sodali.* Hoc ſal, e lixiuio cineris tamaraſci, vel tamaricis, natum easdem habet notas externas, quas ſal GLAUBERI. Aeri enim expoſitum non liqueſcit, ſed in puluerem redigitur, et eodem ſapore grato, ac ſal GLAU-

BERI,

BERI, ſe commendat, et in aqua facillime ſoluitur. Sed inſuper plura experimenta, a Cl. Auctore cum eo capta, oſtenderunt etiam, illud cum nullo acido efferueſcere. Acidi potius vitriolici praeſentia in hoc ſale intelligitur ex eo, quod mercurii per acidum nitroſum ſolutio, mixta cum ſolutione ſalis huius in aqua deſtillata, praecipitatum exhibet, quod verum turbith minerale ex colore agnoſcitur. Magnam autem vtilitatem hoc ſuum inuentum in Medicina habere monet Auctor, propterea quod ſal hoc tamariſci, cuius plantae largus eſt in Gallia Narbonenſi prouentus, longe viliori pretio parari poſſit, quam ſal mirabile GLAUBERI, cui tamen omni ex parte aequipolleat. Quod attinet ad vſum cineris tamariſci, in Occitania inferiore ad purificandum lixiuium nitri adhiberi ſoliti: Auctor hic refellit eorum ſententiam, qui lixiuium nitri, cineri ſuperfuſum, baſin ſuam alcalinam a cinere accipere arbitrantur, eosque monet, quum nullum alcali fixum in tamariſci cinere inſit, vſum eius, ad hoc negotium, in eo tantum conſiſtere, vt particulas pingues, quibus iſta lixiuia abundant, ab ipſis auferat, et in ſe retineat; cui rei hunc cinerem aptiorem eſſe, aliarum arborum vel fruticum cineribus, operariis perſuaſum eſt. Tandem de thymelaea refert, ex eius cinere bonum tartarum vitriolatum ſibi natum eſſe; itemque faecem oliuarum, ex quibus oleum eſt expreſſum, combuſtam multum tartari vitriolati, et parum alcali fixi, praebere confirmat.

p. 562.

p. 566.

32) Cl. ALEMBERTI *monitum, commentario ſuo, in hoc volumine pag.* 145 *edito, adiiciendum.*

II.

Hiſtoire d'un inſecte, qui devore les grains de l'Angoumois, avec les moyens, que l'on peut employer pour le detruire. Par M. M. DU HAMEL DU MONCEAU et TILLET, de l'Academie Royale des Sciences. A Paris chez H. L. Guerin et L. F. Delatour, rue S. Iacques, a S. Thomas d'Aquin. 1762. 8uo. avec priuilege du Roi. oct. p. 314. tab. aen. 3.

i. e.

Deſcriptio inſecti cuiusdam, quod frumenti grana in agris Inculimenſibus corrumpit, vna cum remediis de frumento ſeruando.

Eſt genus quoddam inſectorum in agris Inculimenſibus (*Angoumois*) copioſe ſe propagantium, quod maximo incolarum damno frumenta corrumpit, et, quod ſaepe factum eſt, grauem annonam efficit. Hac pernicioſa re agrorum poſſeſſores afflicti, academiae regiae, quae Lutetiae Pariſiorum floret, huius mali mentionem fecerunt, vt, ſi fieri poſſet, quosdam eiusmodi rerum peritos delegarent, qui, re diſquiſita, conſilia contra ingens hoc malum do-
p. 8. cerent. Annuit laudata academia, miſitque celeberrimos viros, nominatim DU HAMEL DU MONCEAU, cuius exquiſitam rerum ruſticarum cognitionem optimus quisque valde admiratur, atque alterum Cl. TILLET. Hi neceſſariis adminiculis inſtructi iter inſtituunt, in vniuerſum omnia, quae experientia incolas docuerat, mira ſedulitate colli-
p. 15. gunt, atque ex aliis audiunt, hoc malum tam late
p. 17. eſſe extenſum, vt iam 200 parochiae fuerint infectae. Quae cum ita eſſent, in animum induxerunt,

runt, de ipſo inſecto accuratam tradere deſcriptionem delineationemque, ſecundo in cauſam propagationis inquirere, denique remedia, quibus poſſit frumentum contra inſecta defendi, detegere.

Eſt autem inſectum, niſi fallimur, phalaena tinea granella LINNAEI, oblonga, anguſta, alis cinereis ſubfuſcis, ad ſolem micantibus, margine tenuiore ciliatis, antennis articulatis, duabus inter antennas prominentiis barbae aſſimulantibus. Cauendum tamen eſt, ne hanc tineam, cum alia, quae veſtimenta corrodit et conſumit, vt optime iam celeb. REAUMUR obſeruauit, confundamus. p. 20.
Sola cura animalculorum, dum phalaenarum ſpeciem induunt, ea eſt, vt ſuum genus omni niſu propagent. Nocte fit coitus, ſimili modo, quem in bombycibus mori conſpicimus; adhaerente vna ad alteram per aliquot horas. Feminae 60, 80, ad 90 vsque pariunt oua; 3, 4, 6 vno iactu. Ouula p. 29.
haec intermixta ſunt materie aliqua viſcoſa, vt commode aliis rebus affigi poſſint. Eſt ouorum affinitas cum iis, quae a formicis ponuntur, longe tamen minora ſunt, ſuperficie ſtriata, colore ferme roſeo; oculis armatis puſilla larua in quibusdam ouulis conſpici poteſt, altera extremitate apertum eſt ouum, ibi egreditur larua tunc quartam vel quintam lineae partem longa. A phalaena affiguntur ouula ſpicis inter glumas plerumque, vbi granum baſi adhaeret. Excluſa larua conatur in granum in- p. 34.
gredi ibique farina veſci. Saepe ouula in ipſa grani rima deprehenduntur affixa, folliculo filis tenuiſſimis conſtante incluſa. Femella plura ouula ad glumas granorum ponit, mirandum itaque eſt, cur vna potius larua, et non plures in grano reperiantur. An forſan vna alteram ita perſequitur, vt vna demum modo ſuperſit, quae eſt Celeb. REAUMUR opinio. Tamdiu larua in grano perſiſtit, quamdiu farina ad-

eſt.

eſt. Praeter farinam ſua excrementa ſaepe come-
p. 50. dit. Eiusmodi larua conſuetam magnitudinem ad-
epta prope duas lineas longa eſt. Corpus aequale;
caput ore, duobus oculis, et genere quodam cor-
nuum ornatum; colore magis fuſco, quam reliquum
corpus, pedes 16, quorum 8 intermedii tam parui,
vt non niſi microſcopii ope conſpiciantur. Con-
p. 57. ſumpta farina larua ſe filis implicat, poſt dies ali-
quot Chryſalis apparet diuerſae magnitudinis, ſem-
per tamen larua minor. Tandem in conſpectum
prodit phalaena, ſaepe iucundo ſpectaculo, palea ex
p. 64. parte obtecta. Non eadem eſt phalaenarum vitae
duratio, plerumque vitam 15 dierum, aut 3 hebdo-
madum attingunt. Calor promouet chryſalidum
explicationes, frigor autumnalis impedit, quo mi-
nus ſe propagent. Explicatio phalaenaram duplex
eſt, altera, quae ſtatim poſt meſſem contingit, du-
ratque ad menſem Septembrem vsque, altera fit menſe
Iunio, vbi egrediuntur ea, quae per hiemem vt larua
in granis latuerant. Experientia docuit, phalaenas
nocte, nulla alia ratione tanta copia granaria petere,
quam vt ibi oua magno numero pariant; porro, lar-
uas, granis incluſas, per hiemem ſine vllo pericu-
lo in terra, cui grana commiſſa ſunt, perdurare
valent.

p. 140. Quanta ſit horum inſectorum progenies, ex eo,
quod Clar. de TAPONNAT expertus eſt, optime in-
telligitur. In lagenam menſe Iulio d. 21 an. 1761
immiſit 7 grana laruis his viuis infecta. Die 17 Aug.
egrediebantur phalaenae, ſtatimque moriebantur;
ſupra vnum granum reperiebantur 15 oūa. Fin-
gamus iam in eorum numero fuiſſe 3 femellas,
quarum quaelibet 60 oua poſuiſſet, ſumma erit 180
laruae, quae prorepere potuiſſent; his mutatis ante
menſem Septembrem in phalaenas, earum 90 ſuman-
tur femellae. Quodſi quaelibet 60 oua poſuiſſet,
ſtatua-

ſtatuamus, ſumma granorum ab inſectis deſtructorum erit 5400. Modius, genus quoddam frumenti menſurae in Gallia, diſtribuitur in 16 partes, quarum quaeque 33600 grana continet. Ergo granorum numerus pro modio erit 537600. Ponamus, inde 33600 phalaenas oriri, ſupererunt 504000 grana ab inſectis non tacta. Iam largiendum quidem eſt, multas perire phalaenas, verum hoc non obſtante commode 126000 inſectorum paria poſſunt aſſumi. Quibus poſitis et vna ſimul cuilibet pari 60 ouis attributis, ſumma granorum ex altera generatione inſectorum erit 7560000. Haec de prima parte ſufficiant, ſequitur altera de ortu et progreſſu horum inſectorum.

Non eadem omnium incolarum opinio. Sunt, qui exiſtiment, e putredine materiei granorum farinoſae, a certa quadam aeris temperie pendente, haec inſecta capere originem. Verum nullo modo haec opinio poteſt admitti. Calorem ouorum excluſionem promouere, humoremque laruarum ingreſſum, facile intelligitur. Sunt alii, qui ſibi perſuadeant, haec inſecta eo tempore, quo incolae Inculimenſes, illud frumenti genus, quod mais dicitur, coeperunt colere, eſſe introducta. Neque haec opinio vlla eſt digna fide, quoniam in iis etiam terris, vbi nulla colitur mais, inſecta haec ſaepe inveniuntur v. c. in Germania, Suecia etc. Ad hoc accedit, qvod femellae ſua ouula ſolummodo ad tritici, hordei, ſecalis, nunquam in mais, auenae, piſorum, fabarum etc. grana ponere ſoleant. Atque, permultis inſtitutis experimentis, nunquam larua tineae granellae in mais grano eſt reperta. Longe veriſimilior eſt eorum opinio, qui perhibent, eo tempore, quo acri annona incolae laborarent, atque aliunde frumenta adduci curarent, corrupta grana eſſe introducta. Frumentorum genera, quibus damnum inſectum infert, inprimis haec ſunt:

p. 147.
p. 168.
p. 175.

hordeum, triticum, ſecale; horum priora magis, tertium parcius corrumpuntur. Auenam inſectum raro
p.184. vel nunquam laedit. Denique inſectorum minuendorum remedia atque alia, quibus contra ea frumentum poſſit defendi, traduntur. Solent incolae quidem variis vti adminiculis, ſed infelici ſaepe ſucceſſu. Sunt enim ea aut inutilia, aut inſufficientia, aut periculoſa, aut permagni pretii. Quidam frumentum ventilant; alii frumenta tantis aceruis, quantum fieri poteſt, congerunt. Sunt, qui grana in locis temperatis et ſubfrigeratis collocant. Alii aceruum cum ſale communi commiſcent eumque cum vini aceto adſpergunt. Palam alii, qua grana ventilantur, oleo aſpidis aut eſſentia terebinthini ſuperliniunt. Solent quidam frumentum in inſtanti in aquam bullientem infundere. Alii fumum ſulphuris commendant; alii parietes granarii atque ſolum calce viua, aut allio, aut oleo iuglandis, aut vrina vaccarum foetida inducunt. Sunt denique, qui grana in furnum, pane cocto et extracto immittunt.
p.211. Nullum tamen, opinamur, remedium magis commendandum, quam id, quod illi ſupra laudati cum aliis communicant. Mergites ſtatim poſt meſſem triturentur, frumentaque ſementitia aſſeruentur. Trita grana in furnum calefactum poſſunt quidem immitti, ſed, propter definiendi caloris gradum, admodum
p.215. periculoſum adminiculum. Cl. DE TAPONNAT permultis inſtitutis experimentis tandem inuenit, frumentum 150 librarum in furnum immiſſum requirere 50° thermometri Reaumuriani, grana 600 librarum 60° caloris, 900 librarum 70°. Sed miſſis his videamus nunc aptius remedium, quod DU HAMEL experientia doctus tradidit. Eadem die, quo frumentum metitur, tantum terendum et purgandum, quantum ad frumentum ſementitium neceſſarium eſſe putatur. Tum lixiuium quoddam ex cinere tali

modo, quali ad purganda lintea requiritur, praeparandum eſt. Quo effecto, calx viua apta ratione in id iniiciatur. Finita praecipitatione, ſeparetur lixiuium cum calce ſaturatum infundaturque frumentum in labrum; ſpatula continuo miſceatur granaque ſupra natantia tanquam caſſa ſedato hauriantur. Quibus rite factis ſiccentur grana, quae ſiccata in granario congerantur, atque ſtrato cineris et alio ex calce obtegantur. Experientia docuit, quod 20 granorum ab inſectis laeſorum 18 inſtaurata ſint. Conſeruando frumento, quod venale futurum eſt, vel ex quo panis coquendus, haec conſeruandi ratio conuenit: Fiat, vt ſupra commemorauimus, ſtatim poſt meſſem vel ipſo meſſis die, quod longe melius, frumenti tritura; ſic multa a phalaenis ad glumas poſita oua deſtruuntur. Cribrentur grana, ſeparentur ſolida a fatuis; iniiciantur in furnum, vt areſcant; quo facto adſeruentur in ſaccis frumentariis ſupra fulcrum, cuius pedes ex ferro polito parati ſunt, poſitis: ſic impeditur, quo minus a gliribus et muribus corrodantur. Praetermittamus experimenta eo conſilio excogitata, vt debitus in areſcendis granis caloris gradus obtineatur; porro furni cuiusdam, quem DU HAMEL inuenit, deſcriptionem. Vltimo loco de diminuendis, penitusque deſtruendis inſectis exponitur. Quae praeſcribuntur adminicula, his regulis continentur: vna eademque omnium incolarum coniuncta ſedulitate in exſtirpandis inſectis opus eſt; ſecundo, prima lex eſto, vt, qui rerum ſummam gerant, rigore quodam imperent, vt omni ſtudio praecepta minuendorum inſectorum remedia applicentur; tertio grana fatua a ſolidis et incorruptis ſeparentur; denique lex ſancienda, ne ex alienis regionibus infecta grana introducantur.

p. 222. p. 294.

III.

Hiſtoria medica biennalis morborum ruralium, qui a verno tempore anni 1759 vsque ad finem hyemis anni 1761 Laxenburgi et in vicinis vndique oppidis pagisque dominati ſunt; complectens memorabilem rarioremque febrium intermittentium et de earum genere remittentium epidemiam, authore FRANC. IOSEPHO LAUTTER, Med. Doctore et Caeſ. Reg. Laxenburgenſi Phyſico. Vindobonae typis I. Th. Trattner. 1761. 8 mai. pl. 14.

Febrium acutarum miliarium petechialiumque vim, vt late anno 1757 et 1758 in quam plurimis Europae prouinciis vagatam fuiſſe conſtat, ſic quoque eadem Laxenburgum eiusque viciniam eſt depopulata. Pernicioſis his febribus poſtea ibidem ſuccedebant vere 1759 aliae, intermittentes, varii generis ab initio facilis, accedente vero aeſtate paullo difficilioris, curationis, quibus ſe adiungebant diarrhoeae atque dyſenteriae frequentes, ortae ob torrentis ſolis aeſtum, cui meſſores, in propinquis impuris aquis refrigerationem refectionemque potu quaerentes, expoſiti erant. Hos morbos demum excipiebant febres deterioris imo peſſimae indolis, remittentes potius quam intermittentes appellandae, quae tamen ob typum, qui obſeruari in iis ſolebat, ab illarum tribu non poterant ſeparari, ſed ad genus tertianarum vel ſimplicium vel duplicatarum eas pertinere, multa ſatis luculenter docebant phaenomena; atque cum hae febres in vicinis locis inſignem adorirentur hominum copiam, epidemicam ſuam et periculoſam indolem oſtendebant exploratam. Non eadem ſae-

uitie

initie hi morbi continuo procedebant, ſed pro anni tempeſtate indolem ſuam ſaepius mutare, imo per maximam hiemalis temporis partem, ea plane exuta et aliis morbis locum occupantibus, quieſcere videbantur. Nulla aetas, nullus ſexus, nullum hominum genus ab iis immune erat, omnes inuadebant cum pandiculatione, horripilatione exigua breui, rariſſime verum accedebat frigus, ſequebatur mox ingens calor et aeſtus vrens mordaxque, dolor, capitis ingens, artuum lancinans oſteocopus, ſitis inſatiabilis, anxietas et inquietudo corporis ſumma, lingua ſicca ſqualida, nauſea et vomitus difficilis, torminoſae et crebrae ventris deiectiones; diu paroxysmus durabat et per maximam nychthemeri partem protrahebatur et, licet poſtea febris imminueretur, non tamen plenaria oriebatur apyrexia, ſed tantummodo remittebat terminoque ſolito citius reuertebatur: inde aegri poſt paucos paroxyſmos viribus quaſi exhauſti videbantur. Haec erat facies priorum febris huius inſultuum, quae longe periculoſior truculentiorque in tertio ſequentibusque apparebat paroxyſmis, cui quippe longe grauiora ſe adiungebant ſymptomata atque in variis varia. Accedebant enim ſenſuum ſtupor, affectus comatoſus, fere apoplecticus, deliria phrenitica, tremores artuum vehementes, vomitus frequens inanis, alui profluuium ingens dyſentericum, artuum rheumata ingenti cum dolore, acutus dolor lateris, mox cum, mox ſine tuſſi, inani, in vtroque vero caſu cum pulſu duro, ſanguine inflammatorio, vt itaque haec febris modo veram pleuritidem, modo apoplexiam plenariam, lethalem, modo epilepſiam, modo choleram, dyſenteriam, tum febrim continuam acutam referret. Vtut grauiſſimus morbus, facillimae tamen erat curationis, modo ei ob paroxyſmos longius protractos commodus inueniri poterat locus. Omnem

 etenim

etenim curationem, qualemcunque hic morbus indueret formam, abſoluebat cortex peruuianus, larga manu et illico praebendus, ac aegrotus epidemico hoc morbo laborare intelligeretur, nec vllus fuit eorum, qui cum hoc morbo conflictati fuerunt, quin hoc remedio fuerit ſeruatus, praeter vnicum, qui, quod corticem reſpueret, altero iam paroxyſmo apoplecticus obibat. Bina hinc momenta in hoc morbo maxima cum difficultate erant coniuncta: alterum, hunc morbum cognoſcere et ab aliis, quorum indolem ſimulabat, diſcernere; alterum, efficere, vt aegrotus, nunc in periculoſiſſimo hoc morbi paroxyſmo conſtitutus, tanto ex vitae periculo, ſalua vita, tutus poſſit euadere. Vtrumque vero erudite et ſatis luculenter docet Auctor in primo atque quarto capite huius libelli, quem in genere in quinque diſpeſcuit capita, in quorum *primo* hiſtoriam generalem omnium morborum, qui ſucceſſiue in binis his annis dominati ſunt in ea regionis parte, cuius ſalubritatis inuigilandae ab Imperatrice ipſi erat demandata prouincia; in *ſecundo*, quod noſtro iudicio, praecipua et maxime aeſtimanda libelli pars, 24 caſubus morbi huius epidemici, eiusque variae atque diuerſae faciei generatim in priori deſcriptam hiſtoriam ſpecialius recenſet; quo inde in *tertio* corollaria quaedam coniicit, quae ad clariorem huius morbi cognitionem, comparationemque cum ſimilibus morbis, ab aliis auctoribus annotatis, quamplurimum conferunt.; in *quarto* poſtea, vt iam monuimus, ſigna diagnoſtica colligere atque diſcernere docet, ex quibus truculenti huius morbi cognoſci poterit praeſentia; et in *quinto* tandem cauſarum huius epidemicae conſtitutionis ſuſcipit ſcrutinium, cui denique nonnulla in laudem corticis peruuiani contra eius detrectatores addit. Nulli dubitamus, fore, vt non ſolum rara et curatu difficilis morbi huius indo-

indoles plures ad libellum hunc peruoluendum alliciat, ſed etiam vt lectorum neminem peruoluiſſe illum poeniteat; merito igitur luget praematurum Auctoris obitum *) optimus quisque medicorum.

IV.

Nobiliſſimo Illuſtriſſimo ALB. V. HALLERO, Societ. Regiae Sc. Gotting. Praeſidi etc. de variolis, apoplexia et hydrope S. A. D. TISSOT. M. D. Soc. Regiae ſcient. Londin et Acad. Phyſic. Medic. Baſilienſis Socius. Lauſannae, ex typographia Ant. Chapuis, 1761. 12 mai. plag. 10½.

Adeo inter eruditos TISSOTI inclaruit nomen, vt quicquid, eo inſignitum, prodire in publicum ſolet, nulla egere videatur commendatione ſummoque applauſu ab erudito orbe accipiatur. Nec ipſum eo indignum eſſe, praeter alia ſcripta, haec quoque, quam non ſine animi voluptate peruoluimus, epiſtola docet, in qua ea argumenta, quae hypotheſi ſuae robur addant, et ſolide et erudite proponit; licet non negemus, nos, quoad rerum capita cum ipſo conſentientes, in quibusdam et in primis in eo, quod de ſomno ſpontaneo et naturali, quem in omnibus febribus inflammatoriis et acutis damnat, repetit argumentis, ab eo diſſentire. p. 20. Candide interim primaria afferamus. Iam inſcriptio epiſtolae momenta exhibet, de quibus in ea agitur.

Sine dubio in Heluetia propinquisque prouinciis ille mos, qui noſtris in terris maxima ex parte

*) Comment. hor. Vol. XI. P. I. p. 171.

iam dudum obſoleuit, huc vsque valet, vt opium,
eique ſimilia medicamenta in febribus acutis, et vel
maxime in variolis, copioſe et frequenter medici ex-
hibeant. Hanc conſuetudinem, ab aliis iam refu-
tatam, nouis Cl. Auctor debellare ſuſcipit argumen-
tis, nec paucos fore lectores credimus, quin iis per-
ſuadeantur.

Affirmat itaque, opium nulli variolarum et ma-
lignarum et benignarum generi conuenire. Id com-
probat ſequentibus rationibus: quod opium ſit cali-
p. 13. diſſimum, acerrimum et corroſiuum medicamentum:
quod ad alcalinam vergat indolem, hinc putredi-
nem augeat gangraenamque adferat; quod cohibeat
ſaliuae profluuium ſanguinemque expandat; quod
p. 16. ſomnum inferat artificialem, eo peiorem, cum na-
turalis ſaepe minus prodeſſe ſoleat, qui ſemper no-
p. 26. cere dicitur, vbi febris viget; quod opium refraga-
tur criſibus afferatque ſymptomata grauia, lethifera,
anxietatem, delirium, phrenitidem, orthopnoeam;
quod agat vt vinum; quod opium humores, ſudore
diſſipandos, ad cutim quidem rapiat: in inflammato-
rio autem variolarum ſtadio ea ſit cutis diſpoſitio, vt ſu-
dor ſuccedere nequeat; quod hinc pruritum augeat;
quod optimus quisque medicorum non ſine ratione
illud diſſuadeat in omnibus acutis febribus: ſecun-
daria vero variolarum febris omnium ſit acutiſſima;
quod, etſi peritiſſimorum quidam eius vſum commen-
darint, id rariſſime tamen adhibuiſſent, alias certo cer-
tius noxias intellexiſſent, et ſuſpicatur Auctor, iis
p. 33. forte, qui id tantopere laudant, ſyrupum diacodii
frequenter in vſu fuiſſe, cuius vis ſalutaris non ex
opio, ſed ex acidula indole ſacchari admixti ſit de-
riuanda. Nec tamen opium prorſus ex variolarum
cura reiiciendum, ſed omnino adhibendum ſuadet
Auctor in aegris, debilibus, quorum vires ſunt eri-
gendae; in iis, per quorum corpus peruerſo motu
mate-

materia varioloſa oberrat et vagatur, praeterquam quod illa ad ſuperficiem corporis inueniat viam; in miti morbi decurſu, vbi aegroti lectis contineri detrectant, quippe quod opium refrigerium impediat; in nimia diarrhoea, quae vel per ſe, vel poſt commiſſos errores orta, puſtulas exinanit ita, vt collapſas veſiculas oſtendant, cutis palleſcat, artus frigeant, ſyncope, delirium ſequatur. Quo in ſtatu opium et veſicatoria ceu vnica ſuperſint auxilia; et praeſtet illud his, quod citius vim exſerat. Interdum ambo vna adhibuit Auctor remedia. Vtrumque vires cordis erigit, fluxum humorum repellit ad cutim, diarrhoeam compeſcit. Abſtineas vero, ait Auctor, ab opio, ſi decubitus ad pulmones deprehendatur, ſubſtituas cantharides, quorum interim vim tantopere in variolis extollendam eſſe negat et contra FREINDIUM eos in vehementi ſuppuratoria febri nocere aſſerit. Suadet etiam in fine ſuppurationis poſt purgantia lene narcoticum.

Cum itaque vſum opiatorum in variolis valdopere reſtringit, alia ſubſtituit his medicamina. Mirum quantum itaque laudat acida mineralia, vt medicamen omnibus ſymptomatibus et cuilibet morbi p. 50. variolarum tempori conuenientiſſimum, quae, quod grauia ſymptomata, delirium, phreneſin et alios ex pure reſorpto decubitus, vt Cl. Auctor vidit, arceat, etiam ipſi cortici Peruuiano anteponit, cuius vires febri ſecundariae tollendae, vel maxime ſi ea poſt morbum vere inflammatorium grauior deprehenditur, non ſufficerent. Magis corticem conuenire credit iis malignis variolis, quas laxitas ſolidorum, ſanguinis nimia reſolutio et gangraenae metus comitari ſolent. Mala quoque variolis ſuperſtitia, febrim lentam et tabem, abigere hic valet. Camphoram pluribus opii virtutibus pollere et pleriſque vitiis carere, hinc ſaepe opio hoc in morbo ſubſtituen-

dam eſſe oſtendit, eam quoque coniungit cum acidis. Venaeſectionem in miti morbo inutilem, in mitiſſimo aut maligno nociuam, in graui repetendam cen-
p. 60. ſet. Diſſuadet, continuo aegrotos, grauiter variolis affectos lecto contineri: foeminam grauidam confluentiſſimis obſeſſam variolis per ſeptuaginta horas medio in cubiculo, aere vndiquaque perflato, ſedentem detinuit. Hypocauſtorum latera aqua conſpergi iubet. Induſiorum mutationem commendat. Pediluuia, balnea vniuerſalia, quae quondam BOUVARDO, nunc Ill. SENAC in vſu ſunt, balnea vaporoſa et particularia fomenta, quod cuncta ſummam habeant vtilitatem, laudat. Recentes fructus acidiuſculos, fraga, rubos, ceraſa, et dulcia et acida, copioſe aeſtate, vuas parce autumno concedere aegrotis non dubitat. Pauperes in Heluetia ſerum lactis huic morbo opponunt, cuius probata ſane virtus in grauiori morbi decurſu, adiecto aceto poteſt augeri. Occluſas nares, iniecto oxymelle aqua te-
p. 66. pida diluto, aperit. Vt puſtulae frequenter incidantur, magni eſſe perhibet momenti ad plurima mala praecauenda, inprimis febrim ſecundariam (ſi modo huic operationi non tot obſtarent obſtacula). Anginam in variolis a puſtulis, in faucibus effloreſcentibus, eſſe poſſe negat, arbitratus, variolas rariſſime cutis terminos tranſilire; adſcribit eam phlogiſtico pharyngis infarctui. Vlcuſcula linguae quidem, non veras vidit variolas. Quatuor diſſecuit cadauera copioſiſſimis conſperſa variolis, nec vlla interior pars quoddam variolae veſtigium oſtendit.
p. 72. Cito in variolis benignis, dummodo in facie flaueſcere incipiunt puſtulae, in confluentibus vero ſtatim ab initio ſuppuratoriae febris, mannam, caſſiam, tamarindos et his ſimilia exhibet: infantibus, pharmaca reſpuentibus, in quorum aluo ſi ſaburra latet, ab initio morbi tartari emetici, clam in potu ordinario

nario ſoluti eam praebet copiam, vt aluus, non vomitus inde moueatur.

Alter morbus, quem Cl. TISSOT contemplatur, eſt apoplexia, quam, praemiſſis cauſis et ſignis *feriationem ſenſuum motuumque voluntati* ſubditorum nuncupat. Primo loco eam expendit, quae ex abundantia ſanguinis oritur, in cuius curatione venaeſectio, clyſma et ſuccus citri copioſe ingeſtus primaria ſunt remedia. Praeterea aegrum iubet erecto trunco, decliuibus cruribus, nudo capite, parum tecto reliquo corpore poni et ſupra genu ligatura conſtringi venas. Damnat valdopere omnem concuſſionem, volutationem, frictionem, potum ac fotum calefacientem, ſpirituoſum, et omnes res, quae vllo modo excitant. Aegris per aliquot dies omnem detrahit victum et tenuiſſimo potu vitam tantum modo conſeruat. In hac morbi ſpecie nunquam, nec poſt largam quidem venaeſectionem, adhibuit canthari- des, quod eae ipſi videntur apoplexiam magis allicere quam fugare; ſuris tamen, reuulſionis ergo, ſinapiſmos applicare amat. Facilius vero apoplexia praecauetur, quam curatur, hinc prophylaxin Cl. Auctor ſtudioſius perquirit, quae in eo conſiſtit, vt impediatur, quo minus plethora in corpore colligatur, et vt ſtimuli euitentur, qui ſanguinis nimiam copiam in motum agere et ad encephalon trudere poſſent. Ad primum itaque ſcopum pertinet victus vegetabilis et parcus ſomnus; hinc iterum iterumque ſuadet Auctor, vt e coena deſint animalia alimenta, ne ex duplici fonte, victu et ſomno nimia proueniat ſanguinis copia. Eadem ex cauſa interdicitur ſomnus pomeridianus. Quibus regulis licet non nulli aegroti ſtricte obediant, plethoram tamen arcere et ſequelas inde oriundas ſupprimere nequiuerunt. Foeminam vidit Auctor, quae vnico anno 412 libras ſanguinis effudit et tamen vixit. Cauſas tantae ſanguificatio-

p. 86.
p. 99.
p. 107.

nis

nis ſe ignorare ingenue fatetur; forte minorem tranſpirationem huc aliquid conferre ſuſpicatur. Venaeſectio interim nec optima nec vnica eſt prophylaxis, quam modo concedit, vbi ſpontaneae deficiunt euacuationes ſanguineae, quas, vbi per ſe contingunt, venaeſectione non turbandas cenſet, ſed ſpontaneam hanc prophylaxin naturae committendam. Res, quae ſtimulo quaſi ſanguinem commouent, non ignorantur, eas itaque leuiſſime tangit; ad eas vero, quae ſanguinem ad caput terminant, refert frigus pedum, inſolationem, magnos niſus, qui longam inſpirationem deſiderant, narcotica, ſpirituoſa, cephalica, iram et profuſum gaudium, aluum obſtructam, vel maxime vero hypocauſta calefacta, in quibus lege phyſica iſte aer longe calidior eſt, qui caput, quam qui pedes ambit. Hinc nocet profunda meditatio, vel inprimis in calefacto hypocauſto, eruditis, ad hunc morbum procliuibus, quos Auctor capite leuiter tecto incedere, tenui victu vti, abſtemiosque viuere iubet. Delineat quoque non nullos morbos apoplexiae affines, adeoque eadem methodo tractandos: nauſeam et vomitum cum ſumma debilitate pulſuque inaequali coniunctum; alternantem ſoporem et cephalalgiam; nimiam in ſomnum procliuitatem etc.

p. 127. Prohibita in ſanguinea apoplexia medicamina cuncta ſeroſae conducunt. Fonticulos interim adeo praedicatos, Auctor temnit, niſi apoplexia ſucceſſerit fluxui alicui ſuppreſſo; quo in caſu tantum adiumentum, quantum alias detrimentum ab iis allatum iri affirmat. Poſtea apoplexiam ex obeſitate contemplatur, quae ſoluentiſſimis medicamentis, ſapone, oxymelle ſquillito et victu tenui praecauenda. Huic tandem addit eam, quae ex defectu ſpirituum oritur, et quae in longis morbis ſubito aegros interimere, ſenilem maraſmum ſequi et eos aggredi ſolet,

let, qui *continua medela mortem arceſſunt*, *quem effugere* conantur. Longe diuerſa hic medicatio. Roborantia atque nutrientia eam et arcent et curant. Hyſterici quoque inſultus interdum apoplexiae aequant, quae vt plurimum ſine diſcrimine tranſit, nonnunquam tamen lethifera eſſe poteſt, quod binis exemplis, quae attente legi merentur, Cl. Auctor comprobat. Mortis cauſam eſſe ſuſpicatur paralyſin cordis. Vſum herbae nicotianae, quae tum pulueris forma naribus, cum fumi ſpecie ore attrahi ſolet, et apoplexiae prophylaxis praedicatur, iuſtis i. e. arctis reſtringit limitibus. Paralyſeos, quae eſt apoplexiae vel nuncia, vel comes, vel pediſſequa, cauſſa non ſemper in encephalo, ſed quolibet in neruoſo ramo latere poteſt, qui a turgentibus partibus proximis comprimi ſolent. Eae partes vero ſunt vel arteriae vel venae, vel tela celluloſa; obſtructionis vero adeoque inflammationis veram ſedem raro in arteriis, frequentius in venis et tela celluloſa eſſe, anatome edoctus Auctor affirmat. Hinc vtplurimum ab his cauſis paralyſeos origo, adeoque in attenuante incidenteque ſine ſtimulo diaeta praecipuum quaeri oportet auxilium. Thermarum vſus, ſi ipſi locus, cum prudentia inſtituatur. Iuſcula viperina, quod circulationem augeant, humores ad caput trudant, ſanguinem alcalina indole rarefaciant, exprobranda et tunc modo concedenda, vbi vel defectus humorum vel ſanguis, appidus aceſcens deprehenditur. Electricitas iis modo conuenit, in quibus nec a febre, nec a ſpaſmo, nec a plethora mali quid metuendum, hinc ea in paralyſi deauratorum atque in ea, quae colicam ſaturninam excipit, tentanda.

Hydropis nunc cauſas et conciſe et plane explicat, quibus ſuperſtruit varias medelae ſpecies. Leuiter non nullas tangamus. Spirituoſa faſciatio non nocet, vbi ex ſola laxitate partis externae oedema oritur. Stagnantes aquae euacuandae quidem ſunt, non

p. 136. p. 141. p. 147. p. 158. p. 162. p. 172.

non tamen iis remediis, quae febrim excitant, ne graues obſtructiones magis compingantur humoresque acrem induant indolem. Hoc optime fit reſorptione, quae ſuccedit tenui diaetae: alimenta itaque eligenda nec laxantis nec ſepticae indolis, quibus addenda ſunt acida oxyſaccharata; quorſum et-
p.185. iam pertinet vſus cremoris tartari, a MENGHINO *) laudati, quem tribus includit conditionibus 1) ſub initio, ſi fibra nondum laxa, humores non acidi deprehenduntur; 2) in ſubiectis atrabiliariis; 3) dum lotii deficit ſecretio et plenitudinis accedunt ſymptomata. Vbi ſitis et calor, profunt ſpiritus nitri aut
p.197. ſulphuris. Purgantia nunquam conducunt, niſi in ea ſpecie, quae ex viſceribus obſtructis oritur, quem
p.207. in finem commendat rheum. Scilla, etſi in hoc morbo potens remedium, attamen tunc nocet, ſi vetus ſcirrhus cum febricula coniunctus eſt; cum praeterea ventriculi imminuit vires, ſanguinem ſoluit et dolores exitat, hoc praecaueri poteſt, ſi pro rei ratione vel cum camphora, vel cortice Peruuiano,
p.212. vel aromate quodam combinatur. Abiicienda medicamenta naſturtina, ſi hydropem iam comitatur calor, febris, ſitis, putredo, vbi quoque abſtinendum a marte, qui vnice a ſumma ſolidorum laxitate indicatur. Aſciticum abdomen manu, oleo oliuarum madida, fricare copioſum ſaepe prolicuit vrinae profluuium. Modum, quo ſalutaris hic effectus poſſit oriri, ſic animo ſibi Auctor concipit: frictione frequenti tenacia et concreta conteruntur abſorptionique idonea, praeparantur; illitu vero tollitur nimis copioſa inſpiratio cutanea, non vltima profecto hydropis cauſa, qua ſublata, cutis ad exſpirationem, quae prius deerat, diſponitur. Cui hoc paradoxon videa-

*) vid. De Bononienſi ſc. et art. inſtit. atque acad. commentariorum. T. IV. p. 260. et noſtror. Comment. Vol. VII. P. III. p. 398.

deatur, ille adeat ipſum libellum. Hinc frictio oleoſa in hoc morbo medela non inepta, qua tamen caute vtaris, ne viſcera tabe iam laeſa, ruda frictione magis laedas. Seri per cutim turgidam eductio fit vel per cantharides, vel per ſcarificationes, vel reiterata applicatione radicis bryoniae. Priores modos ſemper infelici ſucceſſu, aliquoties feliciori vltimum adhiberi vidit. Haec ſunt praecipua praecepta atque opiniones, quas de his morbis Cl. Auctor profert, quibus, vt eas firmaret, vbique copioſas immiſcuit obſeruationes ſcite, vt omnia, ſcriptas et dignas, quae diligenter legantur. p.198. p.220.

In appendice, quam epiſtolae adiecit, tres obſeruationes, de colica ſaturnina cum artuum paralyſi, recudi curauit, quas inſeruerat iam *Excerpto totius Italicae nec non Heluetícae litteraturae* *). Ortum duxerant hi morbi ex vſu medicamentorum ſaturninorum externo. p.227.

V.

MAXIMILIANI LOCHER, Medici Viennenſis in noſocomio ad S. Marcum et in orphanotrophio Phyſici obſeruationes practicae circa luem veneream, epilepſiam et maniam, tria morborum genera in praedicto noſocomio prae aliis maxime obuia. His accedunt caſus varii, qui vlteriorem cicutae vſum internum et externum in morbis curatu difficillimis confirmant. Viennae Auſtriae, typis Io. Th. Tratner 1762. 8. pl. 7.

Medicamenta noua, vel eorum nouae compoſitiones, etſi cum rectae rationis vſu excogitantur, ab

*) Ann. 1759. Tom. IV. p. 142. ſeqq.

ab experientia demum maximam adipiſcuntur fidem. Eiusmodi igitur de medicamentis vt experimenta inſtituantur, et inſtitutorum obſeruationes bona fide cum orbe erudito communicentur, labor eſt, ingenuum decens medicum: quo ſane nomine libellus hic meretur, qui euoluatur.

Cum amplo praeeſt Cl. LOCHER noſocomio, in quo frequens acceſſus venereorum, ab anno 1754, ſublata ſaliuationis methodo, recepit normam, ab Ill. VAN SWIETEN propalatam, mercurium ſublimatum in ſpirituoſo vehiculo exhibendi. Quales itaque inde oriri effectus, quos morbos eo curari, Cl. Auctor vidit, et quae cautelae in eius vſu obſeruandae ſint, hoc in libello aphoriſtice proponit. Quorum plurima cum iam ex aliis ſcriptoribus ſint cognita, ſilentio praetereamus, et pauca, quae ipſi propria ſunt cogitata, vel in quibus ab aliis recedit, tantum attingamus. Poſt quamlibet aſſumtam doſin aegrum in hypocauſto calido ſudorem expe-
p. 16. ctare oportet. Citiſſime ii a malo liberantur, in quibus aluus inde frequenter mouetur. Viri citius a malo liberantur, quam foeminae; vtplurimum intra ſex vel ſeptem hebdomadum ſpatio cura abſoluitur, raro tres pluresque protrahitur menſes. Non impar eſt remedium, non ſolum qualibuscunque morbis ex venerea labe ortis, ſed etiam in multis aliis et inprimis variis oculorum vitiis, albugine, panno,
p. 34. cataracta etc. Intra octennium 4880, in noſocomium receptos, huic methodo ſubiecit Auctor, ex quibus pauciſſimi eam ob idioſyncraſiam ferre, et pauci ea curari non potuerunt.

p. 36. Alterum caput obſeruata continet de epilepſia. In eodem noſocomio Viennenſi ad S. Marcum aedificium ad epilepticos recipiendos et ſanandos exſtructum eſt, cuius curam habet Auctor. In hoc varia tentauit medicamina. Puluerem radicis valerianae

rianae ſylueſtris omni mane a drachma dimidia ad binas per ſemeſtrium exhibuit; ab initio quidem aegroti eo alleuari videbantur, ſed poſtea id medicamen omni carebat effectu. Simile phaenomenon et ab aliis obſeruauit rebus, quas in auxilium vocauit, nimirum, vt a nouo quocunque adhibito remedio aegroti mirum quantum acciperent auxilii, quod vero ſub continuato vſu iterum euaneſceret. Spiritus ſupra memoratus antiuenereus et malum venereum et epilepſiam ſuſtulit in viro aliquo, cuius cranio inſignis inſidebat tophus, quo quippe perſanato diſparebat epilepſia. In alio viro epilepſiae inſultum praegrediebatur dolor in cubito dextro; applicato veſicatorio et vlcere inde orto, diu aperto ſeruato, ſimulque interne ſumto cortice Peruuiano cum camphora, malum hoc plane fuit profligatum. Omnium p. 42. optime in hoc malo profuit medicina, compoſita ex camphorae dimidia, ſacchari vero mucilaginisque gummi arabici integra drachma, quibus inuicem in mortario vitreo tritis, aceti calidi vncia dimidia, ſyrupi florum papaueris rhoead. integra, et aquae florum ſambuci ſex affuſae erant; interdum quoque pro rei neceſſitate triginta guttulas laudani liquidi SYDENHAMI huic miſcelae adiecit Auctor. Suaſu ill. V. SWIETEN tentauit etiam folia aurantiorum, mox p. 47. in infuſo, mox in puluere propinata, quae in ſex aegris plane nihil, in nouem aliis vero multum attulerunt auxilii; licet dici non poſſit, omnem epilepſiam inde ceſſaſſe, ſufficit, hoc remedium effeciſſe id, vt inſultus ipſi aliquo modo refraenati fuerint, atque vltra conſuetum terminum ſiluerint.

In tertio capite facta cum maniacis narrat Au- p. 57. ctor experimenta. In multis methodo vſitata, cauſis cognitis oppoſita, malum abſtulit omne. Se- p. 62. nis maniacis moſchi optimi grana quindecim, vel ſcrupulum in boli forma quotidie exhibuit et tres men-

ſes continuauit, magnam inde quidem vidit mutationem, non tamen plenariam curam: excipi verum
p. 64. ex his debet vnicus, qui perfecte reſipuit. Felicius tentamen inſtituit cum mixtura ſuperius deſcripta ex camphora et aceto, vtpote quae non paucos quotannis integram reſtituit in ſanitatem. Aliis dedit ſiccam camphoram, pineis ſubactam, ad dimidium drachmae per binos menſes, ſed ſine vllo fere, quod mirum, ſalutari effectu; vix vero in iisdem adhibuit mixturam, cum poſt paucas ſeptimanas maniaci reſipiſcentiae ſuae oſtenderent ſigna. Quod tentamen ſaepius repetiit, ſemperque eundem habuit effectum; quoinde ſequitur, acceptum auxilium alii ingredienti, non camphorae, eſſe tribuendum, quod et noua experimenta docuerunt. Nam cum in mixtura, praeter acetum, nihil eſſet, a quo quadam ratione tantus expectari poſſet effectus, illud merum in auxilium vocauit et laetus id maniacis admodum prodeſſe didicit, atque octo aegrotis, vel in bimeſtri certe trimeſtri ſpatio, ſanum reddidit rationis vſum. In tribus aliis nihil praeſtitit, quod forte nimis diu huic malo ſuccubuerint. Ad omnia corporis colatoria humores diſponit, maxime ſudore fundit, in foeminis catamenia prolicit antea vel ſuppreſſa, vel parce fluentia. Nonnulli mane ieiuno ventriculo illud ferre nequeunt, his praebet Auctor decoctum ſaturatum hyperici, inter antimaniaca remedia a ve-
p. 71. teribus et inprimis ab ANGELO SALA relati, poſt meridiem vero acetum. Solum infuſum herbae hyperici ſaturatum, neglecto aceti vſu, plane nihil valuit. Sectionem venae iugularis ceu vtile remedium in hoc morbo Auctor expertus praedicat.

p. 75. Vltimo in capite virtutes cicutae multis exemplis confirmat. Summae vtilitatis fuiſſe ea dicitur in vlceribus inueteratis, cacoethicis, venereis, cancroſis, in ſcabie, ſerpigine, herpete, in con-

contractura membrorum ex arthritide, nec nocuiſſe infantibus, ſed in iis celerius attuliſſe malorum lenimen, interdum quidem fruſtra eius vſus fuiſſe, attamen in iis aegrotis, in quibus nec alia remedia plus valuerunt.

VI.

Elemens de Pharmacie theorique et pratique: contenant toutes les operations fondamentales de cet art, avec leur definition, et une explication de ces operations, par les principes de la chymie; la maniere de bien choiſir, de preparer, et de meler les medicamens, avec des remarques et des reflexions ſur chaque procédé; les moyens de reconnoitre les médicamens falſifiés ou altérés; les recettes de medicamens nouvellement mis en uſage; les principes fondamentaux de pluſieurs arts dependans de la pharmacie: tels que l'art du confiſeur, et ceux de la préparation des eaux de ſenteur et des liqueurs de table. Avec une table des vertus et doſes de médicamens. Par M. BAUME, maitre apothicaire de Paris, et demonſtrateur en chymie. A Paris, chez la Veuve Damonneville et Muſieur fils, P. F. Didot jeune, De Hanſy, 1762. 8 mai. Alph. 2. pl. 9. tabb. aen. 2.

h. e.

Elementa Pharmaciae theoreticae et practicae: quae omnes huius artis operationes, ſolido

ſundamento nitentes, vna cum definitione et explicatione earundem, chemiae principiis eruta; modum eligendi, praeparandi et miſcendi medicamenta, cum annotationibus et meditationibus ſuper quouis proceſſu; media cognoſcendi medicamenta adulterata et immutata; formulas medicamentorum noſtro aeuo vſurpatorum; prima principia multarum artium a pharmacia dependentium; artis v. g. condiendi, et aquas odoratas nec non potulenta praeparandi continent; vna cum tabula virtutum doſiumque medicamentorum. Auctore Cl. BAUME etc.

Hic liber, vti ampliſſima eiusdem inſcriptio iam indicat, ex quatuor partibus compoſitus eſt: prima de cognitione, ſecunda de electione, tertia de praeparatione et quarta de mixtione medicamentorum agit. Vltimam Noſter in duas rurſus partes diuiſit, inque priore medicamenta interna, in poſteriore autem externa expoſuit, ita tamen, vt ea, quae de vtriusque natura participant, illis in primis adiungeret, quibuscum plurimas proprietates communes habent. His plurium remediorum notitiam ſubnexuit, quae quidem in vſu ſunt, minus tamen cognita, tum quia formulae nondum publici iuris factae ſunt, tum etiam, quia in operibus minus diuulgatis continentur. Caeterum regulae etiam a Cl. Auctore traduntur, quae remedia, magiſtralia dicta, ſeu quae a medicis praeſcripta illico a pharmacopoeo conficienda ſunt, praeparare docent, quorum quidem nullum a Noſtro exhibetur exemplum, principia tamen traduntur, ſecundum quae accurate procedere diſcunt pharmacopoei.

Haec

Haec in genere de hocce libro annotare licuit; quod ad praeparationes remediorum ſpectat, certe non paucae hic occurrunt, quae vero quantum nosmet cognouimus, niſi omnes, plurimae tamen in aliis pharmaceuticis et chemicis libris reperiuntur. Plerisque Noſter ſuas adiecit annotationes, in quibus vel procedendi modum vel mutationes corporum et alia expoſuit, ita tamen, vt ea tantum, quae ad artem pharmaceuticam pertinent, traderet, quae vero ad medicinam ſpectant, neutiquam tangeret. Licet vero non negandum ſit, complures hic deprehendi remediorum, in primis compoſitorum praeparationes, quae vel correctione opus habent, vel ex officinis pharmaceuticis proſcribendae eſſe videntur, iſtum tamen librum iis, qui artem hanc addiſcere cupiunt, vtilitatem quandam allatarum eſſe, opinamur.

VII.

Noſologia methodica, ſiſtens morborum claſſes, genera et ſpecies, iuxta SYDENHAMI mentem et Botanicorum ordinem; Auctore FRANCISCO BOISSIER DE SAUVAGES, Regis Conſiliario ac Medico, in Monſpelienſi Vniuerſitate Medicinae, olimque Botanices, Profeſſore regio; Academiae Scientiarum Monſpelienſis, Londinenſis, Vpſalienſis, Berolinenſis, Florentinae, Phyſico-Botanicae, Suecicae, Naturae curioſorum, et Inſtituti Bononienſis Socio. Tom. I. complectens morborum claſſes X, cum prolegomenis. Amſtelodami, 1763. Alph. 1. pl. 9. tab. aen. 1. Tom. II. Pars 1, complectens genera

nera et ſpecies morborum ad claſſes I. II et III. pertinentium, nempe vitia, febres et phlegmaſias ib. eod. an. Alph. 1. pl. 11. Tom. II. Pars 11, complectens genera et ſpecies morborum ad claſſes IV. V et VI. pertinentium ſc. ſpaſmos, anhelationes et debilitates ib. eod. an. Alph. 1. pl. 6½. Tom. III. Pars 1. complectens genera et ſpecies morborum ad claſſes VII et VIII. pertinentium ſc. dolores et veſanias ib. eod. an. Alph. 1. pl. 4. Tom. III. pars 11. complectens genera et ſpecies morborum ad claſſes IX et X. pertinentium ſc. fluxus et cachexias ib. eod. an. Alph. 1. pl. 12½. ſumtibus Fratrum de Tournes 8 mai. Voll. 5.

Cuius phyſiologiae elementa *), et pathologiam methodicam **) alio tempore iam cum lectoribus Noſtris communicauimus Cl. BOISSIER, ipſius noſologiam methodicam eo lubentius iisdem nunc tradimus, quo maiorem vtilitatem a lectione huius operis in quosuis ſolertes medicinae rationalis cultores redundaturam nobis perſuademus, licet negare non poſſimus, valde nos etiam inſimul vereri, ne medicina, quam ab erroneis ſcholaſticorum opinionibus purgare, prorſusque reformare laudabili conſilio Cl. Auctor ſuſcipit, et verborum et ipſorum morborum nimis, atque quidem ſaepius praeter neceſſitatem, aucto numero difficilior, variisque, ſubtiliter caeteroquin excogitatis, hypotheſibus, ſubinde inſperſis obſcurior, minusque certa euadat. Priusquam autem ad ipſius libri recenſionem propius nos accingamus, neceſſe videtur, vt, qualem nor-

*) vid. Comment. noſtr. Vol. VIII. P. IV. p. 663.
**) ib. p. 671.

normam ſibi Cl. Auctor in ſcribendo ſumpſerit, paucis oſtendamus. Secutus quippe methodum botanicorum eſt, ſic, vt quascunque demum aegritudines in claſſes et ordines diſtribuerit, his genera et ſpecies ſubiunxerit, characteres eſſentiales in quouis morbo explanando addiderit, et his omnibus varias denominationes a diuerſis auctoribus cuilibet impoſitas inſimul praemiſerit, quo lectores, huius illiusue deſcriptionem indagaturi, illico intelligant, qualem, et num vere eum morbum habeant, qui variis ſub nominibus a diuerſis auctoribus explanatur.

Diuiditur totum opus in tres tomos, quorum vterque poſteriorum duas partes habet. Tomus primus decem morborum claſſes et prolegomena complectitur; Tomus ſecundus genera et ſpecies morborum ad ſex claſſes priores pertinentium, tertius autem eas aegritudines, quae reliquas claſſes conſtituunt, pariter in genera et ſpecies ſubdiuiſas continet.

In *prolegomenis* exiguos adeo, quos fecit medicina progreſſus, a ſumma artis difficultate, maiorique p. 6. artificum negligentia Cl. Auctor deducit, poſt *Noſologiae fundamenta hiſtoricae*, vtpote *methodum* et *nomenclaturam* examinat. Illa quadruplex eſt *alphabe-* p. 22. *tica*, *temporaria*, *anatomica* et *aetiologica*, quibus omnibus *ſymptomatica* anteponenda, IONSTONI autem atque SENNERTI, vt confuſa, fallax et incommoda reiicienda eſt. *Nomina generica* a veteribus ob plures ſpecies incognitas apte ſatis definiri p. 52. non potuerunt, opus itaque eſt, vt ſic definiantur genera, vt omnes ſpecies adhuc obſeruatas contineant. Nomina igitur ex phyſiologia, botanica aliisque ſcientiis deſumta, vt appetitus, fluxus, ſudor etc. termini claſſium et ordinum v. c. morbus, lues; nomina compoſita e. g. vlcus pulmonum,

 item

item barbara, deceptiua, generica aliarum artium reiicienda, quin etiam nomina cauſarum et principiorum, pro ipſis morbis deſignandis vſurpata, vel a regione petita non toleranda, ſed vna cum ſpecificis, tropicis, relatiuis et ſesquipedalibus expungenda ſunt. In *noſologiae philoſophicae fundamenti* expoſitione vita, ſanitas, cauſae, principia, phoenomena et ſymptomata definiuntur, errorumque in medicina obuiorum fons deriuatur ab eo, quod plerumque non cauſa vt cauſa conſideretur, cauſaeque cum principiis ſaepius confundantur. *Prognoſis*
p. 82. *cognitio cauſae eſt, et vnius certitudo ab alterius certitudine pendet. Diagnoſis* a cognitione ſymptomatum dependet, cum vero morbi definitio ſit horum enumeratio, ſequitur etiam bonam diagnoſin a bona
p. 103. definitione dependere. Sequuntur *vires animatae*, in quarum examine quicunque motus in corpore animae, eosdem pro arbitrio dirigenti, adſcribuntur. Praeter has vires autem, vel aliae adhuc in corporibus noſtris dantur facultates, illis ſimiles, quae in vegetabilibus foſſilibus et cadaueribus conſpiciuntur, proindeque non ab anima proueniunt, et abhinc *vires inanimatae* dicendae ſunt: Facultates illae ſunt: grauitas, cohaeſio, attractio, elaſticitas, electricitas, putrefactio, fermentatio, calor, rarefactio, diſſolutio et condenſatio. Ab vtrisque his viribus, animatis quippe et inanimatis principia morborum omnium proueniunt. Succedunt *clauis claſſium, morbique detegendi methodus*, de quibus poſtquam varia Cl. Auctor protulit, ad ipſas *claſſes* tranſit, in quibus ordinandis ita verſatur, vt prius nomina morbo deſcribendo a variis auctoribus et gentibus impoſita, etymologiam et characterem proponat, theoriam deinde ipſamque praxin ſolide pertractet, tandemque varia ſymptomata eleganter ſcienterque explicet, nec vnquam quid omittat, quod ad illuſtra-

tio-

tionem huius illiusue rei difficilioris deſiderari videatur.

Claſſis prima affectus ſuperficiarios continet. Hi p.155. definiuntur per *vitia in externis partibus conſpicua, quibus magis qualitates, quam ipſarum functiones laeduntur.* Diuiduntur iſta vitia in 1) *vulnera* 2) *vlcera* 3) *maculas* 4) *exanthemata* 5) *phymata* 6) *excreſcentias* 7) *cyſtides* et 8) *procidentias.* De prioribus in pathologia Cl. Auctor expoſuit, easque ſpecies *traumaticas* nominat, de reliquis vero affectibus *ſpontaneis* dictis, quod theoriam ampliorem deſiderant, prolixius agit, et in eorum fiendi modum naturamque altius inquirit.

Febrium, quas *ſecunda claſſis* habet, *character* in p.198. eo conſiſtit, quod *vires pulſus reſpectiue ad vires artuum adauctae* ſint, *vtplurimum vero pulſus ſolito frequentior, cum virium voluntati ſubditarum imminutione* inueniatur. Quare febris adeſt, 1) *quoties viribus artuum iisdem manentibus vires vitales cordis, et arteriarum, maxime quoad frequentiam intenduntur;* 2) *viribus artuum imminutis, vires vitales eaedem permanent, modo nec ſopor, nec anaeſtheſia, ſeu inſenſibilitas artuum adſit etc.* 3) *viribus artuum adauctis, vires pulſus augentur in maiori ratione, vt in phrenitide* 4) *viribus artuum imminutis, vires vitales intenſiores euadunt, aut eaedem perſtant ac in ſtatu ſano; vel demum in minori ratione decreſcunt.* Opus itaque eſt, vt quoties febris adeſt, toties etiam vires cordis, reſpectu ad eas artuum multum adaugeantur, ſiquidem fieri non poteſt, vt a reſiſtentiis in vaſis cordi oppoſitis pulſus maiores aut frequentiores fiant, niſi inſimul maiores vires cordi applicentur, cum ſine his, tardiores potius debilioresque ſint euaſuri. Quodſi enim vis motrix, interuallis aequalibus alio- p.224. quin embolo machinae hydraulicae applicari ſolita, eadem remaneat, et reſiſtentiae adaugeantur, non

ex eo frequentior, ſed rarior emboli itus reditusque euadet. Vires autem illae cordis adaugentur, quoniam natura a partibus easdem reuocat, et ad cor amandat, eo fine, vt quicquid in corpore noxium eſt, aucto ſuo motu ſubigat et eliminet, vel ita mutet, vt minus corpori noceat. Anima itaque ſola eſt, quae ad morboſum corporis ſtatum in melius mutandum, praeuertendamque machinae ruinam inſurgit et febrim accendit. Quam opinionem ideo eo lubentius Cl. Auctori omnibusque ſuis, vt ipſe vocat, animiſtis relinquimus, quo melius vel ab aucta cordis irritabilitate, vel a maiori contentorum vi
p. 251. irritante explicari febris poſſe nobis videtur. *Frigus febrile* per *moleſtam ſenſationem, ab imminuto ignearum partium impetu in corpore noſtro dependentem* definitur. *Impetus illa imminutio refrigeratio dicitur, et eſt proportionalis* 1) *quantitati partium ignearum, quae auolant* 2) *duplicatae earum, quae remanent,*
p. 261. *tarditati.* Calor moderatus febrium non niſi ſtragulorum remotionem potumque frigidum exigit, nimius vero venaeſectionem, ventilationem et potum frigidulum poſtulat.

Morborum inflammatoriorum ſeu *phlegmaſiarum* GALENI, quas *tertia claſſis* complectitur, *character febris eſt acuta, cum dolore, calore cuiusdam partis moleſto, et ſanguinis in patella extracti cruſta coriacea.*
p. 294. *Calor, qui a particularum ignearum vi et impetu in fibras nerueas oritur, ceteris paribus eſt vt ignearum particularum quantitas in corpore, et vt earum duplicata velocitas.* Quo circa duplici de cauſa creſcit, aucta quippe ignearum particularum copia, aut motu earundem adaucto, aut intenditur ex eo, quod igneae particulae expeditius in ſe inuicem ruant. Ex ſecunda cauſa creſcit calor, aut in ratione duplicatae velocitatis, aut in denſitatum ratione. *Vbi itaque in corpore maior eſt celeritas, denſitas, et humorum*

morum acrimonia, ibi maxumus calor; vbi denſitas et humorum acrimonia ſunt celeritatibus reciprocae, ibi aequalis forte calor. Lymphae in pleuriticorum corporibus ad gradum trigeſimum coagulationem peculiari potius miasmati, quam ſoli calori adſcribendam Noſter exiſtimat, cum in experimentis eadem infra gradum quinquageſimum et quintum nunquam albuerit. *Rubedo* tumoris inflammatorii a ſanguine maiori vi impellente vaſaque diſtendente dependet, quodſi enim haec atonia dilatantur et laxitate, obſcurius ſanguis rubet, quin imo nigreſcit, vt in varicibus, ecchimoſi et aliis. *Dolor* eo acerbior eſt, quo magis fibrae ad ruptionem accedunt. Ad *tumorem* inflammatorium gignendum requiritur, vt vires contentorum in maiori ratione creſcant, quam vires continentium, aut vt vires continentium decreſcant in maiori ratione, quam illae contentorum. *Cauſa inflammationis maior ſanguinis vaſorumque eſt* p.327. *colliſio, a maiori ſanguinis niſu et impetu oriunda.* Id quod probatur ex eo, quod in humano corpore huic colliſioni calor, rubedo, tenſio, pulſatio, dolor, omniaque reliqua phoenomena proportione reſpondent. *Therapia* diuerſa eſt. *Morbi* enim *inflammatorii puri* reiteratam venae ſectionem, diaetam liquidam et refrigerantem, febriſque et vrgentium ſymptomatum moderamen exigunt, cum illi *impura febre comitati* longe aliam curationem deſiderent, medicumque, qui in prioribus naturam ſequi tenetur, ſaepius moneant, vt hanc ad vomitionem aliamue excretionem ſtimulet, languentem excitet, et per cardiaca et ſudorifera excitet, ne morbo victa tandem ſuccumbat.

Sequitur *claſſis quarta*, quae *morbos conuulſiuos* ſeu *conuulſiones* complectitur. *Eſt vero conuulſio inuita et violenta muſculorum, motui locali inſeruientium, contractio.* Conſiderat Cl. Auctor quaſcunque conuulſio-

uulſiones, vt conatus ſalubres, ad ſtatum machinae in melius mutandum, a natura ſuſceptos, idque adſertum, quoniam plerisque neotericorum paradoxon videtur, variis demonſtrationibus roborat, denuoque in eosdem inuehitur, animiſtarumque ſectam acrius defendit, id, quod eo minus mirabuntur, qui propenſiorem Stahlianorum principiorum patronum, acutumque eorundem defenſorem Noſtrum iam norint.

p.376. In *claſſi quinta, morbos dyſpnoeicos ſeu anhelationes* continente, varias difficultates circa reſpirationem naturalem, et praeternaturalem atque difficilem occurrentes ſoluit, et vtramque viginti et quatuor propoſitionibus illuſtrat.

p.419. In *ſexta* vero *morbos paralytodaeos ſeu debilitates* pertractat. Claſſis huius *character eſt partialis vel integra ſenſuum, appetituum, motuum tum liberorum, tum naturalium ſenſibus prius obuiorum debilitas.* Ad hanc inducendam requiritur, vt vel fluxus fluidi neruei ab animae ſede ad organon, aut ab hoc ad illam intercipiatur. Id quod fieri ſolet, vel quia vis animae imminuitur, vel quoniam fluido tranſituro reſiſtentia opponitur. Morbi ſoporoſi paralytodaei Noſtro illa genera morborum ſunt, quae in paroxyſmis ſoporem comitem habent, vt apoplexia.

p.444. *Morbi dolorifici ſeu dolores*, de quibus in *ſeptima claſſi* ſermo fit, *morbi ſunt, quorum praecipuum ſymptoma eſt ingrata et moleſta ſenſatio, aut imaginatio, qualis ex partium neruearum laceratione, roſione, vſtione, preſſione, aut diſtractione oritur.* Patet ex hoc charactere, duplicem eſſe dolorem, alterum, qui ab actione corporis cuiusque in neruos producitur, alterum, qui ſine hac, a ſola actione ſimili in medullares cerebri fibras proficiſcitur. Ille *ſenſitiuus*, hic *imaginarius* Cl. Auctori dicitur. *Principia dolorum* ſunt 1) *inſtrumenta* vel mechanice pungentia, vel pre-

prementia, vel trahentia, vel vulnerantia aut contundentia; 2) *infarctus* vaſorum a copioſo vel ſpiſſo fluido, quo vaſa infarcta aggrauantur et diſtenduntur, vnde dolor grauatiuus, vel etiam fortius diſtrahuntur, vnde dolor tenſitiuus, vel pars inflammata in apice fere rumpitur, vnde punctorius, perterebrans, pulſansque dolor naſcitur; 3) vitia ſolidorum maiori *erethyſmo* pollentium; 4) acrimonia humorum, illi parti magis inhaerens, cui grauitate ſpecifica magis affinis eſt, vnde materia arthritica articulos, ſcabioſa cutim etc. aggreditur; 5) *conatus naturae* ad materiam quamcunque morbificam corrigendam aut inuertendam, qui quidem, vt Noſtro videtur, frequentiſſimum dolorum principium conſtituunt. His etiam dolores ad partum Cl. Auctor adnumerat, eosque non a pondere fetus, vterum ſollicitante, ſed a ſola natura, hoſpitem extruſura deriuat. In curatione doloris ſenſitiui eo enitendum eſt, vt fibrae nerueae diſtractae tenſio relaxantibus minuatur, animae ſenſibilitas anodynis imminuatur, aut plane ſufflaminetur, et principia ſuperius enumerata remoueantur.

Morbi veſani ſeu veſaniae, octauam claſſem conſtituentes, *ſunt illi, quorum praecipuum ſymptoma eſt animae error, alienatio, delirium, aut dementia, ſeu imaginationis, iudicii, aut cupiditatis, vel voluntatis deprauatio.* Diuiduntur errores a Cl. Auctore in *theoreticos* et *practicos*, etenim aut falſum quid pro vero agnoſcimus, ſine eo, quod ſubſequatur animi pathema, et error ille *theoreticus* eſt, aut idem vitium cum ſubſequente animi pathemate committimus, et error *practicus* exſurgit. Prior *hallucinatio* dicitur, alter vero, ſi pathema animi ipſi ſaltem aegro nocet, *delirium* vocatur, qui, vbi animi pathema vel et aliis infenſum eſſe incipit, *furoris* nomen adipiſcitur. p.461.

Morbi

p.475. *Morbi euacuatorii ſeu fluxus*, de quibus *nona claſſis* exponit, *illi ſunt*, *quorum praecipuum ſymptoma quilibet eſt effluxus*, *vt ſanguinis*, *ſeri*, *vrinae*, *ſudoris*, *puris*, *alui*, *vteri*, *etc.* Diuiduntur iſti fluxus a Cl. Auctore in *ſanguifluxus*, *ſerifluxus*, et *aluifluxus*, qui theoriam eorundem a Neotericis excogitatam vt falſam atque erroneam reiicit, et veterum illam, quae in omnibus vim expultricem, retentrice maiorem, ponit, vt veram vereque mechanicam adſumit.

p.497. *Morborum cachecticorum ſeu deformitatum*, quas *decima claſſis* tradit, *character eſt aegritudo chronica*, *cuius praecipuum ſymptoma eſt vitium formae in magnitudine*, *figura*, *vel colore*. Molis deformitatem pertractans, ſequentem tabulam exhibet Cl. Auctor, in qua comparationem ponderis corporis totius et partium in macilento oſtendit.

Pondera	*vnc.*	*dragm.*
Corpus totum	1140.	0
Cerebrum	56.	0
Pulmo cum mediaſtino et pericardio	66	0
Cor nudum	10.	0
Hepar	45.	0
Inteſtinum tenue	21.	6
craſſum	17.	4
Meſenterium	8.	0
Lien	6.	4
Ventriculus	5.	3
Veſica	5.	0
Ren ſiniſter	4.	4
dexter	4.	3
Pancreas	2.	4
Epiploon	1.	0
Capſulae renales duae	0.	3
Cutis ſine adipe	160.	0

Gene-

Generalia in chronicis morbis indicata ſunt 1) colatoria quaecunque aperientia 2) vitioſas digeſtiones corrigentia, 3) roborantia, 4) acrimoniam edulcorando viſcidaque fluida reſoluendo obſtructa vaſa viſceraque reſerantia.

Abſolutis nunc iis, quae in primo tomo comprehendebantur, ad reliquos duos totius operis tomos, ordines, genera et ſpecies morborum complectentes, deſcendimus, in quibus, quum fuſiores eſſe, arcti nimis recenſionis limites non patiantur, tabulam ſaltim ſynopticam claſſium et ordinum, in fronte tomi ſecundi a Cl. Auctore exaratam, Lectoribus noſtris tradimus, cui ſpeciminis loco, ſpecialiorem claſſis cuiusdam ſynopſin, ordines cum generibus exponentem ſubiungimus, ſpecies dein alicuius generis enumeramus, et, ne negligentiores vtique fuiſſe videamur, quae tandem in toto opere potiora nobis viſa ſunt, quam breuiter fieri potuit, cum delectu adducimus.

Synopſis claſſium et ordinum

Claſſis I. *Vitia.* Symptomata cutanea leuidenſia, vel mechanicis chirurgiae auxiliis curanda. Ordo 1) *maculae,* coloris natiui mutationes; 2) *efflo-reſcentiae*, tumores humorales exigui gregales; 3) *phymata*, tumores humorales ſolitarii; 4) *excreſcentiae*, tumores a ſolidis adauctis; 5) *cyſtides*, tumores capſulati fluido referti; 6) *ectopiae*, tumores a partibus a ſua ſede dimotis.

Claſſis II. *Febres.* Pulſus frequens, fortisue viribus artuum imminutis. Ordo 1) *continuae*, quarum pyrexia ſemel creſcit ſemelque decreſcit in decurſu aegritudinis; 2) *remittentes*, quarum pyrexia pluries creſcit et decreſcit in decurſu aegritudinis; 3) *intermittentes*, quarum pyrexia pluries accedit et omnino recedit in decurſu aegritudinis.

Claſſis

Claſſis III. *Phlegmaſiae.* Concurrit pyrexia continua vel remittens cum interna inflammatione, vel cum exanthematis. Ordo 1) *exanthematicae,* eruptiones cutaneae cum pyrexia ſaepius maligna; 2) *membranaceae*, viſcera membranoſa dolent, tument cum pyrexia acuta; 3) *parenchymatoſae*, adeſt dolor obtuſus,calor et tumor in viſceribus farctis,non facciformibus cum pyrexia acuta,ſuppurationis apparatu.

Claſſis IV. *Spaſmi.* Contractio inuita conſtans vel interpolata muſculorum organis loco motiuis, non vitalibus inſeruientium. Ord. 1) *tonici partiales*, rigiditas et immobilitas artus vel organi determinati; 2) *tonici generales*, rigiditas totius fere corporis; 3) *tonici partiales*, agitatio coacta, non libera organi vel artus, eiusue motus vitioſus; 4) *tonici generales*, agitatio coacta totius fere corporis, ſenſibus ſaepe obſcuratis.

Claſſis V. *Anhelationes.* Agitatio inuita, defatigans, muſculorum pectoris, vnde reſpiratio difficilis, frequens, ſine febre acuta. Ord. 1) *ſpaſmodicae*, inſultus fugaces agitationum pectoris cum exſpiratione vel inſpiratione ſonora; 2) *oppreſſiuae* conſtantes in ipſis paroxyſmis pectoris agitationes, eaeque frequentes ac laborioſae.

Claſſis VI. *Debilitates.* Vires ſolitas in agendo exercendi impotentia. Facultates virium diſpenſatrices ſunt tres; facultas cognoſcendi, appetendi et mouendi. Ord. 1) *dyſaiſtheſiae*, debilitates ſenſuum, vt viſus, tactus, auditus ſine ſopore; 2) *anepithymiae*, debilitas vel abolitio cupiditatum, vt famis, ſitis, libidinis ſine ſopore; 3) *dyſchineſiae*, debilitas motuum in organis locomotiuis, non in vitalibus; 4) *lypopſychiae*, ſeu morbi ſyncoptici, debilitates motuum vitalium, adeoque totius corporis; 5) *comata*, ſeu morbi ſoporoſi, debilitas, omnisque ſenſus nec non phantaſiae obſcuratio, motuumque liberorum imminutio vel ſuppreſſio. Claſſis

Claſſis VII. *Dolores.* Cuiusuis experientia cognoſcendi, nulla definitione diſtincte explicabiles ſunt. Ord. 1) *Dolores vagi*, qui nomen a ſede fixa non habent; 2) *Dolores capitis*, vt oculi, oris, cranii, dentium; 3) *dolores*, thoracis, vt lateris, oeſophagi, dorſi; 4) *dolores abdominis*, vt ſtomachi, inteſtini, hepatis, etc. 5) *dolores artuum*, vt iſchias, gangraena, etc.

Claſſis VIII. *Veſaniae.* Character eſt imaginationis, iudicii, voluntatis, etc. deprauatio. Ord. 1) *hallucinationes*, errores imaginationis, ſaluo intellectu, ab organorum externorum vitio; 2) *Deliria*, errores iudicii ab imaginationis vitio, quod intellectus corrigere nequit; 3) *Moroſitates*, voluntatis et cupiditatis deprauatio in appetendo aut auerſando; 4) *anomaliae* morbi prioribus affines.

Claſſis IX. *Fluxus.* Character eſt eiectio fluidorum aut contentorum, quae quantitate, qualitate, deſuetudine notabilis eſt. Ord. 1) *ſanguifluxus*, eiectiones cruentae, vel ſanguineae vndecunque procedant; 2) *aluifluxus*, deiectiones ex ano, vel reiectiones ex oeſophago, eorum, quae in primis viis latebant; 3) *ſerifluxus*, eiectiones vrinae, lymphae, muci, lactis, puris ex aliis locis quam e primis viis; 4) *aerifluxus*, flatuum, vaporum, etc. eiectiones.

Claſſis X. *Cachexiae.* Coloris, figurae, molis in corporis habitu deprauatio. Ord. 1) *macies*, corporis partium mollium extenuatio; 2) *tumores*, corporis generalis intumeſcentia, ſeu adauctum volumen; 3) *hydropes*, partium quarundam intumeſcentia a contentis adauctis, ſapius fluidis collectis; 4) *tubera*, partium quarundam intumeſcentiae firmae; 5) *impetigines*, cutanei tumores puſtuloſi, cruſtacei, gregales; 6) *decolorationes*, coloris natiui deprauationes; 7) *anomaliae*, continent morbos prioribus affines.

Claſſis ſecundae ſynopſis

Febres. Charact. Syndromes frigoris, ſucceſſiuique caloris cum artuum debilitate et pulſus vi adaucta, ſaepe quoad frequentiam.

Ordo I. *Continuae.* Pyrexia ſemel creſcit, et ſemel decreſcit in decurſu aegritudinis. Genus 1) *ephemera*, decurſus aegritudinis intra dimidiam ſeptimanam abſoluitur. Vigor morbi ſubito accedit; 2) *ſynocha*, decurſus intra ſeptimanam, incrementum ſucceſſiuum; 3) *ſynochus*, decurſus intra duas ſaltem ſeptimanas, pyrexia maior; 4) *typhus*, decurſus ad tres ſeptimanas et vltra, pyrexia nulla, aut exigua; debilitas maxima; 5) *hectica*, decurſus vltra menſem, pyrexia exigua, debilitas parua.

Ordo II. *Remittentes.* Pyrexia pluries in decurſu morbi creſcit et decreſcit, non omnino recedit, typus ſaepe confuſus. Genus 6) *amphimerina*, remiſſio quotidianae typum ſeruat, frigus in paroxyſmis.; 7) *tritaeophia*, remiſſionis typus tertianarius, frigus fere nullum; 8) *tetartophia*, remiſſio quartanae typum ſeruans.

Ordo III. *Intermittentes.* Pyrexia pluries in decurſu aegritudinis deſerit et recurrit cum interuallis lucidis. Genus 9) *quotidiana*, acceſſus ſimiles quolibet die accidunt; 10) *tertiana*, acceſſus ſimiles alternis diebus reuertuntur; 11) *quartana*, acceſſus ſimiles, duobus interpoſitis diebus recedunt; 12) *erratica*, acceſſus ſimiles diſtantes ab inuicem pluribus quam quatuor diebus, aut typi omnino incerti.

Poſſemus quidem commode hic loci huius alteriusue generis febrium ſpecies nominare, ſed ne in his toti eſſe videamur, e claſſe ſexta eas cataractae depromere placuit. Sunt autem illae: 1) cataracta vera *Maitreian*; 2) cataracta virgata *S. Yues*; 3) cataracta purulenta *Antonii Maitreian*; 4) cataracta argyrias *Wolhouſii* et *Maucharti*; 5) cataracta cla-

uata

uata *Wolhouſii*, albula et tophus *veterum*; 6) cataracta laxata; 7) cataracta a ſynchyſi *Maucharti*; viua *Wolhouſii*; glaucoma *Heiſteri*, 8) cataracta antiglaucoma *Ant. Waitreian*; 9) cataracta glaucoma *Ant. Maitreian* 10) cataracta membranacea *Wolhouſii*, a tela *Hiſt. Acad. Pariſ.* cataracta vera *veterum*; cataracta membraneo-floccoſa *Maucharti*; 11) cataracta ſecundaria *Hoin Acad. Chirurg.*

Sequuntur nunc pauca, hinc inde excerpta, digna prae aliis viſa, quae Lectoribus tradantur. Dolores, morſus apum inſequentes, veneno acido corroſiuo, cum aculeo vulneri immiſſo Cl. Auctor tribuit, qui aculeos, vrticae vrenti inſidentes, pariter ſucco venenato plenos eſſe adſerit; ſyrones autem pro veris inſectis intra manuum pedumque cutem ſe inſinuantibus, eandemque in puſtulas pruriginoſas attollentibus, habet. In pernionibus acrimonia alcalina accuſanda eſt, vnde optumum remedium ſpiritus ſalis eſt. T. II. P. I. p. 22.

Vidit Cl. Auctor aegrum vehementioribus capitis doloribus ac febre alternis diebus diuexatum, quem iteratus quotidie bellici tympani ſonus ita ſubleuauit, vt vel huius aliorumque auxiliorum ope perfecte conualuerit. p. 249.

Malignus Noſtro dicitur morbus, qui cum ſpontanea virium proſtratione inuadit, et cuius ſymptomata nec ſtadiis morbi, nec ſignis externis v. c calori reſpondent. In febre caſtrenſi hungarica inter alia medicamenta, putredini humorumque diſſolutioni reſiſtentia, ſequens commendatur iulapium: Rec. Fol. ruth. ſcord. an. Mij. cort. citr. vnc. ij. ſucc. citr. vnc. iij. aut acet, vin. vnc. ſemiſſ. aqu. com. lib. iv. liquori filtrato miſc. rob. ſambuc. vnc. iv. aqu. ſtillat. cinnam. vnc. j. bibat aeger vnc. j. quauis hora de die et noctu, niſi ſomnus impediuerit. In hectica ſcrophuloſa vſus aquae marinae proficuus iudicatur. p. 252.

In hemitritaei diſquiſitione bene monet Noſter, quod ex ſola pulſus frequentia non debeat iudicari, vtrum febris intermittens vel remittens adſit, et quod, vbi grauiora vrgeant poſt paroxyſmum ſymptomata, aut vires depreſſae remaneant, ad praeſentiam febris minime intermittentis concludendum ſit, quantumuis pulſus non amplius frequens tangatur. Malignitatem in morbis admittit Cl. Auctor, eamque per ſummam nocendi facultatem a ſolis principiis, phyſicis, neutiquam mechanicis dependentem definit. Curatio intermittentium duplex, alia nempe palliatiua, alia radicalis eſt. Illa raro, niſi radicalis praegreſſa fuerit, locum habet, interim tamen adhibenda eſt, vbi neceſſitas poſtulat, id quod narcoticis cortici peruuiano adiectis obtinetur. Venaeſectionem in aeſtu febrili inſtituere, catharctica immediate poſt aeſtum ingerere, corticem vero peruuianum tempore intercalari propinare Noſter praecipit, qui ſemina paſtinacae ad drachmam ſumta, teſtas autem ouorum calcinatas et in puluere bis vel ter per diem ad ſemidrachmam ingeſtas febres feliciter profligaſſe expertus eſt. Tertiana, venae ſectione et catharcticis praemiſſis, cortice peruuiano propellitur, qui, quamdiu febris ſaeuit, extra paroxyſmum quarta quauis hora diu noctuque ad drachmam vnam in ſubſtantia adſumendus, vbi vero febris iam ceſſauit, per ſeptem dies bis in die, et tunc per alios ſeptem adhuc dies, ſemel, aut alternis ſaltem diebus deglutiendus eſt. Huic in quartana, cum aeger ſenex et pituitoſus, aut ſummum in acceſſu frigus eſt, guttae aliquot elixirii proprietatis, vel pauca grana ſalis ammoniaci, vel theriacae recentis admiſcenda ſunt.

p. 371. Optumo iure Cl. Auctor optat, vt a mortis periculo, quod variolae inferunt, miſeri infantes inſitionis ope liberentur, meritoque miratur, quod vel hodienum adhuc ſint, qui de felici hoc euentu dubitent,

bitent, quum experientia compertum ſit, vix e trecentis aut quingentis, quinimo millenis, inſitionem admittentibus, vnum tolli, eorum vero, quibus ſpontaneae variolae ſuperueniunt, ex Cl. IURINI calculo vix ſeptimum ſeruari. Curationem diſcretarum malignarum et confluentium ita inſtituit Noſter, vt ante eruptionem ſemel vel bis venam pertundat, poſt emeticum et, ſi eruptio non vrgeat, catharcticum exhibeat. His praemiſſis ptiſanam, in calidis temperamentis ſpiritu vitrioli impraegnandam, ordinat. Poſt eruptionem vero veſpere ſyrupum papaueris albi propinat, quem in confluentibus vel et mane, et ſi phrenitis imminet, in magna doſi, in infantibus autem parcius ingerit. Iſchuriam ſuperuenientem obambulatione diſſipat, viſcidiorem vero ſaliuam gargariſmate ex aqua hordei cum melle diluit. Soporem veſicatorio in nucha, aut allio plantis pedum applicato profligat.

In amphimerina ſecundaria, vndecima die vtplurimum ſuperueniente, ſi mors imminere videatur, venae ſectionem in pede inſtituit, in ſequentibus diebus reiterandam, poſt catarcticum, imo ſi vires patiantur, vomitorium exhibet, nec paregorica omittit. Vbi puſtulae exareſcunt, per biduum faciem pomata, quae oleum amygdalarum excepit, inungit, oculis autem iisdem conſpurcatis, ipſisque palpebris inſigniter tumentibus, infuſione croci in aqua roſarum intra palpebras immiſſa proſpicit. Balnea in cacochymicis, et vbi metus eſt, ne malignae variolae progerminent, diſſuadet. In aphthis, quae virtute antialcalina pollent, vt acida, vel edulcorantia ſanguinemque depurantia commendat. p.429.

In phlegmaſiarum membranoſarum examine Ill. HALLERO, membranis ſenſum deneganti, non modo contradicit, ſed et inflammatas eas acerrime dolere adſerit, et ad experimenta in viuis animalibus capta

D 3 pro-

prouocat. In pleuritide putrida, miſſo ſemel vel bis ſanguine, praemiſſoque enemate, leue emeticum, cum guttis aliquot ſyrupi Glauberiani, duabusque mannae vnciis, optumo cum ſucceſſu exhibet, eodemque remedio non minori cum fructu in peripneumonia putrida vtitur.

T. II. P. II. p. 85. Viro, qui ad ſitim extinguendam baccas coriariae comedit, ſuperueniunt poſt horae quadrantem, cardialgia, vertigo, conuulſiones, ſenſuum abolitio, facies liuida, et horum omnium ſequax comes, mors. Aperto cadauere, exiguae in tunica villoſa ſtomachi maculae rubrae et vndecim baccae comparuerunt. Sanguis fluidiſſimus. Idem triſte fatum ſex alii diuerſae aetatis homines experti ſunt. In baccis, nec guſtu, nec ipſa chemica analyſi, aliquid acris aut corroſiui deprehenſum eſt. In tuſſi

p. 156. conuulſiua, Gallis *Coqueluche* dicta, ſpecifice laudantur lichen pyxidatus in lacte coctus, ſaccharum ſaturni ad grana duo vel tria, cortex peruuianus parua doſi propinatus, et ſuccus pulegii. Vapores mephytidum, vini fermenteſcentis et cellarum diu clauſarum, non tam orthopnoeam, ac illi ſulphuris, vitrioli etc quin potius aſphyxiam excitant, qua homines fulmine quaſi tacti ſubito extinguuntur.

p. 362. Teſtatur Cl. Auctor, ſe vidiſſe, qui electriſati ſenſum motumque recuperarint, a multis retro annis penitus ſubflaminatos. Hemiplegia ex epilepſia, vtut inſanabilis, ita tamen pernicioſa non eſt, atque illa, cui conuulſiones ſuperueniunt, ſiquidem haec interitum non procul abſentem praenuntiat. Hemiplegia arthritica adfectis primae electriſationes viſcoſum ex digitis adfectis ſudorem eliciunt, febrem praeſentem compeſcunt, ſomnum arceſſunt, ſenſimque cuiuis digito atque manui flexibilitatem et ſenſibilitatem reſtituunt.

Vir

Vir, qui a multis annis vlcera venerea paſſus erat, gonorrhoea virulenta inconſulte repreſſa, ipſaque ſaliuatione fruſtra adhibita, in paraplegiam incompletam incidit, quae poſt ſemicupium, ex aqua liquore ſaturni dealbata vſurpatum, perfecta euaſit. Tentauit Cl. Auctor in hoc aegro per duos menſes vſum mercurii ſublimati corroſiui a SWIETENIO collaudatum, ſed fruſtra. Aſphyxiam, quin ipſam etiam mortem eorum, qui in cupis, in quibus muſtum fermenteſcit, enecantur, a fluidi neruei electricitate ſuſpenſa, adeoque omni actiuitate extincta Noſter deducit, optumumque hoc in caſu eſſe adſerit, ſi extracti et aeri frigido expoſiti, frigida prius in facie conſpergantur, atque ſpirituoſis deinceps excitentur. Idem auxilii genus etiam praeſtandum foricariis eſt, qui quam primum cruſtam, ſtercori foetidiſſimo in foricis ſupernatare ſolitam, incautius rumpunt, illico tamquam mortui et aſphyctici concidunt, cum apud Mutinenſes non aſphyxiam, quod mirum eſt, ſed amauroſin contrahant. Inter alias catalepticorum hiſtorias lectu vtique dignas, praeſertim legi meretur, quam de puella Cl. Auctor refert, cui poſt varia per aliquot annos fruſtra adhibita remedia, tandem catameniorum proruptio ſanitatem attulit. Carus nyſtagmus, a nemine adhuc deſcriptus, bis a Noſtro obſeruatus eſt. Ille nimirum is eſt, qui ſubito hominem corripit, omnem ſenſum motumque artuum ſufflaminat, pulſu et reſpiratione pacatiſſimis, cum nictitatione veloci et continuâ ciliorum. p. 374.

Doloris nomine non tantum viuidam illam ſenſationem, a neruearum fibrarum diſtractione oriundam, Cl Auctor intelligit, ſed omne id, quod moleſte animam adficit, angit, vexat, ex corporis diſpoſitione oriundum; frigus itaque, anxietatem etc. doloribus accenſet. In odontalgia obſeruat, quod, T. III. P. I. p. 5.

 ſi dens

ſi dens cariem admiſerit, ſequenti anno, caries dentis, in latere oppoſito ipſi reſpondentis, ſit expectanda. In odontalgia ſcorbutica ſuccum limonum vel aurantiorum ceteris anteponit, foliaque cochleariae, ſyſimbrii aquatici, et acetoſae ſaepius maſticanda commendat.

p.165. Inter lithontriptica vſitatiora laudantur: 1) aqua calcis oſtreorum per menſes et annos haurienda, quae vt Noſter obſeruauit, laudabiles effectus praeſtitit; 2) ſapo albus, qui, ſi quotidie ad ſemiunciam deglutitur, dolorem ſaepius compeſcit, ipſumque calculum lente diſſoluit; 3) infuſum vuae vrſi, quod calculos friabiles, granulatos diſſoluto glutine in fragmenta minora diffringit, ſed ſine cautela adſumtum dyſuriam excitat, et calculi tamen molem vix imminuit, licet maxumam lutulentae vrinae copiam
p.388. vt infuſum parietariae exturbet. Melancholia errabunda, rariſſima melancholiae ſpecie, mulier ſeptuagenaria Monſpelienſis epileptica, a tribus annis iam laborat, ex quo ad epilepſiam profligandam per triduum magna doſi hepatis lupini exſiccati vſa eſt.

T. III. Sputum ſanguinis, eruptionem puſtularum in va-
P. II. riolis confluentibus praecedens, vt certum mortis in-
p. 27. ſecuturae ſignum Cl. Auctor conſiderat, ipſique, quum a ſanguinis diſſolutione proficiſcatur, potum adſtringentem, ſpiritu vitrioli ad gratam aciditatem ſaturatum, opponit. In vulneribus thoracis ſuaſor eſt, vt vulnus non ſemper apertum ſeruetur, ne aeger aut ſuffocetur, aut in grauiorem inflammationem incidat, illud tamen ſemper clauſum tenere prohibet, via enim cruori effuſo praecluſa, hic in cauo thoracis accumulatus aut aegrum ſuffocat, aut putreſcendo mortem maturat.

p.115. Ad vomitum marinum arcendum ſuadet vt 1) aegri ſupra pontem degant 2) in loco a puppi et prora aequidiſtanti 3) laute manducent 4) decum-

bant

bant potius quam pedibus inſiſtant. Diarrhoea variolis confluentibus ſuperueniens ſaluberrima, ideoque minime reprimenda eſt. Si diarrhoea in variolis diſcretis ante eruptionem accedit, illa a ſaburra primarum viarum proficiſcitur, et rhabarbarinis et abſorbentibus promouenda eſt, at vero eruptionem ſi ſequitur, vt inſalubris ſummeque nociua diaſcordio, theriaca aliisque compeſcenda.

Flatulentiae hypochondriacae obnoxios, poſt catharcticorum adſtringentium, vt rhei, vſum, inſanabiles euadere Cl. Auctor adſerit, effectumque hunc infauſtum alui conſtipationi, abhinc oriri ſolitae, adſcribit. p.241.

Chirurgus, quem quartana diu male habuit, toto corpore, cum pallore intumuit. Tumor in quibusdam locis erat oedematoſus, in facie vero, pectore, manibus atque ſuris emphyſematoſus ſimul et elaſticus. Poſt varia remedia incaſſum tentata electriſatio quater inſtituta id effecit, vt vires, ſomnum, colorem, ſanitatemque perfectam aeger recuperaret. p.295.

Anaſarcam, quin ipſum etiam aſcitem a ſcabie retropulſa oriundum, induta ſcabioſa tunica, abindeque ſcabie reſtituta, ſanatum vidit Cl. Auctor, qui, ſi vnquam, in hoc caſu forte profutura ſudorifera exiſtimat. Fluidum hydropicorum, paracentheſi eductum, ad ignem more albuminis ouorum concreſcere adſerit, id vero non ſemper ita fieri, experti confitemur. Inſignem illam in eradicando cancro cicutae potentiam, vel Monſpelii non modo non tantam, ac Cl. STOERK celebrat, quin etiam nullam fuiſſe Cl. Auctor affirmat, qui ab atropa, belladonna foliisque phytolaccae plus ſibi promittit. p.337.

VIII.

Kongl. Vetenſkaps Academiens Handlingar fo̊r År 1761. Vol. XXII. Med Kongl. Academiens Tilſtånd Trickt i Stockholm hos Direckt. Lars Salvius på des egen Koſtnad. 1761. 8 mai. plag. 20½ tab. aen. 7.

h. e.

Acta Acad. Reg. Scient. Suecicae An. 1761.

Trimeſtre primum.

1) IO. CAR. WILCKE *de figurarum niuis varietate*
agit. Vt illis ſimiles arte produceret, vſus eſt bul-
lis, ex aqua, ſaponibus admixtis viſcida, quas ex
tubo, quo mediante inflatae erant, pendentes con-
gelari paſſus eſt. Ita vero vidit ſub initium conge-
lationis ſuperficiem bullae radiis, velut floribus gla-
cialibus, obduci. Poſt velut ſtellae quatuor ſingulae
radiorum apparent, tandem vulgares, ſex radiorum,
angulos 60 gr. continentium. Ex radiis principali-
bus laterales emergunt, ſicque paullatim contextus
oritur, in quo ſtellae figura oculo non ſatis attento
diſpareat, aut in hexagonum regulare abeat. Mul-
tum vero ad rem facit conditio ſaponum aut ſalium,
quae in mixtura, vnde facta eſt bulla, continentur.
Primariam vero cauſam figurarum harum omnium
p. 12. eiusdem generis, niſi quod ob circumſtantias acciden-
tales differant, ſtatuit eam aquae proprietatem, qua
dum in glaciem abit, certis ſub angulis particulae gla-
p. 13. ciales ad ſe mutuo inclinantur. Deinde memoratu
digniores figuras niuis naturalis, quas videt, deſcri-
bit, et in claſſes diſpertitur.

2) PETR.

2) PETR. KALM. *Hyemis, quae annum* 1760 *finiuit, et* 1761 *inchoauit, effectus in plantas* deſcribit. Seuerior, vt notum eſt, fuit haec hyems, ipſamque anni 1709 ſuperauit, niſi quod breuiori tempore regnauerit. Noſter primo meteorologicas obſeruationes, tum ad hanc hyemem, tum ad alios annos pertinentes exhibet, inter quas eſt calor ipſi obſeruatus, d. 22 Iun. 1757 h. 3 p. m. graduum 32 therm. Suecici, maximus, quem per octo annos his obſeruationibus incumbens vidit. Plantarum tres claſſes facit, indigenarum Finniae, earum, quae adhuc in hortis coluntur, et earum, quas ex ſeminibus, quae ex America ſeptentrionali ſecum tulerat, educauit. Ad primam claſſem pertinet fraxinus excelſior omnium fere arborum Finnicarum frigoris maxime impatiens. Nam magnae arbores, altitudinis pedum 18, etiam quae tutamen habuerunt, a borea perierunt, paucis ſaltim ſuperſtitibus; quarum altitudo pedes ſex non exceſſit, eae, quantum extra niuem prominuerant, interierunt, ſed quae pars niue tecta fuerat, aeſtate ſequente ſtolones protruſit. Similia fere reliquis arboribus acciderunt. Ceterum reliquis annis, nouem vero Noſter ibi plantandis etiam fraxinis occupatus fuit, nunquam hanc arborem ab hyeme laeſam vidit. Tota enumeratio iis vtiliſſima eſt, qui, quare plantae hyemes Finnicas tolerent, ſcire geſtiunt. Moro albae non plane intolerabilem fuiſſe hanc hyemem docet Noſter; ribes varii generis nil ab illa ſenſerunt.

p. 19.
p. 22.
p. 29.

3) *Quomodo ceſſerit ſatio ope machinae cuiusdam peracta*, narrat CAR. IO. CRONSTAET. Machina eſt, quam CHATEAUVIEUX inuenit, et DU HAMEL in tr. *de la Culture des terres* Voll. III et IV deſcripſit. Etſi euentus oſtenderit ita meſſes valde augeri, de vtilitate tamen machinae, inprimis noui illius modi agrum colendi, quem DU

p. 41.
p. 48.

HAMEL

HAMEL propoſuit, nihil ſtatuit Noſter, antequam experimenta plurium annorum oſtenderint, num fructibus his incommoda ex mutato omnino agrum colendi modo naſcitura penſentur.

p. 50. 4) *Tentamina de Muſcis* (*Moſſars*) *exſtirpandis*, Auctore LAUR. WOLF. ROTHOF. Foſſis aquae abducendae diſſecuit agrum, et varia terrea, vt arenam, calcem, argillam intulit, quorum ſingulorum qui effectus fuerit, enarrat. Ceſpes ex foſſis extractus, vbi in humum dilapſus eſt, quas-
p. 53. dam plantas, ex plurimis immiſſis feliciter nutriuit, vt linum, ſecale, piſa, fabas, cepas etc.

5) *Inſulam Ferdinando Noronho*, vt 1760 illam
p. 55. vidit, deſcribit. CAR. GUST. EKEBERG. Braſiliae vicina eſt, lat. gr. 3 min. 47 long. 31 gr. 6 min. occidentalior Londino. Luſitani illam inprimis militibus praeſidiariis tenent, quos ſaepius mutant.
p. 60. Calor ſolis ventis temperatur; tum ſaltim cum ſol bis quotannis vertici imminet, frequentiores ſunt
p. 64. imbres. Itaque ſaluberrimus eſt aer, et ſeſquianno non niſi duo incolarum ex ſexcentis, ſed ſolum maribus, feminis enim inſula interdicta eſt, mortui ſunt, qui ſub dio dormiuerunt, et ſubito refrigerati, dyſenteriam cruentam ſibi concitarunt. Inſula omnibus naturae donis abundans, optime coli poſſet, ſi perpetuis et agro colendo deditis incolis traderetur-

6) *Superfoetationis* caſus aliquot enarrat. IO.
p. 69. GUST WAHLBOM. Primus eſt feminae, ſecundo partu difficili labore filium viuum et perfectum enixae, ſecundinas vero ſequutus eſt embryo mortuus 3 vel 4 menſium, membranis propriis incluſus, ſed ita alterius membranis adnatis, vt in duplicatura amnii et chorii

ſitus

ſitus videretur. Funiculus vmbilicalis venarum aliquot craſſiorum ſpeciem habebat, per chorion ad placentam adſcendens. Num propria placenta gauiſus ſit, ab alterius placenta ſeparabili examinare Noſter non potuit. Putrefactionis ſignum nullum, ſed caput compreſſum, vt monetae cuiusdam craſſitiem, ſaltim haberet, corpus quoque intortum. Alia femina poſt puellam perfectam, viuacem, foetum, qualis ſex menſium eſſe ſolet, edidit, qui in quintum diem vixit, ſed non niſi duas aut tres guttas lactis materni ſugere potuit, quoties vberibus admoueretur. Matrem praegnantem maritus peregre profectus reliquit, poſt tres menſes rediit, vbi ſecunda vice impraegnatam ſe femina credidit, quod aetate foetus tenerioris confirmatur. Dubio, gemellos fuiſſe, quorum vnus, ab altero oppreſſus, non ſatis creuerit, reſpondet: gemellorum ſingulus ſuo funiculo, ſuaque placenta nutriri, ſimilique argumento ſuſpicionem formari poſſe, vnicum embryonem matris debilioris, nouem ſuis menſibus non ſatis incrementi habiturum, cuius tamen exemplum nullum proſtat. Eos, qui aſſerunt, mortuum infantem diu in vtero iacuiſſe, donec cum altero viuo protruderetur, conceſſa etiam rei poſſibilitate, ſecundo caſum quos edidit, ſatis refutari exiſtimat, vbi vterque infans viuus prodiit. Exempla vero foetuum perfectorum ſecundorum, plurimis ſeptimanis poſt primos editorum, cum ſuis comparans, foetum ſecundo genitum, cum contigit, vt placenta eius ſenioris placentae accreſcat, nimis cito cum eo propelli, hicque abortum fieri infert, cum alias diutius in vtero degens matureſcere potuiſſet. Igitur obſtetrices monet, ne, vbicunque duos foetus ſentiunt, gemellos exiſtiment, ſicque arte ſua, teneriorem, quem in vtero relinquere debebant, protrahentes, interimant. Euenit vero vtroque caſuum, quos Noſter enarrat,

p. 70.

p. 72.

p. 74.

vt iu-

vt iunior foetus primo ſe obſtetrici obtulerit, doloribus vero increſcentibus loco pulſus a fratre ſeniore fuerit, eumque primo prodire permiſerit.

p. 77. 7) *Suam methodum, qua ex cupro in fodina Aedelforns commode aurum elicit*, deſcribit: ANDR. SWAB.

p. 79. 8) *Quomodo arbores iuniores hyeme a muribus defendendae ſint, ramuſculi inſititii aeſtate a ſolis calore* docet I. A. HELDENHIELM. Segmentum corticis betulae, aquae calidae ope curuatum, arbori prope radicem bis circumplicatur, quo efficitur, vt mures nunquam illam arrodant, cortex vero creſcenti arbori cedit. Eodem cortice circumpoſito ramuſculos inſititios tuetur. Talpis fugandis lupinus ſylueſtris commendatur in CHOMELII lexico oeconomico. Noſter multa olim in horto ſuo a talpis paſſus, tribus annis, quibus lupinum ſylueſtrem ibi coluit, nullam vidit.

p. 81. 9) *Addit quaedam praecedentibus* E. G. LIDBECK. Corticis velamento addi poſſe cenſet picem liquidam arbori illitam, qua formicae ne aſcendant
p. 82. impediuntur. De talpis monet, recentiorum aliquos ſtatuere, illas non vegetabilibus, ſed animalibus ſubterraneis veſci. Lupinorum effectum aliis experimentis examinandum cenſet, cum quaedam illorum ſpecies inodorae ſint, lutea bene oleat, ſicque non ingrata futura animanti videatur. Sed coriandrum, cuius dum viret, caulis, folia, et ſemina, foetorem cimicum ſpargunt, talpis inimicum obſeruauit, illo ad fugandas talpas feliciter vſus eſt exper-
p. 83. tus. Dubitat vero, an talpa radices aut cortices arrodat, cum dentes ipſi non ſint rodentes, neque ad glires Linnaeanas ſpectent; ſed hoc rattis aqua-

ticis tribuit, qui etiam cumulos, talparum cumulis ſimiles, eiiciunt poſt diem Bartholomaei, quos ſi forte deſtruxeris, ſtatim reſtaurant, incertum, an quod diem timeant, an quod frigus. Eosdem vel plantando coriandrum expulit, vel pecuriari aliqua machina, in qua apii dulcis radix recondita erat, magna copia coepit.

10) *Ex diario Acad. R. Excerpta.* Praemia aurea Sparreana duo cum quotannis daturam ſe obſtrinxerit Academia, tria hoc anno diſpertita eſt. KLINGENSTIERNA, eminenti Mathematico, Cancellariae Conſiliario, et Principis Regii Informatori, ob commentationem de lucis aberratione in ſuperficiebus ſphaericis, et lentibus. ROSENIO, Archiatro, et ſtellae polaris equiti, ob diſſertationem de vermibus inprimis de taenia, quod in ea nouum et experimentis firmatum remedium edidit. SCHEFFERO, Directori, iam fatis functo, quod in diſſertatione, qua factitii metalli *Pinſchbeck.* compoſitionem oſtendit, varia vtilia ad cupri liquationem pertinentia docuerit. Praeterea vero duabus quaeſtionibus certis ſoluendis Academia quotannis iam bina praemia proponit, ſingula vni Sparreanorum aequalia. Hoc quidem anno, quaerit, 1) de cauſis muſcorum in pratis, et modo illorum prouentui obuiam eundi; 2) Cur arthritis recentius in Suecia frequentior ſit, et quibus remediis praecaueri aut tolli poſſit. p. 84.

Trimeſtre ſecundum.

1) WILKIUS telam, quam trimeſtri ſuperiori exorſus erat, pertexturus, de varietate figurarum niuis naturalis agit. Cauſam illarum repetit a vaporibus aqueis, nota lege in radios angulis 60 gr. inclinatos congelantibus, quibus radiis forte alii vapores poſtea adhaerent, vnde irregularitas ſi qua eſt figura- p. 87. p. 82.

figurarum. Memoratu dignum eſt experimentum, quod Noſter aerem ex aqua dum conglaciatur, ex-
p. 96. primi monſtrat. Notum eſt, aqua in vaſe quodam in glaciem abeunte, extremam ſuperficiem primo indureſcere, et reſtare in medio velut nucleum quendam aqueum, bullis aereis plenum, quae tandem coeuntes et expanſae ſuperficiem glaciei alicubi diffringunt. WILKIUS igitur in vaſe cupreo aquam coctam conglaciari paſſus eſt, quae, cum multo minus aeris quam frigida hauſta, contineret, cortice glaciali multo craſſiore obducta eſt. Illum perforauit, donec ad nucleum quem diximus aqueum perueniret. Tunc vero, aperto foramine, ſubito aqua ex eo aliquot pedum altitudinem proſiluit, indicio, ab aere, in illum locum ex glacie velut expreſſo, proiici. Hinc conſilium cepit, quam primum prima lamina glaciali aqua tegi inciperet, illam perforandi, et ſiphunculo aquam prorumpentem auferendi. Interdum integram lagenam aqua ſic hauſta repleuit, nullo in loco vnde hauſta erat vacuo conſpicuo, quoniam ſcilicet aer ex glacie rurſus in aquam eo loco contentam, intrauerat. Ita aeri ex glacie exituro via aperitur, efficiturque, vt glacies naſcatur illis experimentis idonea, in quibus pura et ſine bullis aereis deſideratur. Nucleus vero ille aqueus vix in ſolidam et perſpicuam glaciem abit, ſed vel innumeris bullis aereis plenus indureſcit, vel in plurimas laminas glaciales diuerſi poſitus et variae magnitudinis abit, inter quas liquida aqua fluit, indicio, aquam, quae plus aeris, quam in naturali ſtatu continere ſolet, recepit, plerumque in laminas conglaciari; vaporum vero aereorum in aere pendulorum idem fere ſtatus eſt, vnde, cur figurae niuis non gibbae, ſed lamelliformes ſint, intelligitur. Varietatem vero figurarum niuis ſatis
p. 111. vero ſimiliter ex lege illa congelationis, quam ante dixi-

diximus, additis iis, quae poſſunt naſcenti niui aut cadenti accidere, explicat.

2) DE GEER *Voluocem globoſum* LINN. Syſt. Nat. Ed. X. p. 820. no. 1. deſcribit. Animal eſt quod ROESELIUS *Inſ. Bel.* T. 3 p. 617 tab. 101 fig. 123. *Kugelthier* appellauit. Noſter vidit grauidas foetubus ipſis grauidis. Id, ante eum, ROESELIUS iam viderat, qui praeterea in his foetuum foetubus alios rurſus embryones, et in his rurſus alios, quod quidem Noſtro non contigit. Sed parere hic vidit matrem octo embryones, vnum poſt alterum per rimam in cute matris, incertam, quomodo orta ſit, prodeuntes, ſtatimque matrem relinquentes, quae, poſtquam omnes peperit, flaueſcit, motum amittit, in membranam rugoſam abit, ſicque cum nunc peregit id, cuius cauſa creata erat, moritur. p. 111. p. 115.

3) *Experimenta cum aqua martiali fluuii* Rio Tinto Hiſpanici (*Andaluſiae*) inſtituta recenſet PETR. IONAS BERGIUS. Aqua ab Hiſpanis multis in morbis ſalubris, inprimis hydropem pellens, praedicatur. Eius magnam ſatis copiam obtinuit Noſter, et conſuetis docimaſiis, ferro copioſius, quauis alia re, impraegnatam, cupro omnino vacuam, praeterea acido minerali fixo, et pauculo ſalis communis foetam, reperit. Sapor maxime nauſeoſus, ac ſi atramentum guſtares. Eſt etiam aqua haec atramento conficiendo, quauis alia vitrioli ſolutione magis idonea. Iam igitur vidit, tuto praeberi poſſe hydropicis, etſi ingratiſſimum remedium futurum proſpexit, inprimis ad vomitum pronis, ſed meminit, quoque emetica aliquando prodeſſe in hydrope, et a ferro admixto roboratum iri partes iuſto debiliores exſpectauit. Eius rei primum experimentum cepit in femina, aetatis inter 30 et 40 annos mediae, quae p. 117. p. 119. p. 120.

poſt febrem, remedio quodam domeſtico vt vocant pulſam, hydropis initia ſentiebat, aqua in abdomine, cum premeretur, fluctuante, et vrina impedita, reſpiratione difficili. Haec, menſura, (*Kanna* cuius quantitas ex eo circiter aeſtimari poteſt, quod quarta eius pars pondus 2c$\frac{3}{4}$ ſemunciarum Suecicarum habeat,) aquae dictae paullatim ſumta, ſanata eſt. Idem contigit alii viro, aetat. 40 annor. et feminae 30 annorum, a menſibus obſtructis tumenti. Vrina inde copioſius fluxit, menſesque redierunt. Sed alius vir, cui tumor ex pedibus in ventrem inde ab 8 diebus adſcenderat, diarrhoeam quidem, qua ſimul vehementer laborabat, ab aqua ſiſti, expertus eſt nullum vero contra tumorem auxilium inde cepit. Vltimo adhibita eſt in viro, qui diu hydrope laborauerat, variis remediis fruſtra tentatis, is, tribus menſuris paullatim ſumtis, omnino fere detumuit, vt ſpes optima eſſet, ſanitatem recuperaturum eſſe. Sed congeſtum rurſus in abdomine et artubus inferioribus liquorem, fruſtra redeundo ad illum potum expellere tentauit, nec aliis rebus ſeruari a morte
p.125. potuit. Erant autem in illo viſcerum inde a longo tempore obſtructorum manifeſta indicia, quod malum forte tolli aqua Hiſpanica non potuit. In reliquis caſibus, cur res aliquando ex voto ſucceſſerit, aliquando non, Noſter explicare non audet; exigua copia, quam habebat, aquae, ad ſat multa tentamina non ſufficiente. Quod ingratum erat in ſapore aquae, ipſa conſuetudo paullatim vicerat. De ipſa
p.126. aqua ex manuſcripto fide digno, Doct. DON BENTURA YGNAZIO MATHAMOROS Y FIRADO vrbis Zalamea la Real et operarum metallicarum, quae *Aracenas* et *Rio Tinto* vocantur, medici, huc refert Noſter. Prope montes, quos nominauimus metalliferos, (quo vero metallo foeti ſunt, non indicatur) ſeptem fonticuli prorumpunt aquam, vt creditur,

ditur, continentes, quae per venas metallicas ad radices montium illorum tranſierat. Hi fonticuli iuncti riuulum mediocrem efficiunt, cuius aquae ſub initium vis, quam diximus, ineſt, ſcilicet hydropi, inprimis ſpeciebus eius, quae tympanites et anaſarca appellantur, dummodo non nimis altas radices morbus egerit. Vermes etiam occidit, et eiicit e corpore humano, tum planos, tum teretes; idoneum quoque in morbis chronicis emeticum. Poſt accedit alius riuulus *Rio Hudiel*, aquam vehens obſcure viridem aceſcentem, et ſaporis adeo ingrati, vt vix interne ſumatur, ſed exterius contra herpeten et varia exanthemata adhibeatur. Iuncti riuuli fluuium ſatis magnum efficiunt, qui ad vrbem Palos mari atlantico commiſcetur.

4) *Narrationem de frigoris intenſi* 1759, 1760 *in plantas effectu* continuat P. KALM. Orditur ab iis, quas ex ſeminibus Americae borealis educauerat. Egregie tolerauit frigus nux iuglans alba; eae ſolae damnum ſed leue paſſae ſunt, quibus, vt in altum magis creſcerent, plurimos ramos vere praecedente demſerat. Similiter plantae Americae borealis pleraeque frigus multo melius tolerarunt Suecicis indigenis. His generalia quaedam ex praecedentibus deducta ſubiungit Noſter, non tam frigus ſeuerum continuum obeſſe arboribus, quam temperiem hyemis mitiorem, ſeueriori intermixtam, et gelu Aprili menſe, quo ver incipit in Suecia, rediens. Transplantatione, foliis ab inſectis aeſtate praecedente deuoratis, ramorum amputatione, frigori tolerando arbores debiliores reddi. Maxime prodeſſe tutamen a ventis borealibus. Quorum ſemina oſſe teguntur, frigus minus poſſe ferre.

p. 129.

p. 141.

p. 143. 5) *Obſeruationes tranſitus Veneris per Solem d. 6 Iun.* 1761 *in Suecia inſtitutas* recenſet WARGENTIN.

Trimeſtre tertium.

p. 167. 1) *De Veneris ſub ſole tranſitu* agit P. WARGENTIN.

p. 180. 2) *Tornenſes Veneris ſub Sole obſeruationes* edit ANDR. HELLANT.

p. 184. 3) *De piſcibus in lacubus mediterraneis plantandis* agit CAR. FRID. LUND, Senator Lincöpenſis. Profundiores Sueciae lacus piſces continere narrat ſaporis melioris, cum illorum lacuum fundus plerumque ſit petroſus et aqua limpida, ſed parcius in illis piſces augeri, quia oua ob ripas profundiores a ſole ſatis maturari non poſſint. Eſſe enim excludendo ex ouis embryoni piſcis etiam neceſſarium calorem, inde colligit: quia piſces generi propagando operam daturos, littora et aquas minus profundas quaerere, ipſa prouidentia creatoris iuſſerit. Hinc parum prodeſſe credit, etſi capi piſces, dum propagationi intenti ſunt, prohibeantur, et hanc prohi-
p. 190. bitionem vix in effectum deduci poſſe. Suadet igitur, vt piſcibus, quo propagationi operam dent, capiendis, receptacula ex aſſeribus praeparentur, ſuperius clauſa, ramis abietinis obducta. Illa ingrediuntur piſces, et oua ſemenque immittunt, capiuntur etiam, et eadem ex illis exprimuntur, et ramis abietinis imponuntur, deinceps receptaculorum parietes, quos volubiles eſſe oportet, aperiantur, vt rami latius explicentur. Ita captis foetubus ſuis ramis veſci licet, embryones vero tantum non omnes in lucem prodeunt, cum alias, ſi a capiendis piſcibus

abſti-

abſtineatur, ceterum illis ipſis propagationis negotium totum permittatur, embryones plurimi in fundo lacuum ob caloris defectum pereant, aut piſcibus aliis auibusque in eſcam cedant, vt vix decima pars vitalis ſit. Quot ouorum piſces contineant, in variis examinauit, granum medicum ouorum ponderando, et hinc computando, quot oua ſint, cum omnium iunctorum pondus noſſet. Simul piſces ipſos ponderauit, et aetatem illorum, methodo HEDERSTRÖMII in Act Acad. 1759 indicata, ex vertebrarum annulis aeſtimauit. Ita in lucio, marcarum 34, aetatis annor. 16, ſemuncias ouorum 108 reperit, oua vero computauit 272160. Variat vero hic numerus in piſcibus eiusdem generis et aetatis. Ceterum, iu piſcibus ita plantandis obuiam ire credit illis, qui deſtruendos in lacubus mediterraneis ob voracitatem lucios exiſtimant. p.196.

4) *Lapides aedificiis ſtruendis commodi, vbi in Suecia reperiantur,* indicat, *ſimulque calcis in fornacibus, ferri minerae liquendae deſtinatis,* (*Hohe Oefen*) *vſtae experimentum adfert* A. I. CRONSTEDT. Inter alia notat, fruſtra lapides quosdam naturales, quoniam humida aeris temperie madeant, lateribus factitiis poſtponi. Id enim inde eſſe, quod vapores externae ſuperficiei lapidum illorum ſaltim adhaereant, laterum contra interiora penetrent. Cogitare vero etiam debebat, quosdam lapides ſalibus fetos ab humido aereo ſolui et dehiſcere. Scoriae inprimis, quae dum ferrum eliquatur, effluunt, vtiliter formis ac modulis immittuntur, vt in aedificiis ſtruendis lapidum vice fungi poſſint. Calcis in furno, qualem *altum* metallis liquandis occupati vocant, arendae, vnicum experimentum, imperfectius, quod imitari et excolere alii poſſint, recenſet. p.197. p.202. p.205.

p.209. 5) *Auctarium* diſſertationi praecedenti addit ANT. V. SWAB. Experimentum parietum domus, Fahluni ex calce arenae et ſcoriis comminutis mixta exſtructorum, nullis columnis ligneis interiectis, qua re potiſſimum haec aedificandi methodus a ſimili differt, quam in vrbibus Hercyniae metalliferae vſitatam noſter in ea imitatus eſt.

p.221. 6) *Currum granis ex ariſtis eiiciendis idoneum, vt machina trituratoria* (*Dreſchmaſchine*) *appellari poſſit*, deſcribit PETER SCHISSLER. Machinae vtilitatem ipſa Acad. Regia teſtatur, inuentorem ferunt Lectorem Gymnaſii Regii Hernoſandenſis, M. MAGNUM STRIDSBERG, oeconomicis laboribus celebrem, alii quaedam emendarunt.

p.225. 7) *De carnium et piſcium luce in tenebris* narrat ANTON R. MARTIN. Non penitus noua, ſed experimentorum ſummam concinne recenſet. Viui piſces nunquam lucent, equidem dum fugiunt et mare vehementer commouent, ſequitur illos lux in longum extenſa, ſed illa eſt a nereidibus noctilucis, quas LINNAEUS vocat. Marini mortui omnes lucent, fluuiatilium nullam lucem Noſter vidit, ſed paucos examinauit. Coloris non magnus eſt effectus, praeſtat tamen albus, inprimis ſi ſquamae albae ſint. Nunquam lucet piſcis prima veſpera, ſecunda oculi plerumque primi lucent, iidemque lucem diutiſſime ſeruant; non lucet piſcis niſi humidus, exſiccato
p.228. lux perit, in angulis fortiſſima eſt. Durioris carnis, vt gadus mortua, ſepia, loligo, vehementius lucent. Reflectitur lux a digito, puncto lucenti vicino, demi etiam piſci poteſt, et alio transferri, digiti aut acus ope. In frigida non lucent, ſed exemti lucent, vbi aerem liberum tangunt, non vbi ſolido cuidam adiacent. Putrefacti in aqua cum eximerentur, non lucem

lucem recuperarunt. Coꝫti, ſalſi, putridi non lucent, ſed ſale aſperſo recentibus, viſa eſt lux augeri. Pinguedo lucis cauſa eſſe non poteſt, nam hepar pinguiſſimum non luxit, niſi ſolis in rimis, in quos exſiccatum diffluerat. Squamae ſeparatae, quam diu madidae ſunt, lucent. Eſt vero humidum illud, quod p.229. lucet, maxime volatile, nam leuiſſimo igne disiicitur, etſi ſuperſit viſcidum quidpiam, ſed lumine orbum. Ab aqua calida affuſa citius extinguitur, quam a frigida. De luce cadauerum putreſcentium ſingularis eius eſt obſeruatio, cum cadauer media aeſtate 14 diebus in loco concluſo iaceret, lucere tectum et parietes vidit, et humidum griſeum, vaporis ad modum, vbique ſe applicare, quod poſt difficulter abſtergi potuit, cum pigmento, quo antea parietes tincti erant, adhaeſiſſet. Huc pertinere arbitratur ſplendorem in ſepulcris antiquorum viſum, quem alii lampadibus aeternis tribuerunt.

8) *Obſeruata in Hollandia auſtrali* recenſet 10. p.230. FISCHERSTRÖM, quae ad terrarum genera, agriculturam cet. pertineant, et varia monendo, quae emendari mereantur, inſignem rerum oeconomicarum peritiam teſtatur.

9) *De araneis capiendis et nutriendis*, agit CAR. p.243. CLERCK, pyxidem deſcribens, qua commode capi queant, et receptaculum, quo ſeruentur. Muſcam nimis magnam araneo, quem integrum ſeruare animus eſt, praeberi vetat cum muſca ab inimico in anguſtias redacta, ſummamque ſuam vim exerens pedes aranei auferre poſſit.

Trimeſtre quartum.

1) PETR. WARGENTIN *Obſeruatorium Holmienſe Pariſino orientalius* ſtatuit 1. h. m. 2 50. ſ. tem- p.247.

 poris,

poris, seu 15 gr. 42 m. 30 ſ. circuli medium ſumendo, ex octo obſeruationibus ſatis bonis ſatellitis infimi iouialis.

2) *De plantatione et negotiatione Coffeae in Yemen ſeu Arabia felici* refert CHRIST. HENR. BRAAD.
p.252. Botanicam deſcriptionem, vt ſatis bene ab aliis traditam omittit, relaturus, quae ipſe vidit. Humiditatis amantior eſt arbor reliquis Arabiae. Igitur plerumque plantatur in montibus, duo aut tria milliaria a mari rubro ſitis, in quibus fonticuli ſcaturiunt. Circa horum montium vertices in ductibus ſpiralibus plantatae arbores deſcendunt vsque in valles, et venis aqueis ad eas ductis rigantur; aperta vena ante ſolis ortum, vt aliquid per dimidiam circiter horam fluens aquae in ſingulas foſſas, quibus ſingulae arbores circumdantur, deponat. Quibus haec aquae profluentis commoditas deeſt, vt in vallibus poſitis, iis maiori opera aqua adfertur. Fabas vt vocamus tales ferunt, quales nobis mittuntur, praeparato antea agro, et terra, fimoque tegunt beneque irrigant. Emergunt plantulae 16 aut 20 diebus. Sesquiennes aut biennes arbuſculos ſemper irrigatas et contra nimium ſolis ardorem tectas transplantant in illa, quae ante diximus, loca, terra circiter ad profunditatem vlnae immittentes, diſtantia 6 cubitorum, seu $4\frac{1}{4}$. vlnae Suecicae, cuiuis plantulae tutamen aduerſus ſolem additur Muſa (*Piſang*). Inter plantas etiam frumenti genus *Djuari* ſeritur. Magna vero cura opus habent arbores, fimus caprinus illis adiicitur, rami aegri auferuntur, interdum arbores ipſae tolli debent. Fructus ferunt tertio, poſtquam transplantatae ſunt, anno, copioſiores, quo magis aetas illarum creſcit. Viuunt vero 100 aut 110 annos. Fructum ob pulpam dulcem ſimiae et cercopitheri amant. Cum color pulpae ex rubro in obſcu-

obſcuriorem mutatur, aqua ſubtrahitur, vt citius fructus ſiccetur. Decembri et Ianuario leui ſuccuſſu p.255.
ex arbore deiicitur, aut manu auellitur, niſi quod reſtent nondum ſatis maturi. Poſt dies 10 aut 12 ſoli in tectis aedium planis exponuntur, nocte media tegendi et lapidibus onerandi, vt liquor dulcis ex membrana, in quam pulpa abiit exprimatur. Deinde 12 aut pluribus horis madefiunt, et inter lapides duos molares comminuuntur, vt membrana a nucleis ſecedat, nuclei in vmbra ſiccantur, nam in ſole viridem colorem, qui in illis probatur, eſſent perdituri, cui ſucceſſurus eſſet albus, qui ſignum coffeae deterioris habetur. Membranas Arabes coquunt, et Coffeam appellant, quam absque ſaccharo bibunt, eſt vero potus ſaporis valde ingrati. Harum membranarum pars interior vel flaua vilior eſt, et libræ 60, piaſtris ¾ venduntur, pars fuſca 1¾ aut 2 piaſtris. Eſt etiam illarum genus, cui duplum pretium fabarum ipſarum ſtatuitur. Cuticulam tenuem, ſemina ipſa ſingula circumdantem, Europaei agitatione eiiciunt, Turcae ſeruant, creduntque colori fabarum viridi conſeruando aliquid facere, ſed illum Turcarum fabae forte ſeruant, quoniam breuius illarum p.256.
iter eſt. Iam non licet plantas, aut fructus membrana exteriore circumdatos auferre, quod ſerio prohibuerunt Arabes, damno ſuo edocti. Variat Coffeae bonitas, optima cenſetur venire a loco Houdena inter Moka et Betelfacki ſito. In eum, quem vltimo nominauimus, locum fere omnis Coffea arabica adfertur. Europaeae naues, quae illam auferunt, iam pauciores ſunt, cum olim quotannis 5 aut 6 ille onerandae Moken venerint. Ante 20 annos quotannis 30000 Bahar, quodlibet 870 librarum, in Turciam et Europam auehebantur, iam vix dimi- p.257.
dium venditur. Hinc praemium imminutum eſt, et adhuc decreſcit. Thermometrum Fahrenheitia-

num Noſter vidit Mokae vltra punctum glaciei, gradus 90. 92 exeunte Maio 1756. 96 initio Iunii, et ſub finem Iulii 95 Auguſto in loco Betelfacki, milliaribus 100 anglicis borealiores Maio exeunte graduum 101½ vel 102 in aere libero tecti plani, ſed alio tegmine obducti (*eine bedeckte terraſſe*) Iunii initio 100 Surati in calidiſſimis menſibus non altius 90. 90½ gr. neque in aliis Aſiae locis altius, quam in Arabia. Pluuia prima trium annorum Auguſto 1756 cecidit, neque vero penetrare per plures dies potuit in terram ſale ſetam, ſed in foſſis ſubſtitit, cruſta ſalina velut glacie tecta. Quae partes montibus propiores ſitae ſunt, eae pluuiam habent, et amoenam ſpectantibus faciem praebent, cum triſtis ſit litoris.

3) *Obſeruationes de Hallandia auſtrali continuat*
p.264. IOHANN FISCHERSTRÖM. Salmonum olim tanta copia in hac regione capta eſt, vt publicorum redituum nomine ex captura hac ſalmones 300 numerati fuerint. Maior almo ouula 20000 continere poteſt, vt incredibilis futura ſit illorum multiplicatio, niſi captis feminis, antequam oua eiecerunt, innumerabiles vitae vno ictu deſtruerentur. Murae-
p.266. nas (*Neunaugen*) piſcatores eſculentas eſſe non credunt, igitur illas, cum maxima copia lapidibus ad-
p.268. haereant, non capiunt. Prope villam Perſtorp, lacus eſt fundo duplici inſtructus. Igitur piſces minima commotione in lacu excitata, ad habitaculum inferius ſe recipiunt, quo retia perſtringere non poſſunt, ſicque
p.271. capi in hac lacu nequeunt. Geniſta piloſa, rarior in aliis Sueciae regionibus, hic inter ericam copioſe
p.276. creſcit. Primo intuitu difficulter a loto corniculata diſtinguitur. – Remedia domeſtica varia recenſentur. Infeſtat incolas coluber cherſea, eius morſui ferrum candens vulneri applicatum medetur. Anginae curandae

randae ergo album graecum cum cereuiſia bibitur, aut hirundinis nidus collo circumligatur. Serpigines aqua ſalſa ex butyro expreſſa tolluntur, ſed eam ſaepius nimium exſiccare monetur. Denti, qui dolet, gallae pars immittitur. Artuum vagis doloribus ſuccus citri, ad carbones candentes illitus, medetur, ſed in arthritide periculoſum eſt remedium. Vulnera, ab vſtione nata, ſebi calidi pauxillo inſtillato ſanantur. Tumores leuiores caſeo, ex cereuiſia lacti confuſa nato, fugantur. Vehementem in extremis digitorum dolorem frequentem valde incolae morſui nodi gordii tribuunt, et viridi aeris impoſito ſanant. Noſter diu vermes hos in vitro ſeruauit, nihil mali ab illis expertus, neque carnis particulas, quas praebuerat, admorſas vidit. Ergo BLANCARDO accedit, dolorem hunc humori acri et maligno tribuenti. p. 277.

4) *Compendium obſeruationum meteorologicarum anni* 1757 edunt B. FERNER, et FRID. MALLET. p. 280.

5) *Obſeruata varia ad hiſtoriam naturae pertinentia* enarrat I. C. WILKE. Ranas iuniores ſub microſcopio Cuffiano examinans, vt in caudis ſanguinis motum ſpectaret, vidit in illis animalcula minuta, quae haemiſphaeria caua, ex materia homogenea conſtantia, eſſe iudicat. Maxime in angulo corporis et caudae apparent. In ranis multis etiam, cum ſecundam metamorphoſin ſubierunt, vidit, ſed nulla in aqua, ex qua ranas deſumſerat, aut in plantis eius aquae. Optime conſpiciebantur lente, obiectorum diametros 200 augente, et ita lineae magnitudine apparebant, vt veram magnitudinem $\frac{1}{200}$ lineae iudicet. Artus nullos habent. Minuta animalia haurit ex aqua tubo vitreo vtrinque aperto, inferius ampliore, ſuperius pollice obturato, aquae immittit p. 285. p. 289.

prope eum locum, vbi piſcari quidpiam animus eſt. Irruens vehementer aqua, vbi pollex remouetur,
p.290. omnia ſecum aduehit. Helices duas LINN. S. N. 614 Faun. Su. 1311 coeuntes vidit d. 29 Maii, et videre credidit vermem albido flauum, qui vtrique teſtae ſe inſeruerat, ſupra ipſa animalia, quae fere exierant; illo coniuncta videbantur. Extra teſtas longitudine digiti circumuoluebatur, ipſe tres lineas latus erat, et dimidiam craſſus, annulis variis conſtans, et proxime ad taeniae figuram accedens. Separatis helicibus, totus intra illius domum ſe recepit, quae alteri adhaeſerat. Extremum, quod ita ex altera eductum fuerat, in apicem coibat, foraminulo inſtructum; alterum extremum reliquae helicis teſta tegebatur, ipſaque helice in domum ſuam ſe recipiente, vermis ſimul inter teſtam et animal intrans diſparuit. Aperuit Noſter teſtam, ſed nihil, vermi ſimile, reperit, nihil, quod adfuiſſe tale quidpiam teſtaretur, niſi quod in helice ipſa diſſecta corpuſculum albido flauum, oblongum et durum, tres lineas longum reperit, quod colore vermi, quem dixit, ſimile, pro pene animalis habet, qui in coitu in tantam magnitudinem, nullo alio in tota natura exemplo, extendatur. Nihil tale in altera vidit; igitur credit, feminam fuiſſe, haecque animalium teſtaceorum genera, contra opinionem, quae vulgo de reliquis habetur, hermaphroditos non eſſe.

p.292. 6) *Singularem caſum chirurgicum* refert IO. IUST. WAHLBOM. Ruſticus, dum ex aceruo foeni ſuper poſterioribus gliſcens, deſcenderet, impegit in inſtrumentum prope aceruum poſitum, quo foenum colligere ſolent, vncino reflexu ferreo et manubrio
p.293. longo ligneo inſtructum. Id intrauit in femur dextrum, inter caput ſecundum et tertium muſculi femoris tricipitis, occurrit muſculis obturatoriis, et fora-

foramini oſſium innominatorum ouali, per quod tranſiens marginem vel ramum inferiorem oſſis pubis, cui obuerſus erat vncinus, laeſit, pertingit inter inteſtinum rectum et veſicam vsque ad peluim, vt apex ad oſſis ſacri baſin conſiſteret. Cum manubrium quartam vlnae partem vltra pedes hominis protenderetur, concidit laeſus in terram, domum deportatur, tertioque demum die in vrbem ad Noſtrum et chirurgos delatus eſt. Febrem nullam ex vulnere ſenſit, igitur ſola venaeſectio inſtituta eſt. p.294.
Manubrium ferro candenti, quantum promineret, ablatum eſt, ſed vncino extrahendo tentamina innumera fruſtranea fecerunt. Primis diebus excrementa viis ordinariis exierunt, ſed cum ſuppuratio inciperet, exiit vrina per vulnus, indicio, veſicam laeſam eſſe. Exſpectandum igitur cenſuerunt, donec ſuppuratione aliisque cauſis vncinus forte ita deſcenderet, vt extrahi poſſet. Laeſus domum miſſus eſt. p.295.
Menſe elapſo, chirurgus GRANBOM ipſum inuiſens, ferrum magna ex parte deſcendiſſe deprehendit, et limarum ope, quod nimium promineret, auferri fecit, parte externa retinaculo quod cochlea clauditur (*Schraubeſtock*) immiſſa. Ita aeger moueri melius potuit. Octodecim, poſtquam vulneratus p.296.
eſſet menſibus vncinus, multo magis deſcendit, et in altero perinaei latere velut exitum quaeſiturus ſentiretur, prope ramum inferiorem oſſis pubis ſiniſtri. Miles veteranus, qui iuuenis chirurgo ſeruiuerat, inſciis chirurgis, foramen exitui, quem diximus, ampliauit, vt magis adhuc vncinus deſcenderet, poſt forcipe minore vulneri immiſſo vncinum fregit: ita reliquum ferrum facile extraxit. Vulnus, cum optime caeterum valeret homo, ſanatum eſt methodo eius, qui ferrum extraxerat, etiam omnibus operibus ruſticis perficiendis idoneus eſt, ambulat, curru et equo vehitur cet.

7) Ob-

p.797. 7) *Obſeruationem de calculo veſicae* edit: ANDR. MAGN. WÅHLIN. M. D. et M. Prov. Iönköpingenſis. Puer ſex annorum, a calculi veſicae doloribus 1756 remedio Stepheniano liberatus eſt, ſed illi 1758 redierunt, inſuperabiles huic remedio, et aliis acidulae Iönköpingenſes, effectu ſuo in calculi dolore leniendo celebres, paullulum auxilii prae-
p.298. buerunt, inſigni copia muci educta. Per vrinae meatum exiit materia foetens, tenuis, coloris obſcuri, ſanguine et fibris innatantibus mixta, ac ſi ab vlceribus veſicae eſſet. Vrinae ſenſit aeger aliquod impedimentum in ipſo meatu obſtare, cum alias facile exiret. Fantior effluxus ſupino, aut in latere dextro poſito, quam ſtanti. Cathetere immiſſo, reſiſtentia mollis percepta eſt, velut a quopiam polypo. Medio decembri febri conſumtus obiit. Abdomine aperto veſica ſphacelata reperta eſt et multum expanſa, aqua coloris obſcuri foetida. Illa diſſecta et aqua ablata
p.299. apparuit calculus, quem depictum Noſter ſiſtit, membranae vel ſacco incluſus; calculus ipſe, oui gallinae magnitudine eſt, altero extremo inferiore et ſacco incluſo, ſatis glaber, ſuperiore dimidio, quod extra ſaccum prominebat, ſuperficiei inaequalis et aſperae. Saccus verſus veſicam glaber erat, membranoſus, mollis; ſed valde fragilis. In latere interiore, inprimis verſus ſuperius extremum apertum, plenus cryſtallorum et velut petrefactus, ſed in fundo, cui glabrum calculi extremum applicaretur, ſatis aequalis. Ex illo tres velut rami protendebantur. Ramorum et ſacci loca quaedam putrida erant, vnde foetens illa materia. Saccus nullibi adhaeſit aut aliis partibus, aut calculo ipſi, qui velut ex receptaculo eximi potuit. In veſica, extra ſaccum, ſabuli drachmae duae repertae ſunt.

p.399. 8) *Animaduerſiones ad ſcriptum proxime praecedens* ROLANDI MARTINII. Naſci tales membranas

branas ex muco viſcido, et non omnino infrequentes eſſe monet, idque obſeruationibus aliorum confirmat et ſua, ſcilicet in infantis arteria aſpera et bronchiis ſubſtantiam membranoſam deprehenderat.

9) *Aliud auctarium eidem narrationi* adiicit p.301. OLAUS ACREL, rariorem hunc caſum eſſe monens, quam eos, vbi inuolucris a veſicae membranis oriundis calculi teguntur, ceterum exempla aliorum etiam citans.

10) *De vtero duplici* refert O. ACREL. Femina 36 annorum, quae ante annos filium, ante 6 filiam, enixa eſſet, inde ab vltimo puerperio de dolore in partibus propagationi deſtinatis conqueſta eſt: menſtrua, quotidie copioſius, et maiori cum eius incommodo profluentia, in haemorhagiam vteri abiere, vnde ex rure, vbi degebat, ad noſocomium Holmienſe ducta. Statim animaduerſus eſt prolapſus vteri, et vterus ſcirrhoſus. Superior pars colli vteri, orificii proxima, nec ſoluta, nec vulnerata, tamen minima preſſione decidebat. Inferior pars orificii, digito tumens et ſcirrhoſa ſentiebatur, non tamen ex ſitu naturali mota. Ambo hi tumores, a ſe mutuo diſcedebant, et perpetuo velut ſanguinem ſudare videbantur, prior niſi retentus ſemper propendebat, multumque in hoc ſitu ab externis rebus patiebatur, vndique ſanguinem ſtillans. Femina ſupina et paullo altioribus partibus inferioribus poſitis, haec aliquo modo in loca ſua reducta ſunt, et venaeſectione in brachio, temperantibus et anodynis, item leniter roborantibus aliquod ipſi auxilium adlatum, vt tandem vel e lectulo ſurgere poſſet, vinculo adhibito, quod prolapſum vteri cohiberet. Sed tertia die, poſtquam haec inſtituerat, febri inflammatoria correpta, ſexta poſt febris

bris initium obiit. In cadauere praeter inflammationis et putredinis in partibus quibusdam ſigna, inprimis duplex vterus notatu dignus fuit, ab eo, quem
p.306. EISENMANN Argentorati 1752 edidit, inprimis ſimplici vagina vteri, et vteris a ſe mutuo disiunctis, quoniam ſcilicet peperat femina, diuerſus. Reliqua figurae adiectae explicant.

p.308. 11) *Methodum experimentis comprobatam, dum carbones ex ligno fiunt, lateres ſimul praeparandi*, edit GERHARD WILLEMOT.

p.311. 12) *Animaduerſiones in ſcriptum praecedens* ANT. V. SWAB. Lateres notata methodo, quae ibi expoſita eſt, non maiores conſuetis, vt ſuaſerat inuentor, ſed contra minores eſſe faciendos. Maiores enim vix totos ab igne penetrari poſſe, phlogiſton vero, quod argillam, ne humidum inſugat ab eoque diſſoluatur, tueri debet, ſumma vſtione argillae commiſcendum eſſe, alias paullatim ſecederet.

p.313. 13) *Murem album domeſtico ſimilem* deſcribit BENED. BERGIUS.

p.318. 14) *Excerptum ex epiſtola Beniamini Wilſon. R. S. S.* edit THORBER BERGMANN. Pertinet ad electrica, inprimis ad FRANCKLINI ſententiam: vitrum fluido electrico imperuium eſſe. Tabula magna vitrea vtrinque polita ſuper vno laterum verticaliter erecta firmatur, et diſtantia $\frac{2}{10}$ digiti ab eius medio, conductor eburneus, pedi ligneo innixus, ſtatuitur; ex conductore dependent globuli duo lignei. Vitrum aere circumiacente paulo magis calidum redditur, et in parte, a conductore auerſa, digito fricatur, quo facto, vtrumque eius latus poſitiuam electricitatem conſequitur, item conductor a tabula vitrea ſeiun-

ſeiunctus. Ergo fluit materia electrica ex digito in vitrum, et per illud in ebur. Idem confirmatur, ſi frictio fiat pauxillo argenti, laccae adhaerente; nam argentum negatiue electricum fit, vitrum, vtrinque poſitiue. Igitur vitrum non ſemper, vt in experimento Leidenſi, materiae electricae eſt impenetrabile. Haec diſcrimina a medii, vitrum et vis electricae originem interiacentis, diuerſa reſiſtentia repetit.

15) *Eduntur excerpta ex Actis Academiae* 1) A. F. CRONSTED, ſpecimen fili miſit ex lini genere praeparati, quod caules meliloti flore albo, qui per hyemem vna cum radicibus in agro relicti fuerant, ſola ſeparatione fibrarum preſſione facta, praebuerunt. 2) TIBURTIUS anatum ferarum oua gallinis aut anatibus domeſticis ſuppoſuit, et ſic illas ex ſyluarum incolis vernas reddidit, pluraque de oeconomia illarum obſeruauit, vt: propagationis cauſa paria iungenda eſſe, cum vnica femina inter plures mares belli cauſa ſit; aeſtate calente a frigida arcendos eſſe pullos, etiam anatum domeſticarum et anſerum, cum inde conuulſionibus ſpaſticis correptae moriantur; ſaporem ferinum et carnis colorem adhuc in tertia generatione manſuefactarum durare. 3) Idem credit, aeſtatibus calidiſſimis auium ſylua- ticarum pullos ſiti perire, et hinc proximo autumno deſiderari aues, cum vere praecedente plurimae adfuiſſent; quod 1757 contigit. 4) De fractu- ris, quae in glacie amnes et lacus obducente oriuntur, varia retulit P. A. GADD, inter alia, continentem in magna diſtantia ſaepius, dum contingunt, ita concuti, vt terrae motus videatur; 5) inſignem varietatem plantarum enumerat LIDBECK, in ruinis eccleſiae Landscronenſis a ſe repertam, quarum ſemina vel a vento, vel ab auibus eo oportet eſſe de- lata.

p.321. p.322. p.323.

lata. Vltimum ſine dubio baccis dulcamarae eo maiori miraculo, quoniam ingratus eſt ſapor eius fructus, item ſambuco, neque facile intelligitur, quomodo pteris eo peruenerit, ſoncho oleraceo, vbicunque in fornice creuerat, folia erant rubro violacea. 6) HEDERSTRÖM methodum edit, talpas fugandi, ope machinae, quae a vento agitata ſonum et tremorem infra terram late diffundit, ſicque efficit, vt talpa, pigrum animal et ſomnum amans, quietiorem habitationem quaerat.

p. 327.

IX.

IAC. REINBOLDI SPIELMANN, Phil. et Med. D. Chemiae Botanic. reliquaeque Mater. Med. P. P. O. Capit. Thomani Canonic. Acad. Caeſar. N. C. Regiae Berolin. Elect. Mogunt. Sodalis, Colleg. Regii Med. Nanceian. Honor. Membri inſtitutiones chemiae praelectionibus accommodatae. Argentorati, apud Iohannem Godofredum Bauerum, 1763. 8 Alph. 1 pl. 1.

Praemiſſis prolegomenis, de ratiocinio chemico et inſtrumentis agit Cl. Auctor; quibus conſideratis operationes ſtatim exponit et 1) ſolutionem, 2) extractionem, 3) fuſionem, 4) deſtillationem, 5) ſublimationem, 6) calcinationem, 7) praecipitationem, 8) reductionem, 9) vitrificationem, 10) fermentationem explicat. Decem hae operationes, a Noſtro tanquam praecipuae conſideratae, alias, quae forte adhuc deſiderari poſſent, ſub ſe comprehendunt, ita, ut pluribus, ad hanc illamue dictarum operationum pertinentibus, experimentis expoſitis alia ſaepe, certe non pauca, ſimul explicentur,

tur, quae quidem ad primariam operationem, vbi locus eis conceſſus fuit, vix ac ne vix quidem pertinent, a praecipuo tamen experimento, quod huc ſpectat, certo dependere Noſtro viſa fuerunt.

Scientiam mutationum, quas patiuntur corpora, dum eorum compoſitiones penetrantur, chemiam Noſter vocat, ſubſtantias autem, in quas corpora reſoluuntur, dum eorum compoſitio penetratur, principia ſeu partes conſtitutiuas appellat, quas in principia proxima et remota diſtingui cupit. Ad illa, proxima nimirum, chemico maxime attendendum eſſe, innuit: corporum enim naturam a natura principiorum proximorum, ex quibus componuntur, pendere, monet. Elementa Noſtro dicuntur corpora naturalia, quorum principia ſunt homogenea; ex his mixta, ex mixtis compoſita, ex compoſitis decompoſita, et ex his ſupradecompoſita oriri, cum BECCHERO Noſter ſtatuit: quae autem per reſolutionem corporum prodeunt ſubſtantiae, in educta et producta, vti conſtat, diſtinguuntur. Illa Noſtro ſunt principia proxima, quae neutiquam mutata ſub ea, qua in corporis compoſitione haeſerunt forma, inde obtinentur; haec vero, producta nimirum, ſunt ſubſtantiae, per corporum analyſin obtentae, quae tales, quales poſt analyſin apparent, in corpore non extiterunt. Inter ſubſtantias, quae elementorum nomen merentur, tres tantum, nimirum aquam, terram et principium inflammabile enumerat Noſter; a prima omne fluiditatis principium, a ſecunda ſoliditatem et ſiccitatem corporum, ab vltimo corporum facultatem ignem concipiendi et alendi dependere, autumat. Nexum principiorum inter ſe corporis mixtionem, nexum vero minorum alicuius corporis partium, quo corporis magnitudo determinatur, aggregationem Cl. Auctor vocat; a mixtione corporum naturam, ab aggrega- p. 1.

tione autem magnitudinem eorum pendere, hacque ſublata, corpus minui, illa ceſſante, corpus deſtrui, notat. Vinculi, quo principia tam in mixtione quam in aggregatione retinentur, rationem vim ipſis internam eſſe, eius autem rationem nos latere, eandemque a phyſicis attractionem et a chemicis affinitatem appellari, monet. *Vim internam, per quam corpora in mutuos amplexus ruunt, ea lege a Creatore ordinatam eſſe,* Noſter dicit, *vt ſingula corpora eandem ita determinatam habeant, vt cum certis corporibus non coeant, cum aliis fortius, cum aliis autem remiſſius vniantur et haec relinquant, vt illis ſe iungere nequeant.* Inter plures tabulas, quae ſcalas affinitatum plurium ſubſtantiarum exhibent, eam Noſtro adiicere placuit, quam Cl. GELLERT fundamentis ſuis chemiae metallurgicae inſeruit.

p. 12. Ad inſtrumenta artis tranſit Cl. Auctor, quae ſolito more in actiua et paſſiua diuidit: *actiua* vocat, quae *rationem penetrandae corporum compoſitionis in ſe continent;* hinc omnia telluris corpora inſtrumentis actiuis annumerat. Inſtrumenta paſſiua Noſtro dicuntur, *quorum ope efficitur, vt effectus, quos ab actiuis expectamus, poſſint obtineri.* Haec, quae vel examinanda corpora, vel inſtrumenta actiua continent, vaſa appellantur. Furnis itaque variisque vaſis variae figurae diuerſaeque materiae deſcriptis, itidemque bilancibus et, quae in diuerſis prouinciis in vſu ſunt, ponderibus notatis, et lutis demum, quorum ope vaſa inter ſe inuicem iunguntur, explicatis, chemicas nunc operationes exponit, ſingulasque earum eo ordine pertractat, vt laborem primo indicet et quid de eo in genere monendum, notet, poſthac autem experimentum aut plura ſubiungat, hisque rationem ſemper et plerumque vires aut vſus addat.

A ſo-

A ſolutione initium capit, laboremque omnium p. 40. ſimpliciſſimum corporum comminutionem, quae a nonnullis quoque ſolutio continui dicitur, vocat, eamque experimento, cum vltramarini praeparatione facto, illuſtrat. Ad phyſicam poſtea ſolutionem progreditur Cl. Auctor, quam in ſuperficialem et radicalem diuidit, ſed de priori tantum hic agit. Solutio ex Noſtri ſententia vnice aggregationem nequaquam mixtionem reſpicit. Ratio ei eſt, quia corpora ſoluta ex menſtruo immutata iterum recedunt. Menſtrui actio in ſoluendum per mechanicas rationes non explicatur. Nam, *nil magis*, ait Noſter, *ipſis mechanices principiis contrarium eſt, quam quod partes per inſtrumentum quoddam ſeparatae, cum eodem poſt ſeparationem arctiſſime nexae maneant.* Itaque ſolutionis ratio in cauſa, quae aggregationem et menſtrui et ſoluendi tollit, a Noſtro quaeritur, cumque aggregationis vinculum in affinitate ponatur, hinc ſolutionis ratio dicitur affinitas maior minimarum partium menſtrui cum partibus ſoluendi, quam ea eſt, quae inter has intercedit. Corpora igitur, in aliquo menſtruo ſolubilia aliquid de eius natura poſſidere, ſequitur. Minime tamen corpus, quod in menſtruo quodam non ſoluitur, ab eo diuerſiſſimum putetur; nam principium aliquod reliqua ita obducere poterit, vt nec cum amiciſſimo menſtruo coire queant. Licet autem praecipuae encheireſes, quae ad ſolutiones faciunt, in affinitate conſiſtant, tamen et aliae ſimul requiruntur. Sic per motum mechanicum, quo quippe corpora comminuuntur, hinc per tritum, agitationem et calorem iuuatur ſolutio. Sic, ſi longior mora requiritur, vt menſtruum ſolutionem peragere poſſit, digeſtio et maceratio neceſſaria eſt. Dein quoque fluidorum in vapores reſolutio eorundem vires ſoluentes auget, cum ſuperficies guttae,

in vaporem mutatae, augentur, ſicque plura ſoluendi puncta ſollicitentur. Porro ſolutiones in vaſis clauſis melius ſuccedunt, cum menſtrui vapores conſeruentur et aeris agitationes accedant. Tum quoque ſoluens interdum debilitandum eſt, quia etiam menſtrui partium nexus tollendus eſt, ſi ſoluendum illum ſufficienter imminuere nequit. Tandem ſubſtantiae, in aliquo menſtruo non ſolubiles, cum corpore prius iungendae ſunt, quod menſtruo affine eſt; huius enim ope ſoluens ſubeunt. Generali hac ſolutionis doctrina praemiſſa ad menſtrua accedit Noſter, de quibus autem ea tantum recenſet, quae vulgatiora ſunt; cumque menſtrua a chemicis in ſolida et fluida atque ſolutiones itidem in ſiccas et humidas diuidantur, ſicca autem per fuſionem fiat, de ſolidis menſtruis in capite de fuſione agitur, hic vero fluida pertractantur, ad quae aqua, oleum, mercurius, liquores ſalini et ſpiritus inflammabiles referuntur: de tribus prioribus nunc,
p. 48. de poſterioribus alio loco agit. Aquam, vt menſtruum, conſiderans ſalia primo recenſet, quae pro diuerſa natura diuerſum aquae pondus requirunt; poſtea corpora enumerat, quae, aeri expoſita, aquam ex eo attrahunt et liqueſiunt, hinc ſolutiones per deliquium exponit et experimentis illuſtrat. Tum quoque ea corpora examinat, quae ope ſalium aquam ſubeunt, hinc emulſionum et ſaponum praeparationes hic occurrunt. Cum autem menſtrui partibus, ex ſolutione ablatis, ſoluti elementa iterum coeant et ex ſolutione ſecedant, atque multa ſalium genera id proprii habeant, vt eorum elementa ſeſe ſemper determinata ratione attrahant et in maſſas angulares pellucidas, cryſtallos dictas, concreſcant, cryſtalliſatio quoque a Noſtro hic explicatur, quae nitri depurati, ſalium eſſentialium vegetabilium, ſacchari lactis et ſalis eſſentialis vrinae

exem-

exemplis illuſtrat. Ad olea progreditur Cl. Auctor, quae fluida inflammabilia ob vitandum errorem, in quem ducere ea poſſe, autumat, non, vt vulgo ſolent in expreſſa et deſtillata, ſed melius in odora et inodora, diſtingui cupit. Olea igitur conſiderans de eliquatione pinguedinis animalis, expreſſione olei vnguinoſi ex nucleis recentibus et exſiccatis, itidemque ex ouis agit, horumque oleorum vires recenſet, tandem praeparationem balſami ſulphuris et ſolutionem plumbi in oleo vnguinoſo addit. Ad amalgamationem, tanquam ſolutionis ſpeciem nunc tranſit et metalla, quae facillime, alia, quae difficillime mercurium ſubeunt, enumerat, encheireſes, quae ad coniunctionem faciunt, breuibus deſcribit et phaenomena, quae inde reſultant, tradit, vbi cupri in mercurio ſolutionem ſub digeſtione ramos emittere, Noſtrum vidiſſe, notamus. p. 73.

Cum extractio plurima cum ſolutione communia habeat, praeter id, quod menſtruum non totum ſed vnam alteramue eius partem ſoluat, ſolutioni illam ſtatim ſubnexuit. Primo itaque extractum aquoſum ex vegetabili quocunque parare, dein mucilagines ex vegetabilibus, tum gelatinas ex animalibus, porro ſales, glebis metallicis vel terris immixtos, extrahere docet, tandem ad extractionem etiam ferri mutationem in chalibem refert, cuius operationem deſcribit, inſimulque varias compoſitiones pulueris, quo ad chalibis productionem vtuntur, communicat. Inter mixturas ab vna, quae ex quatuor partibus fuliginis, carbonum et cinerum, ſingulorum partibus duabus et ſalis communis parte vna conflata fuit, ab alia dein, quae ſedecim partes ſanguinis exſiccati, octo carbonum, ſex cinerum et quatuor ſalis communis continuit; ab alia porro, quae ex cornuum bouinorum comminutorum partibus octo, cinerum partibus quinque et carbonum qua- p. 87

tuor compoſita fuit; ab alia tandem, quae tres partes ſodae, quinque carbonum et octo raſurae cornuum habuit, non ſpernendos ſe vidiſſe effectus, Noſter perhibet.

p. 99. Non incongrue ſolutioni humidae Noſter adiungit fuſionem, quippe quae, vti conſtat, ſolutio ſicca quoque vocatur. Plures quidem, quae in humida ſolutione occurrunt encheireſes, huc quoque ſpectant, ſed proſtant praeterea ſubſtantiae, quae nonnullis corporibus, difficulter fundendis additae, eorum fuſionem iuuant et fluxus appellantur. Caeterum corporum quorundam mixtionem calore alterari, alia vero non mutari, recte monet, hisque breuiter indicatis granulationis encheireſes tradit; poſthac ea, quae circa ſiccam ſolutionem foſſilium notanda ſunt, recenſet. Experimenta, quae illuſtrationis gratia inſerere, Noſtro placuit, orichalci praeparationem, eliquationem plumbi ex cupro, hepatis ſulphuris praeparationem, ſulphuris compoſitionem, antimonii ſolutionem in alcali, tamdemque tincturae antimonii tartariſatae praeparationem ſiſtunt. De hepate ſulphuris notat, iſtud, cum ab aqua ſoluatur, fontium, qui ſulphur vehunt, rationem illuſtrare, ſimul autem patere, *quod foetoris in fontibus abſentia, nec ſulphur in eis contineri, certiſſime doceat.* Praeterea alcali ex hac vnione cum ſulphure maiores vires ſoluentes acquirere, dictique ſalis vnionem cum ſulphure non ab acido, ſed a principio inflammabili pendere, aſſerit.

p. 116. Deſtillationem Noſter, vt ſolent, ratione vaſorum in deſtillationem per adſcenſum, ad latus et per deſcenſum, reſpectu ſubiectorum autem in humidam et ſiccam diſtinguit et abſtractionem et rectificationem ſpecies eius eſſe, monet. Deſtillationem vitrioli primo loco exponit inſimulque plures, quae cum eo inſtituuntur, operationes deſcribit. Sic tartarum vitriolatum, acidi vitriolici cum oleo tere-

terebinthinae mixtionem, acidum vitriolicum dulce, vitriolum martis coeruleum et album, turpethum minerale, ſal ammoniacum ſecretum GLAUBERI, ſolutionem lapidis calcarei in acido vitriolico et ſalem ſedatiuum HOMBERGII deſcribit, eaque praeparandi rationem, vires quidue doceant, tradit. De ſale ſedatiuo HOMBERGII notat, eum, quod ſublimari poſſit, neutiquam volatilibus adſcribendum eſſe, eundemque valde leuem, ratione mere mechanica ab aqua eleuari, ſiquidem per fuſionem non in auras pellatur, ſed in vitrum abeat; ceterum vires eiusdem medicas a viribus boracis nequaquam differre, Cl. Auctor vix dubitat. Ad deſtillationem acidi nitroſi progreditur Cl. Auctor, qua p. 144. expoſita, nitrum regeneratum et nitrum flammans conſiderat, vbi huius occaſione notat, alcali volatile ab edulcoratione naphthae nitri reliquum, ſi ad ſiccitatem deſtilletur, flammam, quae omnem vaſorum apparatum illuminet, ſine tamen detonatione, emittere. Poſthac naphthae nitri, ſpiritus nitri dulcis, mercurii praecipitati rubri, cryſtallorum lunae, lapidis infernalis et phoſphori BALDUINI praeparationem tradit, vltimoque acidum nitri, a ſolidis animalium partibus abſtractum, non raro fulmen conſtituere, perhibet. His de nitri acido expoſitis, ad ſalis acidum ſe conuertit et de eius deſtillatione, inſimulque de ſale mirabili GLAUBERI, de acido ſalis ſaturato, nitro cubico, acido ſalis dulci, aqua regis et tandem de quartatione agit. His aceti deſtillationem, eiusque concentrationem, ſacchari ſaturni, aceti dulcis et terrae foliatae tartari praeparationem adnectit, dein tartari deſtillationem explicat, tum vegetabilium longe plurimorum, inſimulque formicarum et plantarum, flore tetrapetalo ad tetradynamiam LINN. pertinente inſtructarum, deſtillationem exponit, vbi notat, ſal alcali volatile, ex dictis vegetabilibus obtinen-

 dum,

dum, ex iisdem non produci, ſed vere educi, idque ex eo probare annititur, quod eiusdem effectus in planta integerrima, et acris horum vegetabilium ſapor et euidens eorundem atque alcalinus quidem odor, et ſpiritus, leni etiam calore ex eis ſecedens, obſeruentur. Porro partium animalium deſtillationem, alcali volatilis ex ſale ammoniaco, et oleorum odororum ex vegetabilibus ſeparationem et oleorum odoratorum docimaſiam, aquarum deſtillatarum rationem, olei vnguinoſi abſtractionem a terris, olei animalis DIPPELII praeparationem, denique phoſphori vrinae deſtillationem communicat.

p. 197. A deſtillatione ad ſublimationem Noſter tranſit, cuius rationem in vi caloris quaerit, quae corpora dilatat et eas partes, quas ſiue ex aggregatione, ſiue ex mixtione ſoluere poteſt, ſecum in ſuperiora, quo calor continuo tendit, rapit, et, hac ipſa vi imminuta id, quod in altum duxit, ad ſolidum, quod offendit, adpellit et ſublimatum format. Primo camphorae depurationem docet, quam acido copioſiori, quod recepit, a reliquis oleis aethereis ſiue odoratis differre putat. Huic benzoes et ſuccini analyſin iungit, cuius ſal cum Cl. POTT ad vegetabile refert, tuncque notat, olea acidis arctius vnita, efficere, vt ſub forma ſolida, deſtillationis ope, obtineantur. Poſtea ſulphuris ex ſua gleba ſeparationem eiusdemque depurationem deſcribit, cui vires roborantes tribuit, quas ex eo, quod ſulphur extus admotum, materiem ad cutim haerentem, reprimat, probare putat. Ad arſenici ex ſua gleba ſeparationem, et mercurii ſublimati praeparationem progreditur, dulcemque mercurium ad drachmam dimidiam per ſe purgandi ſcopo exhiberi poſſe, aſſerit, tunque reuificationem mercurii ex amalgamate docet. Lunam corneam ex argenti comminuti partibus tribus et mercurii ſublimati partibus quatuor, retortae

tortae commiſſis, Noſter parat, hocque experimento acidum ſalis maiorem cum argento, quam cum mercurio, habere affinitatem, probare autumat atque effectum, quod argentum, acido ſalis vnitum, facile fluat et ex crucibulo in auras abeat, a vaporibus acidi elaſticis, metallum ſecum in auras ducentibus, deriuare, nullus dubitat. Cinnabaris compoſitione deſcripta, monet, eandem puluerifatam ſaepe minio adulteratam, vendi, hinc ex medicina puluerifatam reiici, vel ſi ad medicamenta adhibeatur, prius cum aceto, ſiue cum acido nitri digeri et digeſtum edulcorari iubet. Tandem flores ſalis ammoniaci martiales parandos docet, et ferri volatiliſationem mere mechanicam hic eſſe, neque ex hoc experimento ſolutionem radicalem metallorum expectari poſſe, arbitratur.

Calcinationem, recepto more, in ſiccam et fluidam Noſter diſtinguit et ad eam, vt ſolent, vſtionem, toſtionem, vſtulationem, incinerationem, calcinationem ſtricte ſic dictam, detonationem, decrepitationem, fumigationem, caementationem, praeparationem philoſophicam et extinctionem lapidum ignitorum refert. De calcinatione ſtricte ſic dicta Noſter notat, ei omnia corpora metallica, praeter aurum et argentum, obnoxia eſſe, hinc in his principii inflammabilis cum terra vitreſcente nexum firmiorem eſſe, quam in reliquis metallis, coniicit. Experimenta, quae ad illuſtrandam hanc doctrinam a Noſtro adducuntur, ad ſalem alcali fixum, ad alcali cauſticum, tincturam tartari, nitrum fixum, fluxus ad docimaſiam glebarum metallicarum, pyrophorum, ſalem polychreſtum, argenti depurationem per nitrum, calces antimonii per nitrum, tincturam antimonii acrem et tincturam metallorum, calcinationem plumbi et calcem antimonii pertinent. Notamus ex his, Cl. Auctorem alcali cau- p.218.

ſtici:

ſticitatem non a principio inflammabili deriuare, ſed in imminuta ratione aquae ad terram quaerere. Quo magis enim ratio aquae ad terram decreſcat, eo magis ſalis aquae cupiditatem augeri, eo citius idem et aquam ex aere haurire et gluten fibris animalium eripere, eas in modum ignis deſtruere, ſicque cauſticos effectus edere, Noſter dicit. Argenti depurationem per nitrum deſcribens optat, vt labor iſte vlterius perficiatur, quo perfecto taedioſum cupellationis artificium ex docimaſia proſcribi forſan poſſe, autumat. Antimonio diaphoretico, quod non ex tribus, ſed ex duabus partibus nitri et vna antimonii parat, ob ſubſtantiam draſticam cicuratam, reſoluentes et diaphoreticas vires adſcribit, licet BOERHAAVIUS calcem hanc inertem immo noxiam reputauerit. Calcinationem plumbi oſtendens quaerit, cur hoc metallum aeque ac ſtannum et ferrum, dum coloris principio priuantur, colorata demum euadant? videtur hinc Cl. Auctor illius ſententiae eſſe, ac ſi principium inflammabile ne fortiſſima quidem calcinatione a terra vitreſcente abigeretur, ſed igne motum alium ſitum acquireret. Carbones autem, cinnabarim, nitrum fixum, alcali calcinatum etc. tale quid ſuſpicari facere, recte monet.

p. 240. Ad declarandam praecipitationis rationem varia Noſter communicat experimenta, quorum primum lactis ſulphuris praeparationem tradit; alterum ſulphur antimonii inſcribitur, quod, ad MEUDERI modum paratum, prae reliquis Noſter commendat. Decoquitur nimirum hepar antimonii cum aqua. Decocto, per filtrum traiecto et per aliquot ſeptimanas repoſito, fundum petit puluis, a MEUDERO ſulphur antimonii impurum dictus; liquori ſuperſtiti decantato affunditur acetum, quo facto puluis ſecedit aurantius, qui ſulphur auratum antimonii vocatur. Hoc ſulphur, reliquis anteponendum, ſecurum

curum eſſe remedium reſoluens et ad prima contra morbos inflammatorios aliosque chronicos remedia pertinere, Noſter autumat, nec reliqua, cum per acidum vegetabile auctas vires vomitorias habeant, ad internos vſus commendanda eſſe, innuit. His experimenta de puluere carthuſianorum, mercurio vitae, extractione reſinae ex vegetabilibus, magneſia nitri, auro fulminante, purpura minerali, argenti depuratione per acidum ſalis, aqua forti praecipitata, ſcala affinitatis acidi vitriolici, praecipitationibus mercurii, ſaturno cornuo, pigmentis ex coccionella et coeruleo Berolinenſi adnectit, horumque productorum vſum multiplicem notat.

Praecipitationi, humida via peragendae, non p.264. ſine ratione iungit reductionem, quippe quae non raro praecipitatio ſicca appellatur. Cum ad hunc laborem non niſi corpora metallica recipiantur, et plerisque metallis ſulphur adhaereat, ita, vt metallicam formam exuant, nunquam recuperandam, niſi iſtud ſeparatum fuerit, Noſter ideo ſcalam affinitatis ſulphuris praemittit, antequam experimenta de reducendis metallis communicet. Quod ad experimenta attinet, primo glebae plumbi feracis et glebarum plumbi docimaſiam tradit, dein de reductione ferri ex ſuis glebis et regulo antimonii agit, tum auri depurationem per antimonium aurique fulminantis reductionem docet, vbi notamus, Cl. Auctorem, cum acetum ſupra calcem auri deſtillaret, hanc fulminandi vim amittere, obſeruaſſe, idemque de alcali volatili expertum eſſe. Porro lunae cornuae reductionem, ad methodum Cl. MARGGRAFII cum admixto ſale ammoniaco et alcali fixo et mercurio inſtituendam, tradit et commendat, vltimoque calcis zinci reductionem, ab eodem Viro Cl. communicatam exhibet.

p.276. Ad vitrificationem progreditur Cl. Auctor, cuius producta in tres claſſes diuidit. Subſtantiae enim, hoc labore productae, ſi pellucidae ſunt, vitra, ſi ſemipellucidae, porcellanae, ſique a calce quadam metallica profundius tinctae apparent, ſcoriae appellantur. Doctrinam hanc exemplo vitri antimonii et vitri ſaturni, dein cupellatione, et gemmas artificiales parandi modo illuſtrat.

p.286. Vltimo loco de fermentatione Noſter agit, et vinum, ſpiritus vini et alcohol eiusdem, quomodo obtineantur, docet: hisce experimentis alia, quae cryſtallorum tartari, tartari tartariſati, qui a Noſtro tartarus ſolubilis vocatur, ſalis polychreſti SEIGNETTE, tartari chalybeati et tartari emetici praeparationem tradunt, adnectit, poſthac vero acetificationem, denique putrefactionem exponit.

X.

Diſſertatio inauguralis de fatis variolarum inſitionis in Suecia, Auctore IOANNE ANDREA MURRAY, Stockholmienſi. Goettingae, 1763. 4to pl. 5½.

Cum ſcripta, quae in Suecia variolarum inſitionis artem commendandi cauſa edita fuerunt, apud exteros, ob linguae rariorem extra patriam notitiam, haud ita cognita ſint: Cl. Auctor, ea quae ipſi de illo argumento vel ex ſcriptis publicis vel ex litteris, a celeberrimis medicis ad eum miſſis, innotuerunt, in hac diſſertatione ſedulo congeſſit. Ipſa vero in tres diuiſa eſt ſectiones. Quarum prima de indole variolarum in Suecia graſſantium agit, ſecunda ſucceſſum inſitionis in variis regni prouinciis ad finem circiter anni 1761 exponit, et tertia tandem ſcripta de variolarum inſitione in Suecia edita recenſet.

Tanta

Tanta vehementia variolae in Suecia ſaeuire ſolent, quae omnino ad earum inſitionem tentandam impellere poſſit. In hoc probando, quamuis Cl. Auctor non ad antiquiora tempora regrediatur: teſtimonia tamen quaedam virorum, qui adhuc vita fruuntur, fide digniſſimorum, collegit. Obſeruat enim Ill. ROSENIUS, annis 1744 et 1750. Vpſaliae pernicioſum nimis et malignum variolarum genus inualuiſſe. Eodem redit Epidemia variolarum Encopienſis, a Cl. BERGIO in hiſtoriis de morbis epidemiis deſcripta. Nec benignioris naturae fuerunt variolae, quum ſub finem anni 1754 ad Fennos transmigrarent. Quae Stockholmiae anno 1755. 1760 et 61 aegros vexabant variolae, pariter malignae indolis fuerunt. In ditione Calmarienſi ferme quotannis variolae tanta cum vehementia ſaeuiunt, vt plurimi exinde pereant. Et in Norrlandia anno 1760 tantam ſtragem fecerunt, vt quibusdam in locis tertius quilibet homo vel quartus interiret. Optimum vero vehementiae variolarum in Suecia teſtimonium peti poterit, ex Ill WARGENTIN, Equitis et Secretarii Regiae Academiae ſcientiarum Suecicae, diſquiſitione, de commodis, quae ex annuis naſcentium et morientium diptychis redundant. Ex hac enim conſtat, quintam fere hominum partem, quibusdam annis, variolis in Suecia iugulari. Cui adhuc accedit teſtimonium Cl. SCHULZII, qui numerum 9000 hominum, ſingulis annis variolis defunctorum, tanquam medium, iuxta obſeruationes plurium annorum, ex diptychis erui dixit. Haec igitur variolarum vehementia Suecos monuit, quo inſitione vitae et integritati ciuium conſulerent. Idque eo magis, cum recentiorum in obſeruando ſollertia ne vnum quidem caſum inuenire potuerit, qui documentum iterati verarum variolarum acceſſus praeberet. Ideoque ſententia Cl. SIDOBRE, qui

qui in Tractatu de variolis et morbillis, non rarum eſſe inter ſeptentrionales populos Suecos, Danos, etc. bis, ter, quaterue, variolas vnum eundemque hominem inuadere, aſſerit, per experientiam plane ſit refutata.

His expoſitis, Cl. Auctor in ſectione ſecunda tradit, quaenam variolarum inſitionis artificium in Suecia habuerit initia, quae incrementa, et quis demum nouiſſimus eius ſit ſtatus. Cl. HAARTMANNUS, quantum ſcire licet, primus fuit, qui variolas in Suecia inſeuit. Factum hoc eſt Aboae anni 1754 die 19 Nouembr. in Cl. LECHE Prof. Medici, filia, et feliciſſimo quidem cum ſucceſſu. Nec minus fauſto euentu vſus eſt Cl. AURIVILLIUS, Medicus regius et Profeſſor, qui paullo poſt Vpſaliae experimentum inſtituit. Quemadmodum vero tenue eſſe ſolet rei nouae cuiusuis et inſolitae initium, ita nec huic adeo felicem eſſe contigit, vt cuiuis ſtatim probaretur. Reduce autem Cl. SCHULZIO ex itinere, quod Sacrae Regiae Maieſtatis iuſſu, impenſisque publicis, vt, quidquid ad variolarum inſerendarum artem ſpectaret, addiſceret, in Angliam fecerat, incrementa cepit haec variolas excitandi methodus magis conſpicua. Schediaſma enim, quod anno 1759 de noſocomio, ſecundum Londinenſis formam, in inſitionis vſum Stockholmiae adornando conſcripſit, illuſtre illud collegium, cui regia auctoritate ſanitatis cura commiſſa eſt, non ſolum probauit, ſed et, vt typis ſtatim vulgaretur, adiecta cohortatione, vt quisque ciuium quantum vellet pecuniae ad hunc egregium finem erogaret, curauit. Quo facto, ordo ille, qui fabrorum murariorum liberorum nomen adſciuit, tam Gothoburgi, quam Chriſtianſtadii noſocomia in hunc finem adornauit. Ordinis vero, qui Stockholmiae eſt, eiusdem nominis iuſſu et impenſis Cl. SCHULZIUS anno 1761 die

29 April.

29 April. in 27 infantibus inſitionem perfecit. Aequalis apud omnes et ſingulos ſucceſſus fuit, quamuis nonnulli vermibus et auris vlcere laboraſſent, alios vero paullo ante hydrops anaſarca et tertiana tentauiſſet. Quinque horum fuerunt, quos ob cicatrices ex variolis iam ſemel ſuperatis conſpicuas, tentaminis tantum cauſſa inſitioni ſubiecit: in his tamen, filis etſi mutatis, nullus morbus excitari potuit. Eidem Cl. SCHULZIO intra quinquennium 123 infantibus, inter quos et de procerum regni et purpuratorum prole fuerunt, arte illa adiumento eſſe contigit. Inter hos 16 fuerunt, qui, renouata etſi inſitione, a morbo immunes manſerunt. Qui vero manu Cl. ACREL Stockholmiae variolas ſibi inſeri paſſi ſunt, numerum 29 conſtituunt, et Cl. BERGIUS 19 numerauit. Sed nec ceteros, qui extra metropolim inſitionem exercuerunt, ſpes fruſtrata eſt. Summa enim eorum, qui ab anno 1756 Waſae Cl. HASTII curae demandati fuerunt, ad 89 adſcendit. Idem Medicus nuperrime in bobus inſitionem, pure ex bubonibus internis collecto, ad praecauendam luem iis communem inſtituit; de experimenti autem euentu nihil adhuc conſtat. Cl. WESTMANN 32 infantes, quibus variolas Gothoburgi inſeuit, indicat. Cl. HAARTMANNUS ab anno 1754 Aboae 13 infantibus inſitione profpexit. Hic ob filorum recentium inopiam, in 4 infantibus cruſtis puſtularum ſibi Helſingforſia, vbi malignum variolarum genus vigebat, transmiſſis, ope vnguenti digeſtiui et cantharidum morbum excitare coactus fuit, exitu tamen fauſtiſſimo. Cl. GISLERUS 20 exhibet, in quibus Hernoſandae inſitionem ſuſcepit, cui iungendus eſt Cl. D. et Math. Lector SCHULZ, qui Aroſiae 6 infantes eidem operationi felici cum ſuceſſu ſubiecit.

Hiſce in ſectione tertia Cl. Auctor recenſionem ſcriptorum, quae hac de re in Suecia edita fuerunt, ſubnectit. Sunt vero praeter exterorum quaedam ſcripta in linguam Suecicam translata, Cl. BERGERI et SCHULZII obſeruationes, quae in actis Academiae Regiae Scientiarum Suecicae reperiuntur: nec non libellus ille, res medicorum Prouincialium in Suecia ſuperioribus annis et ſpeciatim inde a comitiis anni 1756 geſtas comprehendens, ex quo Cl. Auctor numerum et nomina eorum, qui inſitione vſi ſunt, petiit. Praecipue vero notari meretur libellus, quem Ill. Eques ROSEN DE ROSENSTEIN anno 1756 in calendariis Suecicis concinnare coepit, cuiusque ſectio nona ſeu vltima in calendario anni 1759 occurrit. Titulus eſt: *Vnderrättelſe om lattaſte ſättet at genomgå kopporna.* Huic adhuc iungendum eſt Cl. SCHULZII opus, quod inſcribitur: *Berättelſe om koppers ympande, öfverlämned til högloflige Kongl. Sundhets-Commiſſionen. Stockh.* 1756 et quod in promptuarii Hamburgenſis 1ma et 2da voluminis 26ti parte a Cl. Noſtro Auctore germanice redditum reperitur.

XI.

IACOBI CHRISTIANI SCHAEFFER, Phil. Doct. et Eccleſiae Euangelicae Ratisbon. Miniſtri, Sereniſſ. ac Potentiſſ. Regis Daniae Norwegiae a Conſiliis, Gymnaſii academici Alton. Prof. Honorarii, Acad. Nat. Cur. Berolin. Roboret. et Monacenſ. Societ. Litter. Duisburg. Teuton. Goetting. et Lib. Art. Lipſ. Socii, Academiae Pariſienſis ab epiſtolarum Commercio, Fungorum, qui in Bauaria et Palatinatu circa Ratisbonam naſcuntur,

tur, icones natiuis coloribus expreſſae. Tomus I. Auſpiciis Academiae Electoralis Bauaricae Monacenſis. Ratisbon. typis Zunkelianis, 1762. pl. 4. tabb. C. c. effig. Auctoris. Tomus II. c. indice. ib. 1763. pl. 5½ tabb. C. 4to regal.

D. IACOB CHRISTIAN SCHAEFFERS *natürlich ausgemahlte Abbildungen Bayriſcherund Pfälziſcher Schwämme, welche um Regensburg wachſen. Erſter und zweyter Band.*

Vt nullae plantae perſcrutando atque internoſcendo varietates a ſuis ſpeciebus ſint difficiliores, quam eae, quae ad nudas ſeu cryptogamiam LINNAEI pertinent: ſic laudatiſſimum eorum ſemper fuit inſtitutum, dum omnem operam nauarent, expreſſis imaginibus accuratisque deſcriptionibus tam intricatas plantarum ſpecies illuſtrare. Quis erit, qui non admiraretur DILLENII de muſcis opus vtiliſſimum, MICHELI, GLEDITSCHII aliorumque de fungis deſcriptiones? Quare gaudio quaſi perfundimur, cum ſplendidiſſimum de fungis librum a ſumme venerabili SCHAEFFERO conditum peruoluimus. Delectant delineationes, delectant colorum pulchritudines, et accuratiores in laude etiam ſunt deſcriptiones, ſed de his poſtea dicemus.

Laudatum opus duobus conſtat tomis, quorum prior primum fungorum genus ſub nomine agaricorum numero 89 continet. Alteri tomo paulo amplior praefatio ea, quae in priori occurrit, praemiſſa eſt; ibi commemorat Cl. Auctor academiam Electoralem Bauaricam Monacenſem non ſolum pri-

mam huius operis excudendi praebuiſſe occaſionem, ſed etiam primi tomi editionem perliberaliter adiuuiſſe; alterius vero tomi promulgationem rerum quarundam interuentu ſuis propriis ſumptibus procuraſſe. Cum illud fungorum genus, Clathros dictum, in Bauaria et Palatinatu inueniri non potuerit, genus hoc nominatum in altero tomo deſideratur. Quem ergo defectum in extrema tabula, aliis quibusdam fungis depictis, quodammodo expleuit. Sunt illi ex agaricorum genere, ligno quandoque inſidentes; ex his idem colligit, quod iam a Cel. LINNAEO in Flora Lapponica pag. 353 eſt monitum; ſcilicet praeſentiam et abſentiam petioli, non magis quam figuram pilei aliarumque partium, in eodem etiam genere et ſpecie fungorum praebere characterem eſſentialem. In fine prafationis iſagoge in hiſtoriam fungorum, vberiorque fungorum hiſtoria proxima aeſtate promittitur. Noſtrum eſt, vt Cl. Auctori vitam et vires ad finiendum hoc laudabile inſtitutum ſincere adprecemur.

Quae in altero tomo conſpicienda ſunt fungorum genera, haec ſunt: Boleti numero 26; Hydna 8; Eluelae 20; Clauariae 9; Pezizae 4; Lycoperda 10; Mucores 4; Phalli 2.

Videamus nunc paucis deſcriptionum et imaginum modum et rationem. Quaelibet tabula praebet vel peculiarem ſpeciem vel eius varietatem. Adſpectabilis eſt ſuperior pilei pars atque inferior; conſpiciuntur fungi diſſecti, euoluti, vix euoluti et magnitudine coloreque differentes. Delineata ſunt fungorum ſemina, nudis et armatis oculis conſpicua. Interdum monſtroſus eorum habitus depictus eſt. Deſcriptio cuilibet tabulae a latere in oppoſita pagina adiecta eſt, quae num ſemper legibus botanices ſit conformis, ſententiam noſtram ſuſpendimus. Exemplo eſto haec: *Agaricus quintus eſt fungus optime eſculentus,*

tus, *bicolor interdum tricolor*, *plerumque ſolitarius*, *carnoſus totus lacteus*, *mutabilis; petiolo ad baſin craſſiuſculo*, *velo et annulo carens.* *Bauaris dicitur Braedling.*

Deſcriptioni ſemper ſubiecta eſt figurarum explicatio. Nihil magis dolemus, quam quod in tam ſplendido et admirando opere, nulla ſynonyma, nullae ab aliis praeſtantiſſimis viris conſtructae deſcriptiones allegatae reperiantur. Qui omni laude ſemper dignus eſt liber hic, ea longe dignior eſſet, ſi comparatio quaedam Cl. Auctoris deſcriptionum cum aliis a doctis viris iam datis eſſet facta. Abſit, vt laudes tanti viri vllo modo diminuamus, vt potius optaremus, vt liber hic excellens omnibus, quoad fieri poſſet, numeris eſſet abſolutus. Verum cum Cl. Auctor fungorum aliquam promiſerit hiſtoriam, forſitan, quae nunc deſiderantur, in optata hiſtoria ſperanda erunt. Nobis quoque videtur, quod quandoque fungorum ſpecies velut peculiares et diuerſae traditae ſint, quae, vt opinamur, melius pro varietatibus eſſent habendae, exemplo eſſe poterunt Tom. I. tab. 7 et 8 etc. porro lycoperda quaedam, clauariae etc. Sed haec omnia pace ſumme venerabilis viri dixerimus.

XII.

De nonnullis plantis, quae pro venenatis habentur. Obſeruationes et experimenta a PETRO ROSSI Florentiae inſtituta. Piſis 1762. 8. pag. 66.

Eſt epiſtola ad IOANNEM LAPI, in noſocomio regio ſanctae mariae nouae botanices lectorem publicum data. Primum experimentum, cum *to-*

p. 5. *xicodendro* inſtitutum eſt, cuius externe applicatus cuti ſuccus pruritus et inflammationes excitat. Interne itaque ſuccum cum carne cani comedendum dedit, vnde leui conuulſione affectus eſt, ſed altero die reconualuit. Eidem itearum exhibitus ſuccus expreſſus ſolus vel cum carne, vel cum radice nihil mali, nec minimum quidem fecit. Idem effectus, dum in venam cruralem ſuccus infunderetur, vel dum in galli ingluuiem contuſa radix de-
p. 10. truderetur. Poſt haec tentamina facta ſunt cum *ſolano* in canibus, quibus non ſolum ingeſtus fuit ſuccus, ſed etiam in abdomen infuſus, leuiſſimis autem turbis exceptis, nulla periculoſa excitauit ſymptomata, eadem repetita ſunt in gallis, pullis, auibus,
p. 15. ſimillimo effectu. *Cicutam* deinde, quae noſtris temporibus adeo laudatur, experturus, duobusque exemplis in iuniori femina, in cancro aperto mammae, et in vetula in ſcrophuloſis tumoribus, continuato etiam vſu nullam ſanationem videns, cani ſano ceteroquin, porrexit ſucci vncias duas et vltra, ſed ſine omni mutatione; ſuccus fermentatus, admodum foetens, digeritur ab eodem ſine incommodo, immo radix deglutitur ſine vllo inflammationis ſigno. Pullus vnciam vnam et dimidiam ſucci expreſſi ſine veneni nota accipit. Etſi vero multa dentur auctorum teſtimonia, quae cicutam et reliquas adductas plantas venenatas oſtendant, quum acres ſuccos contineant, non tamen obiici debere adſerit Cl. Auctor, ac ſi hominibus magis, quam aliis
p. 39. noceant animalibus. Ruſticorum eſt opinio, eruum gallinas et ſues necare, boues ſaginare. Experimentum cum duobus gallis et pullo ſuſceptum reſpondit dictis, ſed in cadaueribus nullum veneni indicium, ingluuies potius ab intumeſcentibus hiſce ſeminibus, quae ob durum corticem digeri non poterant, farcta reperiebatur. Inde mortis cauſa.

Refel-

Refellitur quoque ſententia BROGIANII, venena eſſe in proportione inuerſae magnitudinis et tenuitatis corporis viui, cui exhibetur, niſi forte in doſi data ſit differentia. Valet contra venena aliquid morbi indoles et conſuetudo, ſana erant ad tentamina electa animalia, vt contra eapropter dici nil poſſit. Inde tamen neutiquam fluere arguit Noſter, hominibus innoxie dari poſſe, etſi ſaepe vis plantarum a ſolo, quibus increſcunt, et climate pendeat et varia reddatur. In efficaciam autem harum cauſarum ſe inquiſiturum eſſe promittit Cl. Auctor, cuius libellum ea propter adducendum eſſe credidimus, quo in plantarum etiam virtutibus examinandis et celebrandis nullum ſtudium atque attentionem praetermittendam eſſe pateat.

XIII.

Obſervations ſur l'ecorce des feuilles et petales A Geneve 1762. 12. pl. 4.

i. e.

Obſeruationes de cortice foliorum et petalorum in plantis.

Auctor huius libelli, Cl. H. B. DE SAUSSURE, incitatus potiſſimum Ill. HALLERI, cui opuſculum nuncupauit, approbatione, nouas de cortice foliorum ſtudioſe inſtitutas obſeruationes publicas facere non dubitauit, quum in iis quaedam ſint, quae ad meliorem functionum, a foliis peragendarum, explicationem pertineant. Ita vero ad quatuor momenta omnem ſuam reduxit tractationem, vt *primo* capite de foliorum petalorumque cortice, quatenus ſolis ſenſibus cognoſcitur, *ſecundo*, quatenus

tenus per microſcopia intelligitur, *tertio* de rete, in cortice deprehendendo et *quarto* tandem de glandu-
p. 3. lis corticalibus differat. Folia plantarum, horizontaliter diſrupta, oſtendunt membranam gryſeam, tenuem et fere pellucidam, alii epidermidem dicunt. Haec eſt cortex foliorum, color per morbos mutatur, quandoque maculas habet, quarum tamen ſedes aliquando profundior et in parenchymate eſt. In cyclamine ſolum cortex coloratus deprehenditur. Adhaeret autem ille non in omnibus eadem tenacitate, nec ſimili modo in vtraque folii ſuperficie. Petalorum cortex ſaepius coloratus exiſtit. Idem ille pilos continet; ſingularis quoque eſt proprietas, corticem, ſi detrahatur, ſeſe cito introrſum complicare. magis in foliis ac petalis, ſin exſiccatur, in contrariam ſe retorquet partem. Ex quo concludit Cl. Auctor, duo vaſculorum ſyſtemata ineſſe.
p. 13. Calor hanc conditionem accelerat, niſi ſit humidus, qui actionem impedit, prius etiam fit, ſi folia aliquantulum marceſcunt. Elegit autem, quo microſcopio curatius rem detegeret, folia *digitalis*, *foliis calycis linearibus acutis, flore venoſo, maculoſo.* Microſcopium adhibuit compoſitum, variasque len-
p. 21. tes, vidit in membrana huc puncta obſcura parua, quae oblonga conſpiciebantur et corticem pertuſum ſiſtebant foraminibus inaequalibus, variae figurae, inerant his fila opaca, tortuoſa, quae rete irregulare efficiunt; ad ſingulam aream ſex fila accedebant, ipſa area vero membrana ſemipellucida luteola occupatur: id eſt *rete corticis*, corpora oblonga ſunt *glandulae* et membrana externa eſt foliorum epidermis. De his itaque partibus ſeorſim exponitur.
p. 28. In rete corticis primo ad formam arearum reſpiciendum eſt, quae vel in foliis diuerſis, vel in vnius eiusdemque partibus diſcrepat. Regulares magis ſunt in ſuperiore quam inferiore parte foliorum, anguſtiores

ſtiores et longiores ſunt verſus petiolum, quam verſus mediam et anteriorem partem, rectis ex lineis conſtant eae, quae ſupra maiores neruos ponuntur. p. 34.
Forma tamen arearum, etſi plerumque ex ſex filis conſtent, non ſemper eſt hexagona, plerumque ex rectis lineis facta, ſic, vt poſſis plantas diſtinguere in eas, quae habent areas longas, lateribus rectis, et eas quae habent tortuoſas areas. Attamen difficillimum vtique foret, ex hac conditione genera et ſpecies plantarum determinare. Filamenta porro, quae areas conficiunt, quoniam transparent et inter ſe anaſtomoſes faciunt, apte pro vaſculis habentur, ob pelluciditatem lymphatica dici merentur. In aliis p. 40.
vero plantis inflexa, in aliis cylindrica apparent, et ad epidermidem magis, quam ad parenchyma vel alias partes adiunguntur. Sub hoc reticulo autem aliud conſtituitur, quod parenchymaticum vocat Noſter, ex vaſculis maioribus amplioribusque areis compoſitum. Cortex petalorum fere eadem omnia p. 46.
ſimiliter habet, niſi quod vaſa, vt in borragine, magis ſpiralia appareant. In cortice *cataputiae*, numeroſa invenit puncta lucida, obſcuro circulo circumdata, deinde in aliis, vaſa, vt vult Cl. DU HAMEL, tranſpirationi deſtinata, certe non ſunt, quid autem ſint, per tentamina omni data opera cognoſci non potuit. Glandulae corticales non tantum ad p. 60.
rete deſcriptum adhaerent, ſed etiam fibra vel vaſculo circumambiuntur, ita tamen, vt interuallum ſuperſit. Figura earum oualis et oblonga eſt, et vaſculi circumeuntis elliptica, cum quo etiam vaſa retis communicant. Ex glandularum extremitate vidit etiam exire vaſculum, ſubtile, rectum, quod ad vaſculum circumeuns properabat. Adſunt autem in omnibus foliis et in ſolo eorum cortice, ſingula- p. 71.
res ellipſes in Cannacoro occurrunt. Varios itaque in glandulis apparatus, vaſorum, eorumque inflexus

 de-

decurſus haud obſcure ſignificat, eandem eſſe ac in glandulis animalium vtilitatem, ſecretionem ſcilicet et praeparationem ſuccorum. Etenim eſt inter ſanitatem foliorum et glandularum pelluciditatem ac perfectionem relatio: in ſano folio egregie pellucent, ſed opaciores, immo obſcurae, in adfecto euadunt. An tranſpirent ſuccos, cum Cl. GUETTARDO non arbitratur Noſter, quin potius eundem refutat, et glandulas corticales ad vaſcula abſorbentia refert. Quod autem nec haec ſine limitatione ponenda ſint, ex varietate ſitus glandularum, in foliis etiam arborum, apparere videtur, quippe quibus in ſuperficie foliorum inferiore tantum conceſſas eſſe voluit Cl. BONNETUS, ſed etiam ſuperiorem
p. 82. Iuniperi, et ſolam tales habere reperit Cl. Auctor. Hinc aliquando excretionis officium in ſe ſuſcipiunt, probatur exemplo Nymphaeae; elaborationi ſane
p. 91. ſuccorum inſeruiunt. Sed petala iisdem plane deſtituuntur, vt ea propter in hoc defectu euidens quaedam petala diſtinguendi nota ſit: acceperunt autem illa in ſingula corticis area veſiculam, papillae conicae ſimilem, pellucidam, coloratam: a quibus non tantum color petalorum dependet, ſed etiam glandulas globulares GUETTARDI earumque pediculos inſertos habent. Nos vero vtique conuincimur, hanc etiam ad foliorum vſum perſpiciendum non parum facturam eſſe diſquiſitionem.

XIV.

De hydrope articulorum, Diſſert. inaugural. Auctore GEORGIO HAFFNER Sueuo Fillenbacenſi. Noſocomii Pazmariani Chirurgo. Vindobonae 1762. 4. pl. 5½.

Morbi huius haud ita leuis quidem accurata deſcriptio, et naturae, ſedis cauſarumque eius docta perueſtigatio, nec non curandi methodus, propria experientia Cl. Auctoris firmata, teſtantur omnino, quantum Auctoris in diiudicandis morbis ſit ingenium, quantusque in adplicandis remediis attentus animus. Nos qui ſcriptum hoc conſideratione dignum iudicauimus, praecipua eius momenta breuiter recitemus. Quidquid linimentum illud in articulorum cauis contentum, liquorem Hauerſianum dictum, praeternaturali modo accumulare, mutare, ſtagnantemque efficere poteſt, illud cauſam proximam hydropis articulorum eſſe, Cl. Auctor affirmat. Tales hydropicos tumores, in p. 7. variis quidem articulationibus, nullibi tamen frequentius, quam circa genu obſeruauit. Suſpicatur putat, oſſa valde lata, et ligamentum capſulare, quod hoc loco maximum eſt, minori ſua reſiſtentia, faciliorem diſtentionem admittere poſſe. Ipſum humorem, inciſo tumore, varium, nunc limpidum, nunc flauum, ichoroſum, virideſcentem, et leni caloris gradu inſpiſſandum Cl. Auctor reperit. Omnes cauſas morbum hunc generantes, in duas diſpeſcitur claſſes, ad quarum primam omne refert, quod liquorem Hauerſianum maiori, quam naturali, copia ſecernit; ad alteram, quod humore mutato ad articulorum caua deponendo, tumorem hydropicum efficit. Augeri humorem articularem, aut ſi plus ſecernitur, quam reſorbetur, aut, ſi iuſta quan-

quantitate ſecretus, parcius vel prorſus non reſorbetur, Auctor putat. Multiplicationem ſecretionis huius, auctis vniuerſae ſecretionis cauſis adſcribit, impeditam vero reſorptionem, dum in ipſis vaſis, ſi laxa ſunt, paralytica, calloſa, et obſtructa, dum in humore viſcidiori reddito, haerere, iudicat. Altera cauſarum claſſis, quae ſcilicet praeter naturali humore articulorum caua replendo, hydropicis tumoribus oriundis oportunitatem praebent, varios
p. 10. praegreſſos ſiſtit morbos, vt ſunt: variolae, morbilli, ſcorbutus, venerea lues, rachitis, rheumatica et arthritica diatheſis, quae mala, cum vniuerſis corporis humoribus peruerſam mutationem concilient, liquorem etiam articulorum acrimonia obuoluunt. Curioſum eſt, quod Cl. Auctor refert, articulorum hydropem, in loco, quem ſemel occupauit, permanere, nec vt aliae hydropis ſpecies, ex vna in alteram corporis partem transmigrare. Symptomata, hydropi genu accedentia, haec obſeruauit. In motu ſentitur dolor, partemque adfectam circumdat tumor, cuti plerumque concolor et mollis, et preſſioni ita cedens, vt ipſi femoris condyli tactu poſſint percipi, qui ad tantam ſaepius magnitudinem increſcit, vt duos treſue pollices ſu-
p. 12. pra patellam aſcendat, et mannum ope leuiter concuſſus, manifeſtam vt in aſcite aquarum fluctuationem praebeat. Quod ſi vero malum fuerit neglectum, longe peiora animaduertuntur ſymptomata. Semper enim humore aucto vera partis luxatio producitur, ſtagnando humore, acrimoniam acquirit, partesque erodit, inflammatque, aut tandem reſorptus reliquam humorum maſſam inficit, totumque corpus lenta febre emarcit.

Sunt nonnulli morbi, cum quibus genuum hydrops magnam affinitatem habere videtur, e. g.
p. 15. fungus ad articulum ortus, nec non oedema, et ſuppu-

ſuppuratorius tumor, accurate vero diſquirenti, adparebit, morbos hos, ratione ſedis, cauſarum, ſymptomatum, curandique methodi euidenter ab hydrope genuum differre. Cura huius morbi, ad quam Cl. Auctor progreditur, alia eſt, in recenti, alia in inueterato malo. In recenti morbo aquarum ſtagnantium diſſipationem, aquae frigidae affuſione, aut adplicatis fomentis ex vino, ſale, aceto, vrina, ſcordio, ruta compoſitis, aut ipſa tandem embroche ex aquis mineralibus calidis, tentauit. Cicutae vſum externe in fomentis egregium expertus eſt. Interne purgantia hydragoga, diaphoretica, et diuretica non neglexit. Quod ſi vero malum his remediis non cedit, aperiendum eſſe tumorem Auctor ſuadet, hac tamen cautela adhibita, vt vulnus ſibi relinquatur, nec turundis vel aliis corporibus nimis amplificetur, nec aeri aditus facilis concilietur. Multis enim Cl. Auctor edoctus fuit exemplis, quanta incommoda aer ad vulnera penetrans produxerit. Et primo hydatidum exemplo demonſtrat, has anguſto foramine eſſe aperiendas, ne aeri ad vulnus aditus pateat. Eadem enchireſi hydropem ſaccatum eſſe curandum, cuius tamen aperturam non inſtituendam eſſe Cl. Auctor putat, niſi tumor extra abdominis cauum inter integamenta et peritonaeum haereat. In empyemate et vomica ex pleuritide nata egregium quoque effectum ab apertura parua facta obſeruauit.

p. 18.
p. 27.
p. 29.
p. 30.

Aliter res euenit in abſceſſibus profundioribus, hos maiori cum vulnere, et quidem longitudinali et transuerſali ſimul, aperiendos eſſe Auctor ſuadet, cum contextus celluloſus a materia acri reddita, exeſus ſaepius ſit deſtructusque, immo ſinus formentur, e quibus, parua inciſione facta, humor non commode poſſit educi. In hydrope ſcroti et pedum, diſſipationem aquarum ope fomentorum calidiorum acquiſiuit.

p. 33.
p. 35.

ſuit. Venaeſectionis in rheumaticis doloribus adhibitae funeſtum euentum in foemina obſeruauit, quae
p. 36. paucos poſt operationem dies exſpirauit. Fiſtulam ani in foemina 60 circiter annorum, ſola iniectione ex cicuta facta, perfecte et abſolute curauit. Naeuos maternos felici cum ſucceſſu ab Auctore fuiſſe extirpatos, variis adductis exemplis demonſtratur. In reponendo luxato humero, vſus eſt Cl. Auctor polyſpaſto pro extenſione facienda, pro contraextenſione vero loro, quod circa pectus adplicatur, et duabus habenis, quibus praeditum eſt, aſcendentibus ſupra ſcapulam et clauiculam flectitur, et de-
p. 40. ſcendendo loro iterum adnectitur. In pedis et manus luxatione, praecipue ſi oſſa ſunt fracta, repoſitionem leni ſemper modo eſſe tentandam, nec prius reiterandam, niſi diſſipita fuerit inflammatio, Auctor ſuadet. Suturas vulnerum non ſemper neceſſarias eſſe, Noſter fuit expertus, tandemque obſeruationes addit, de herniis incarceratis, auena leniter toſta, ſacculo incluſa, et hernioſo loco adplicata, curatis. Hanc medendi methodum ſaepius proficuam inuenit, quamuis rationem, cur prodeſſet, detegere non potuerit.

XV.

Abhandlungen der naturforſchenden Geſellſchaft in Zürich, I. Band, Zürich 1761. 8. *Alph.* 1. pl. 12. tab. aen. 4.

h. e.

Acta ſocietatis naturae indagatorum Tigurinae. Tomus Imus.

Collectio haec libellorum a ſocietate, quae Tiguri floret, facta complectitur, excepta praefatione, vbi

vbi de edendarum commentationum ratione dicitur, 13 diſputationes, quarum ſumma, quoad fieri poterit, nunc paucis indicanda eſt.

1) Scenam aperit oratio *de ſocietatum vtilitate in augendis vitae hnmanae commodis ex perſcrutandis rebus phyſicis oriunda*, habita a D. HIRZEL eo ipſo die, quo laudata ſocietas primum conuenit, ſcil. d. 10 Ian. 1757. In ea, praeter neceſſitatem, vtilitatem et iucunditatem rerum naturae intelligentiae, de ipſa ſocietatis ratione et conſtitutione exponitur. Sociorum duo ſunt genera, alii ordinarii, honorarii alii appellantur, quibus ſemper e ſocietate aliquis praeeſt, cui ad manus ſunt duo librarii. Vniuerſae elaborationes ad quinque claſſes rediguntur, prima continet eas res, quae ad phyſicam, proprio ſenſu ſumptam, pertinent; altera res mathematicas; tertia hiſtoriam naturalem, quarta res medicas et vltima oeconomicas illuſtrat. Laudantur deinde egregiae collectiones librorum, inſtrumentorum, machinarum, auium, piſcium, quas iam poſſidet ſocietas. Inprimis admirationem mouet herbarium, ex 36 tomis conſtans, et a Praeſide huius ſocietatis ſummo ſtudio collectum; ibi reperiuntur prope plantae omnes in Heluetia ſponte creſcentes, gramina cuncta a Cel. SCHEUCHZERO olim deſcripta, magnus muſcorum numerus, multaeque aliae plantae exoticae. p. 3. p. 57. p. 63.

2) *De ſitu et magnitudine vrbis, cui nomen Tigurum, phyſice conſiderata* Auct. D. GESNERO. In tres partes diſtributa eſt haec diſputatio. Primum ſitus et regio vrbis, deinde eius magnitudo definitur, ex quibus denique concluſiones quaedam deriuantur. Situs a determinatione latitudinis, longitudinis et altitudinis ſupra maris ſuperficiem pendet. Latitudo prope $47\frac{1}{2}°$, de longitudine res dubia eſt, accura- p. 79.

curatior tamen vtriusque rei determinatio promittitur. Naturalis ſitus ex aquarum terraeque indole atque montibus circumiacentibus diiudicatur. Area vrbis vnacum ſuburbiis 15. 458, 314□′ ponitur, numerusque incolarum circiter 12500. Tem-
p. 96. peries aeris et ipſum clima ex vrbis latitudine, altitudine ſupra maris ſuperficiem, montibus, lacu et fluuiis ventisque intelligitur. Maxima altitudo mercurii in barometro reperta ſemper eſt 27″, atque minima 26″. Venti, qui per totum fere annum flare ſolent, ſunt S. W. N. SW. NW rariſſime contra reliqui a nautis appellati venti ſpirant. Pluuiarum et niuium magna per annum copia delabitur; eſt ſcil. numerus dierum quando pluit, ad dierum reliquarum numerum vt 100 ad 365. Media aquae altitudo de coelo lapſae 32½″ eſt inuenta, quare copia aquae quotannis delapſae ratione totius vrbis eſt 352, 446., 643½ Cent. Ex his, quae diximus, quodammodo, qualis ſit in corpora humana influxus, perſpici poterit. Mutationes enim omnes ex aere rariori et ſubtiliori, copioſis exhalationibus aquoſis, caloris et frigoris frequente viciſſitudine, multitudineque incolarum ſunt explicandae.

3) *Deſcriptio agriculturae in agris Appenzell di-*
p. 115. *ctis* Auct. LAUR. ZELLWEGER M. D. Quae de agris Appenzellenſibus tradita eſt deſcriptio, continetur primum commemoratione terrae incultae, atque cultae, deinde adminiculis, quibus inculta terra adaptanda eſt, cum foenore ad acquirendam magnam foeni copiam. Tertio indicantur ſubſidia de conſeruandis, qui fertiles ſunt, agris. Denique quo modo varia fimi genera ad ſaturandos agros poſſint adhiberi, enarratur.

4) *De noua diu ſine corruptione conſeruandi frumenti methodo* Auct. HENR. SCHINZ. iun. Quo paсto frumentum ſit conſeruandum, docetur tribus capitibus, quorum primum refert rationem conſtruendarum annonae apothecarum, quae hactenus in vſu fuerunt. Alterum Cl. INTIERI conſeruandi frumenti modum explicat. Vltimo loco haec tractandi frumenti ratio commendatur. p.135.

5) *Obſeruationes circa virtutem corticis chinae in variis morbis.* Collectae hae obſeruationes non vnum auctorem, ſed plures agnoſcunt. Prima eſt a D. RAHN et D. SCHINZ, cuiusque ſumma haec eſt: vir quidam, 45 annorum temperamenti ſanguineo cholerici febri catarrhali benigna laborabat, quae poſtea naturam febris intermittentis irregularis induit, tandemque in quotidianam cum ſopore coniunctam ſeſe mutauit. Adhibebantur medicamenta antifebrilia, externe rubefacientia, ſed ſine effectu. Tandem vſus corticis chinae praecipiebatur. Sopor ceſſit, atque aegrotus poſt aliquot dies conualuit. p.189.

In altera obſeruatione a Cl. RAHN narratur, quanti fuiſſe vſus corticem Peruuianum in febri variolarum ſecundaria, qua correptus fuerat puer 3 annorum, qui maxima cum voluptate variolas exſiccatas deuorauerat. p.193.

Eundem effectum a cortice quoque obſeruauit Cl. HIRZEL, in cuius deſcriptione morbi obſeruati id annotaſſe conuenit, quod ille ſponte ſuppreſſam in variolis confluentibus nigreſcentibusque ſaliuationem repetita doſi mercurii dulcis reuocauerat. p.195.

Quarta obſeruatio, a Cl. SCHINZ communicata, confirmat vſum chinae corticis in febri aliqua irregulari, poſt variolas bene ſuperatas orta. p.200.

p.203. Quinta obſeruatione Cl. RAHN duplicem caſum de vſu eiusdem corticis in malo hyſterico commemorat.

p.207. Vltima obſeruatione vſum huius corticis in incipiente gangraena a cauſa interna commendat Cl. RAHN et FRIES.

6) *Obſeruationes nonnullae de terra torfacea* Auct. CONRAD HEIDEGGER, *in agris* Rüti *dictis effoſſa.* Reperitur illa iis inprimis locis, vbi creſcunt plantae ſequentes: ſphagnum paluſtre, eriophorum vaginatum et polyſtachium, bryum ceſpititium, carex pulicaris et ramoſa, ſchoenus nigricans et mariſcus, iuncus glomeratus, effuſus, filiformis, andromeda polifolia, equiſetum limoſum, erica vulgaris, vaccinium oxycoccos, mentha aquatica et droſera. Interdum abietis, quercus etc. fragmenta cum hac terra commixta effodiuntur. Fundamentum huius terrae plerumque eſt argilla caeruleſcens. Exinde liquere docetur: primarias terrae torfaceae partes eſſe plantas et radices ex parte putreſcentes, atque hoc terrae genus ab initio non eſſe conditum, nec lignum putreſcens huius terrae conſtituere partes eſſentiales.

7) *De variis frumentum conſeruandis modis eius-*
p.231. *que delectu*, Auct. IOH. GESNERO. Lectu digna eſt haec commentatio *), atque conſtat tribus partibus; prima frumentorum genera eorumque naturam explicat; altera, quot ſint modi, quibus frumentum corrumpatur, docet; tertia adminicula de ſer-

*) Primum prodiit diſputationis forma ſub hac inſcriptione: Diſſ. phyſic. *de variis annonae conſeruandae methodis earumque delectu.* Praeſide I. GESNERO Turici 1761. 4. pl. 5. c. tab. aen.

ſeruando frumento indicat. Duplex eſt corruptionis frumenti cauſa, altera intrinſeca v. c. fermentatio, externa altera, inprimis in inſectis quaerenda: quorſum pertinent phalaena granella, et tritici, curculio granarius, tenebria molitor, et acarus farinae. p. 252. Ad impedienda itaque haec corruptionum genera tria remedia commendantur. Adhibendum eſt primum aduerſus vehementem partium internum motum atque in eo conſiſtit: remoueatur aeris externi communicatio, diſſipentur humores, condantur fructus. Alterum requirit aptum et moderatum fermentationis gradum; tertium eſt de modis repellendorum inſectorum, quae frumento damnum inferunt, quorum optimum hunc eſſe exiſtimat, ſi frumenti grana in furno Intieriano exſiccentur.

8) *Confirmatio ſyſtematis Halleriani, quod nonnullis partibus corporis humani, inprimis tendinibus, ſenſibilitatem abrogat, obſeruationibus quibusdam chirurgicis corroborata a* IOAN. RUD. BURKHARD. In ſex diuerſis aegrotis opportunitatem habuit in veritatem huius rei, a multis adhuc impugnatae, inquirendi, et reperit 1) in virgine aliqua, duram matrem et pericranium nullum ſentiiſſe dolorem, licet vtrique, fruſtulo antea oſſis parietalis dextro poſt exfoliationem ablato, balſamum quendam applicuerit acrem, qui in labiis eiusdem vulneris acutum excitabat dolorem. 2) In alio viro ſauciatam arteriam radiaeam ad tendinem muſculi radiaei interni arcte ligauit, nec vllus inde ſecutus eſt dolor, nec alius effectus ſiniſter. 3) Simili modo non ſolum arteriam tibiaeam poſticam cum tendine flexoris pollicis arcte conſtrinxit, ſed etiam plures fibras a tendine Achillis aliorumque vicinorum muſculorum, quod gangraena tangi coeperint, ſine doloris ſenſu aliquoties reſecauit. 4) Cl. HIRZEL et Auctor in

 virgine

virgine quadam nudas tendines muſculi ſternomaſtoidei et ſplenii cultelli apice pupugerunt, fibrarum aliquot in iis transuerſim diſciderunt, lapide infernali tetigerunt et quarto die eadem tentamina repetierunt, nec ſentiit quicquam aegra, cum horum ne leuiſſimum in cute pati valeret. 5) In alia virgine Auctor per inciſionem meliceridis, quae dorſo manus inſederat, diſſecta ſimul vagina tendinum extenſorum digitorum, denudauerat has tendines omnes, vulnus deinde purgatum faſcia inuoluerat, ſed ſtatim ingens oriebatur dolor, qui quidem ſenſim ſenſimque ſponte miteſcebat, quinto vero die, cum ei, incepta ſuppuratione, vnguentum digeſtiuum balſamicum Cl. Auctor imponeret, recrudeſcebat, itidemque ſequenti repetiebat, licet priorem balſamum cum ſimplici et miti mutaſſet; atque hoc quotidie poſt quamlibet recentem vulneris deligationem accidebat, ita, vt Auctor de inſenſibilitate tendinum et ligamentorum, quam certam expeditamque crediderat, ſubdubitare nunc inciperet. Secum itaque conſtituit hanc rem tentaminibus expiſcari. Quare tendines has nudas volſella comprimebat, acu perfodiebat, ſpiritu acri vngebat, nec horum quicquam ſentiebat aeger, indubitato argumento, dolores a nudis neruis vaginam percurrentibus proueniſſe. 6) In operatione chirurgica herniae incarceratae, vnius lateris duplicatae, Auctor ligamentum FALLOPII nonnullis in locis incidit, praeterquam quod aegrotus vel minimum doloris habuiſſet ſenſum. Duplex haec erat hernia, quarum altera, inguinalis, alteri ſubtus latenti, femorali, incumbebat.

9) *De corrigendis paſcuis vliginoſis et de inſtituenda armentorum pecorumque ſanitatis cura praecepta quaedam tradunt Praeſes et membra collegii ſanitatis Tigurini.* Quum paſcua et prata vliginoſa ſaepe noxam ar-
p. 349.

mentis

mentis, pecoribusque inferant, omnis op era eſtnauanda vt quouis modo tam inculta loca corrigantur. Quare foſſae ad quamlibet regionem, ſiue elatior ſiue depreſſior ſit, accommodatae, ſunt effodiendae. Nec ſpernendae ſunt arborum plantationes eis locis laete creſcentes v. c. ſalicis, alni, populi etc. exſtirpandae e contrario ſedulo plantae ad impediendum, quo minus eiusmodi paſcua corruptiora euadant, hic pertinent varia iuncorum, ſcirporum, carduorum et ſimilia genera. Quibus rite obſeruatis, cauendum eſt, ne iumenta pecoraque qualibet anni tempeſtate paſcantur, nam delectus tempeſtatis in oeconomia animantium ſemper magni faciendus eſt. Cauendum eſt porro, ne nominata animantia nimis agantur. Purgandi ſunt putei atque lex de introducendis animantibus ex alienis regionibus caute eſt ſanciendа.

10) *Oeconomiae praecepta* ſub titulo: *Oeconomia ruſtici philoſophici* Auct. D. HIRZEL. Libellus de ruſtico philoſopho tradit praecepta de inſtruenda oeconomia circa agriculturam et pecuariam. Quam ob cauſam exemplum aliquod tanquam fictum ponitur eo animo, vt paulo melius iſta praecepta ad caſum electum accommodari poſſint. p.371.

11) *De variis experientia probatis remediis contra frumenti vſtilaginem* Auct. IOAN HENR. SCHULTHES. Varia plerumque contra vſtilaginem commendantur remedia, horum praecipua Cl. Auctor recenſet, atque exinde colligit, ſemina cum quolibet lixiuio aquae coniuncta poſſe ab hoc frumentorum morbo liberari. p.497.

12) *Quidam circa plantas deſcripti inopinati habitus et variationes ab* Auct. SALOM. SCHINZ M.D. p.507.

 Ante-

Antequam ipſa inopinata quarundam plantarum facies, monſtroſique habitus exemplis declarantur, praemittuntur primo explicationes quaedam de interna plantarum ſtructura, de naturali earum conſtitutione, de variis modis, vnde earum varietates originem capiant; denique cauſae variationum traduntur, quae vel eſſe poſſunt internae, veluti pollen alterius diuerſae plantae piſtillo alterius adſperſus, vnde plantae hybridae oriuntur; porro aequilibrii defectus in viribus vegetationis, quo efficitur, vt quaedam plantarum partes magis nutriantur et explicentur quam reliquae. Vel externae ſunt, vt locus et clima, vbi creſcunt, atmoſphaerae conſtitutio, nutritio, laeſio ab inſectis orta, preſſio, cultura et ars hominum. His praemiſſis de anni 1760 fertilitate exponitur, denique monſtroſi illi plantarum habitus ad ſocietatem miſſi recenſentur, quorſum pertinent roſa centifolia prolifera frondoſa, centaurea moſchata floribus quatuor pedunculis concretis, tropaeolum minus ſimili modo; pira prolifera frondoſa, malum pedunculo fertili, cydonium triplex frondoſum.

13) *Obſeruationes meteorologicae anni* 1760 *collectae a* CONRADO MEIER.

XVI.

XVI.

IOSEPHI QUARIN Sacrae Caeſar. Reg. Apoſt. Maieſtatis Inf. Auſtr. Regim. Conſil. Sanitat. et in Noſocom. frat. miſericord. Phyſici, Tentamina de cicuta. Vindobonae, typis, Ioannis Thomae Trattner, 1761. 8. pl. 2½.

In duo capita totus hic libellus diſpeſcitur, quorum primum plantae deſcriptionem et analyſin chemicam continet, ſecundum vſum cicutae declarat. Magna inter botanicos circa plantam hanc noſtram hallucinatio, nec minor fere inter eosdem de certa nominis definitione fuit controuerſia, ſiquidem BAUHINUS cicutam maiorem, CLUSIUS cicutariam maiorem vulgarem, ROYEN conium, cicutam TOURNEFORTIUS nominauit, vt vel hodienum adhuc non admodum forte facile foret, duo haec plantarum genera nomine confuſa accuratius diſtinguere, niſi Cl. LINNAEUS proprios iisdem characteres eſſentiales impoſuiſſet, et alterum ſub cicutae nomine, vmbellis, folio oppoſitis, petiolis marginatis, obtuſis; fructu ſubouato ſulcato; alterum vero ſub nomine conii caule maculato, ſemine ſubgloboſo, quinque ſtriato, vtrinque crenato, deſcripſiſſet. Chaerophyllum temulentum, cum quo facile ob ſimilitudinem confunditur, inuolucrum habet reflexum, concauum, conium autem inuolucro polyphyllo ad horizontem poſito inſtructum eſt. Porro chaerophyllum petalis gaudet cordatis, fructu oblongo leui, nec odore adeo tetro atque conium diſplicet. p. 6.

Libra vna plantae a Cl. IACOB WELL, pharmacopaeo Viennenſi, arenae balneo impoſita, primum phlegmatis limpidi, inſipidi, odoris pauliſper p. 12.

tantum fatui quinque drachmas cum ſemiſſe exhibuit. His remotis, phlegmatis parum colorati, odoris magis fatui, nauſeoſi, ſaporis exigui, non multum empyreumatici drachmae ſeptem cum ſemiſſe inſequebantur. Ab vtroque color coeruleus non mutabatur. Cum ipſo hoc caloris gradu per tres horas ſuſtentato nil amplius prodiret, gradatim eundem Cl. WELL intendit, et laticis fuſci, graueolentis, acris, odore volatilis, linguam pungentis, tres vncias totidemque drachmas extricauit. Sub prolectione huius ſpiritus manifeſte alcalini, latera recipientis ſale alcalino volatili vndique obducebantur. Salis huius ſicci drachma vna cum ſcrupulo eximebatur, reliquum, aqua prius ponderata elotum duas drachmas viginti et quinque grana ponderabat, multumque cum ſpiritu adhuc effundebatur, in quo diſparuit. Tandem olei tenacis, craſſi, nigerrimi, foetidiſſimi vncia vna cum ſemiſſe, et drachma dimidia proliciebantur. Carbo relictus ponderis trium vnciarum vniusque drachmae, per duas horas in vaſe aperto calcinatus, ſalis alcalini poſt elixati tres drachmas praebuit, terrae indiſſolubilis vncia vna, et drachma ſemiſſe remanentibus.

p. 16. Sequitur nunc caput ſecundum, in quo Cl. Auctor, decem et ſeptem caſibus egregiam cicutae virtutem declarat. Prius autem, quam ad hos ipſos ſe conuertit, feminas viris citius vtplurimum curari, tumores magnos ope remedii valde imminui, imminutos vero pertinacius quandoque reſiſtere, atque tumores tandem ſcirrhoſos plurimis fundi, paucis bona ſuppuratione conſumi monet.

Caſus I. II. III. vſum cicutae in tumoribus ſcirrhoſis declarant.

Caſus IV. V. inſignem plantae virtutem in cancro oſtendunt, quam Cl. Auctor in ſpina ventoſa et phthiſi ſcrophuloſa non minus egregiam expertus

tus eſt, qui, vbi effectum non adeo magnum eſſe cognouit, ſequens medicamentum cum ſucceſſu exhibuit; Rec. Veron. Virg. aur. a. mj. cicutae dr. iij. bulliant per ſemiquadrantem horae colat. lib. iß. fortiter expreſſae add. ſyrup. diacod. vnc. iß. Sumat omni trihorio vnc. ij.

Caſus VI. Vir quadraginta annorum, vlceribus multis tumoribusque ſcrophuloſis, ipſaque phthiſi laborans, cicutae ope perfectam ferme ſanitatem recuperauerat, aſt noſocomium reliquit et appetitui nimirum indulſit, vnde in dyſenteriam incidit, qua mortuus eſt. p. 25.

Caſus VII. Miles bibax, cui arthriticis doloribus diu vexato ſumma tandem macies, tuſſis primo ſicca, dein purulenta, dolor pectoris acerbus, pulſus celer et ſudores nocturni ſuperuenerunt, ſolo cicutae extracto conualuit.

Caſus VIII. Iuuenis viginti annorum, ob frequentem nimis ſcalarum adſcenſum tuſſi ſicca, reſpiratione difficili et anhelosa correptus cicutam adſumpſit, qua quidem leuatum, aſt plenarie tamen malum profligatum non eſt. Id, quod tamen factum Noſter refert, poſtquam quinque lapillos duritiei oſſeae, gypſum referentes, tuſſi aeger reiecit, vſumque cicutae continuauit. Arthritidem, podagram et achores infantum idem remedium propellit. p. 27.

Caſus IX. X. Tineam, ſcabiem, quin ipſius quaſi elephantiaſis etiam ſpeciem ſola cicutae lotione fugatas ſiſtunt.

Caſus XI. Sartori viginti et quatuor annorum, qui a ſcabie retropulſa inſignem pectoris oppreſſionem, difficilemque reſpirationem contraxerat, cicuta interne ſumpta perfectam ſanitatem reddidit.

Caſus XII. XIII. XIV. plantae virtutem in vlceribus antiquis et fluore albo oſtendunt, eiusdemque

efficaciam in vlceribus venereis, gonorrhoeis inueteratis, fiſtulis, ſinubus et haemorrhoidum doloribus declarant.

p. 37. Caſus XV. Vir, cui ſaepius haemorrhoides coecae, raro fluentes fuerant moleſtae, nouiſſime autem acerbi abdominis et craſſorum inteſtinorum dolores ſuperuenerant, ope cicutae interne, et in clyſmatibus datae, ſex dierum ſpatio conualuit. Cataractae progreſſus eodem medicamento quidem impedita, at vero perfecte curata a Noſtro non eſt.

Caſus XVI. Adoleſcentem decem et ſeptem annorum, diu iam non modo nil appetentem, ſed plurima etiam vomitu reiicientem, tumoreque in regione ſcrobiculi cordis magno, duroque ſtipatum, duorum menſium ſpatio curatum ſiſtit. Duo etiam icterici, tumorem in dextro hypochondrio offerentes, eiusdem remedii vſu ſanitatem recuperarunt.

Caſus XVII. Vir conſiſtentis aetatis, qui per longum iam tempus ventriculi et abdominis dolores, inappetentiam, anxietates et ſtranguriam paſſus eſt, durioribus tumidioribusque hypochondriis, cicuta adſumta breui conualuit. In colica pictonum, ſi nullum cetera attulerunt ſolatium, cicuta certe, vt Noſter confitetur, profuit.

XVII.

Diſſertatio inauguralis de cicuta Auctore PROIECT. IOSEPH. EHRHART Rederscheim. Alſ. A. M. Argentorati, typis Ion. Lorenzii 1763. 4. pl. 9.

Poſtquam Cl. Auctor etymologiam conii, varias variorum, de cicutae in veterum ſcriptis ſignificatas, opiniones, ſynonima atque diuiſionem in maio-

maiorem, minorem et aquaticam protulit, de ge-
nere plantae loquitur, cuius tres ſpecies ab Ill.
LINNAEO recenſitas in paragrapho quinta deſcri- p. 10.
bit, in ſimulque iconem conii ROYENII L. quod
nulla adhuc proſtet, adiicit. Chemice plantam exa-
minans, deſtillationis ope phlegma pauliſper fatuum
ſpiritu vrinoſo foetum, multum olei nigri empyreu- p. 15.
matici, paucaque grana ſalis alcali volatilis obtinuit.
Duplici dein modo et aquoſum et ſpirituoſum para-
uit extractum, ex quo vltimo reſinam praecipitauit,
cuius ſcrupulum ſine noxa inſequente ieiunus ad-
ſumpſit. Succus expreſſus, et ſanguini e vena fluenti
admiſtus, nullam plane in hoc produxit mutatio-
nem. Extractum modo Cl. STOERKII paratum
et ſcatulae incluſum, chartaque tectum, per quin-
que menſes aeri liberiori expoſitum, immutatum
prorſus permanſit, niſi, quod vndique ſpiculis ſali-
nis, frigidum quid linguae imprimentibus, in igne
crepitantibus obtegeretur. Succus e radicibus iu-
nioribus preſſus et deguſtatus, leuem ardorem, neu-
tiquam vero dolorem, multo minus inflammatio-
nem excitauit. Ex huius ſucci vlterius chemice tra-
ctati vnciis ſeptendecim cum dimidia, ſalis alcali
fixi vnciam vnam cum ſcrupuli ſemiſſe Cl. Auctor
obtinuit, a ſeminibus deguſtatis et deglutitis, aeque
ac ab oleo ex his preſſo, oleum amygdalarum men-
tiente, ſaepius per guttas adſumto, nullam vtique
noxam expertus eſt.

Radicem vt ſumme quoddam acre, rodendo et p. 27.
inflammando, reliquas autem plantae partes in
narcoticorum modum agere, vt probabile Noſter
adſumit, qui, poſtquam ſymptomata, adſumptio-
nem cicutae inſequentia, ex variis auctoribus collecta
protulit, eiusque antidota atque vſum externum
docuit, ipſum internum priſcis temporibus notum
iam fuiſſe oſtendit, varias cicutae partes ac praepa-

rata

rata recenſet, et ſic ad extractum Cl. STOERKII deſcendit. Illud autem in variis morbis maxime rebellibus potentiſſimum eſſe remedium, non tantum variorum auctorum, nomine iam cognitorum obſeruationes, verum etiam non pauca cum eodem, a viris doctis atque quidem ſatis in arte claris inſtituta experimenta, et cum Noſtro communicata, compro-
p. 55. bant. Cl. nimirum D. GUERING vlcus cacoethicum, per quadraginta annos acri ichore madens, viginti dierum ſpatio ſola pilularum de cicuta propinatione integre non tantum ſanauit, ſed et febrim quartanam ſaepius recrudeſcentem cum ſcirrhoſo lienis tumore moleſtam in viro, leucophlegmatiam atque lienis tumorem in puero, obſtructiones abdominales in matrona aſcitica, et tumorem in regione hypogaſtrica, ex valida paſſione iliaca ortum in milite, adeo feliciter huius remedii ope profligauit, vt vel omnes integerrima adhuc ſanitate gaudeant. Cl. D.
p. 59. EHRMANN in femina quadraginta annorum plurima incommoda menſtruum fluxum praecedentia, iisdem pilulis fugauit. Cl. D. PARIS virgini febri intermittente, enormibus viſcerum abdominalium obſtructionibus, et abhinc oriunda anaſarca aſciti iuncta laboranti, aquis per congrua remedia eductis, obſtructa viſcera reſerauit, perfectamque pilularum ope ſanitatem reddidit, itemque in viro decies intra octodecim menſes apoplexia correpto, nouum inſultum auertit, ſoloque hoc remedio ſurditatem a febre inconſulte ſuppreſſa, in milite fugauit. Cl. D.
p. 62. ISAAC OTTMANN peſſimum parotidis cancrum apertum cicuta intus extusque adhibita penitus exſtirpauit, idemque malum mammam feminae dextram obſidens ita iam immutauit, vt breui perfecte aegram ſanatum iri laeta ſpes affulgeat. Cl. D. LAUTH feminam cicutae ope a fluore albo benigno vterique carcinomate, adoleſcentem vero ab vlceri-

bus

bus ſinuoſis pectoris poſt febrem pleuriticam natis liberauit. Ophthalmia pertinaciſſima a Cl. ZIEGENHAGEN extracti cicutae adſumtione ſubacta eſt. Vlcera cancroſa venerea glandis penem, partemque praeputii internam infeſtantia, ſpiritu Suieteniano aliisque mercurialibus fruſtra exhibitis, cicuta ſanauit. Ipſe Cl. Auctor in obſtructionibus abdominalibus, vomituritionibus, morbum acutum inſequentibus, obſtructionibusque ab hydrope remanentibus, non minus efficacem remedii virtutem atque potentiam expertus eſt. Non aeque tamen felicem ſemper cicutae effectum eſſe, variae variorum in vltima paragrapho nominatorum, quin Noſtri etiam obſeruationes comprobant. Confitetur enim Cl. Auctor, ſe varios vidiſſe morbos, in quibus cicuta nullum plane effectum ederet. p. 68.

XVIII.

Diſſ. med. Dubia cicutae vexata Praeſid. IOH. HENR. LANGE Reſp. *Ioh. Gottwerth Müller*, Hamb. Helmſtadii 1764. 4. pl. 4.

Cum plures hactenus libellos egregiam cicutae virtutem illuſtrantes recenſuerimus, non poſſumus non, vel et talem adducere, in quo tantum abeſt, vt proficuus ipſius vſus collaudetur, vt potius pluribus difficultatibus non modo preſſus, verum etiam vt ſuſpectus, incongruus atque nociuus reiiciatur. Poſtquam enim Cl. Auctor de minus promta remedii operatione conqueſtus eſt, tutum ipſius vſum nequaquam ex eo aeſtimandum iudicat, p. 9. quod non illico ſemper lethalem effectum producat, cum et inter venena multa ſint, quibus ita ſenſim corpus adſueſieri poſſit, vt omnem veneni indolem exuiſſe

exuiſſe videantur, quae tamen poſt longum demum temporis interuallum, ex quo ingeſta fuerunt, ſuam nocendi potentiam, machinae humanae detrimen-
p. 11. tum pariendo, commonſtrant. Iucunditati, cui medicus conſulere, ex praecepto ASCLEPIADIS tenetur, in noſtro medicamento, tam graueolentia et guſtus malignitas, quam ipſa plerorumque aegrotantium a pilulis auerſatio contrariantur.

Generalibus his praemiſſis, ad decantatae, in plurimis debellandis aegritudinibus, plantae virtutis examen Noſter deſcendit, et primum, quid in venereis morbis poſſit, diſquirit. In his, vt ex caſi-
p. 12. bus a Cl. Auctore prolatis patet, ter profuit, quinquies autem fruſtra non modo adhibita fuit, ſed et in vno alteroue ſubiecto tot mala intulit, vt ab eius propinatione abſtinere et ad alia confugere remedia, neceſſitas exigeret. In arthritide laudabiles
p. 18. nunquam, damnoſos ſaepe effectus exſeruit. In ſcabie externus vſus profuit, qui in capitis tinea id effecit, vt pediculi enecarentur, vnde inter anti-
p. 20. pedicularia plantam referendam eſſe Noſter exiſtimat. In vlceribus quam plurimis, feminam nondum menſtruatam excruciantibus, iuuamen non attulit, quin potius maiorem pruritum, acerbioresque do-
p. 21. lores excitauit. Scorbuticorum nemini ſanitatem, nec coecorum cuipiam dulciſſimum viſus ſenſum
p. 26. reddidit. In quatuor aegris, ſcirrhis laborantibus, pilulae ad deperditae recuperationem ſanitatis nihil, ad variorum vero malorum geneſin nonnihil, contulerunt. Id quod fatum etiam femina, cuius mammam cancer apertus occupabat, experta eſt. Finem prius quam ſcriptiunculae imponit Cl. Auctor, ope ſalis vrinoſi in partes vrinarias cicutam agere, atque exinde in harum affectibus aliquid poſſe exiſtimat. At vero quum vel alia vtique tutiora, quae id efficiant, proſtent, ad haec potius, quam ad remedium dubium et anceps confugiendum eſſe. XIX.

XIX.

ANTONII DE HAEN, S. C. R. A. Maieſtatis Conſiliarii et Archiatri, nec non Medicinae in hac alma et antiquiſſima Vniuerſitate Profeſſoris Primarii, Pars quinta rationis medendi in noſocomio practico, quod in gratiam et emolumentum medicinae ſtudioſorum condidit MARIA THERESIA, Auguſtiſſima Romanorum Imperatrix, Hung. Bohem. etc. Regina etc. Editio ſecunda Viennae Auſtriae, ſumptibus Hermanni Ioſephi Krüchten. MDCCLXIII. 8 mai. pl. 14½. Pars ſexta, ib. eod. pl. 20½.

Librorum, qui ad nos pertinent, huc vsque editorum copia factum quidem fuit, vt operis huius, ad octauam vsque partem ab Ill. Auctore iam continuati, paulo ſerius, ac debebamus, continuatam quoque epitomen lectoribus noſtris nunc tradamus: has tamen binas indicatas partes, ante tres annos iam editas, in praeſenti perluſtrabimus, de reliquis quam proxime expoſituri.

Eodem modo, quo olim coeperat Cl. Auctor *), ſuas de morbis captas obſeruationes exhibere pergit, ideoque *primo quintae partis capite de febribus cum exanthematibus, quae petechiae et miliaria vocari ſolent*, agit. Ex prioribus aeque huius libri partibus, ac ſingulari, quem *de febribus* edidit **), commentario conſtat, ipſum de modo dictis exanthematibus hanc alere ſententiam, quod vix non ſemper prauam ſequantur medendi methodum, neque vix vm-

*) Comment. noſtr. Vol. IX. P. I. p. 85.
**) ibid. P. III. p. 463.

vmquam critica haberi queant. Eundem igitur in finem ſeptendecim hiſtorias aegrorum, exanthematibus iſtis correptorum, hic loci enarrat, interſperſis, vt ſemper ſolet, de quolibet morbo iudiciis, indeque euincere conatur, exanthemata haec vel certo tantum ſymptomatica fuiſſe; licet per experientiam ipſe nunc concedere coactus ſit, interdum obueniſſe, quae aut ſponte, aut contagio, nata fuerint, principem tamen morbum haud leuarint, eo potius
p. 3. ſimul acerbiore facto. Itaque cum febris grauior eſſet, in quadam aegra quinto iam morbi die, petechiis cutem occupantibus, venam ſecare non reformidauit. Sanguis etiam miſſus cruſtam exhibuit rubra ipſius parte denſiorem, et aegra nono morbi die per vrinam atque tranſpirationem prorſus iudicata viſa fuit, petechiis hactenus perſiſtentibus. Eadem vero aegra poſt octiduum, tenera carne vitulina veſci coepta, in eandem febrim relabente, alteroque noui huius morbi die miliaribus albis erumpentibus, ſanguinem tamen bis Noſter miſit, denſiſſimo corio tectum, exanthematibus inde non mutatis. Integra denuo morbi criſis ſequi viſa fuit, die a primo ſui initio viceſimo ſeptimo; biduo tamen elapſo, tertia vice febris adorta fuit aegram, ſanguine autem et nunc coriaceo bis iterum miſſo, die quarto et quinto prorſus tandem iudicata fuit, aluo, vrina, ſudore, exanthematibus hac vice non
p. 5. accedentibus. Iſta vero, quae antea adfuerant, ſponte fuerant oborta, miſera nimirum aegra, in loco frigido frigidaque tempeſtate iacente, neque calidioribus remediis vſa. Morbi interim breuibus iam repetitam hiſtoriam cautos facere debere medicos Cl. Auctor recte monet in certitudine de morbo vere ſuperato habendo. Contagio quidem ſuſcipi et propagari poſſe petechias et miliaria, vi-
p. 11. dit, aegros tamen non niſi praediſpoſitos inde affici

putat,

putat, ſimili modo, quo variolarum morbillorumque ſe habet contagium. In morbis malignis largiorem corticis peruuiani vſum in ſuperioribus huius libri partibus iam commendauerat. Ex variis, quibus illum dedit, aegris vnam hic loci commemoremus, in qua purpura rubra nono morbi die retrogreſſa fuerat cum intermittente pulſu, quem aluus quidem crebrior cum morbi leuamine exceperat, inſolita tamen permanente debilitate, quam vero cortex ille ſtatim propinatus ſuſtulit, paucis modo poſt redeuntibus maculis. Virium hanc quidem proſtrationem ab euaneſcente iſto exanthemate ortam fuiſſe largitur Noſter, iſtud tamen plane ſymptomaticum fuiſſe inde colligit, quoniam, vti in omnibus reliquis aegris ſimilibus, creſcente morbo ortum fuerit, ipſumque deinde poſt quartum a retroceſſione diem demum redierit, aliqua iam criſi per aluum facta, viribusque iam corticis ope prorſus redintegratis. Sub finem huius capitis aliquam horum aegrorum init rationem aſſeritque, ſpatio ſex cum dimidio annorum illos ſeptendecim tantum in noſocomio practico dicto petechiis aut miliaribus affectos fuiſſe, ex iisque vnam partem antea iam, quam in illud delati fuerint, exanthematibus iſtis laboraſſe, ex omnibus illis autem in duobus modo ſponte natum fuiſſe exanthema, in reliquis autem vel contagium, vel peruerſam medendi rationem, in cauſa fuiſſe. p. 24. p. 31.

Secundum caput obſeruationes *de hydrope et tympanitide* continet. Iam olim in quarta huius operis parte contra Cl. MORAND aliosque chirurgos Gallos diſputauerat, ſententias eorum de hydrope cyſtico dicto per latum abdominis vulnus ſaccique conſumtionem curando, impugnans. Variis nunc obſeruationibus denuo comprobat, illam medendi rationem vel difficilem et periculoſam eſſe, vel quoque vix vmquam locum habere poſſe. In quodam p. 36. p. 46.

aegro totum omentum, in ingentem molem degenerans, omnem fere abdominis cauitatem impleuerat. A nimio per diem calidiſſimum continuato motu, ſubitoque veſperi ad ventrem admiſſo frigore potuque gelido hauſto, omenti ventrisque pinguedinem antea fuſam, deinde in talem maſſam irreſolubilem abiiſſe, ex ſimilitudine cum *Ruyſchiana* quadam ob-
p. 66. ſeruatione, ſuſpicatur. Ipſam vero naturam interdum commemorata iam methodo monſtrare viam, ſatis notabili caſu probat feminae grauidae, in qua tumor ab vmbilici dextro latere haerens neque adeo magnus viſus, pus manifeſto fluctuans exhibens, incidebatur, vulnere poſtea aliquoties dilatato, donec, omni tumore eiusque duritie euaneſcentibus, ipſum, poſt quatuor a partu edito menſes ſponte coiret. Paulo poſt aegra, denuo grauida facta, ſequenti anno feliciter peperit.

p. 70. In ſequenti, quod *tertium* eſt, *capite* nonnulla *de hydrope pectoris* proponit, eumque morbum et cognitu et curatu difficillimum indagat. Poſtquam igitur HIPPOCRATIS aliorumque ex recentioribus medicorum opiniones de hoc morbo eiusque
p. 88. curatione recenſuit, de paracenteſi tandem aſſerit experientia duce, plures aegros inde magis leuatos, quam integre curatos fuiſſe, illam tamen operationem cum imi ventris tum thoracis, reliquis auxiliis saepius praeſtantiorem eſſe; ſiue morbi cauſa prorſus tolli queat, ſiue ipſius tantum ſymptomata inde mitigentur; cum medicamenta non raro nihil vel parum agant viresque corporis infringant.
p. 94. Quando autem per ſcarificationem morbum mitiorem reddere ſuſcepit; ad auertendam gangraenam ſaturato corticis peruuiani fotu vſus fuit; quin et aliquando tam felici eſſe ipſi contigit, vt cancroſam feminam hydrope, et aſcite et intercute, ſimul laborantem, ab vtroque hoc malo liberaret corticis

peru-

peruuiani vſu, quem tamen contra cancrum modo ipſi dederat. Egregie poſtea de ſignis hydropis pe- p. 97.
ctoris diſputat morbique ideam atque decurſum ex obſeruationibus delineat, quas in aegris eorumque deinde cadaueribus fecit, inter ſe collectis, licet denique concedat, ſubdolum omnino eſſe morbum, ab initio, dum curam admittere poſſet, difficillime cognoſcendum, ſique mature ſatis detegatur, paracenteſi optime iuuandum, ſub ambiguo autem ipſius iudicio, diureticis, diaphoreticis purgantibusque remediis debellandum, cum ex eorum effectibus intelligere breui poſſimus, morbus ille, an alius, ſubſit?

In *quarto* poſtea *capite de epilepſia et conuulſionibus* diſſerit. p. 117.
Attentum eſſe iubet medicum ad ſymptomata, quae vel aliquandiu, vel mox ante paroxyſmum aggrediantur aegrum, vt, niſi cauſa proegumena tolli queat, vel certe procatarctica auferatur, illa interim veluti ſopita permanente. Hoc modo miſeram talem aegram ſimul grauidam adeo iuuit dato repetitoque emetico, vt morbus per integrum decennium ſileret. Ante paroxyſmum nauſeae, et in illo vomitus, obſeruati fuerunt. Imminentes quidem poſtea inſultus aegra interdum praeſentiens, illos tamen miſturae ope ex tinctura ſalis ammoniaci, caſtorei, ſuccini et aſae foetidae paratae et cum vino aſſumtae, penitus compeſcuit. Puerum ſexennem, p. 12[illegible]
ex terrore in diriſſimum huius morbi genus incidentem, poſt multa incaſſum data remedia, opio multa cum circumſpectione ante paroxyſmum dato, feliciter ſanitati Noſter reſtituit. Aegrum ſomni potius, quam vigiliarum tempore morbo capi, ſomnumque ſtertoroſum ſoporem magis, quam ſomnum naturalem eſſe animaduertens, opium dederat vt, neruos redderet inſenſiles, ne a cauſa morbi, licet ignota, irritarentur. p. 127.
Poſt aliquod autem tempus alio morbo, dyſenteria, pe-

 rit,

riit, in eiusque cadauere nodus durus neruo diaphragmatico in medio ſuo itinere arcte circumcretus aliusque ſimilis illi, eius loco, vbi in diaphragma abiturus erat, cum thalamis opticorum emarcidis, inuentus fuit. Sub finem huius capitis valde dignos memoratu caſus refert Ill. Auctor, de vafris ſceleſtisque hominibus morbum iſtum ſimulantibus.

p.142. In *capite quinto*, quas *de calculo, vua vrſi, lithontripticis dictis*, collegit obſeruationes, tradere vlteriusque exponere nunc pergit. Herbae illius ſingulares contra calculi incommoda vires, olim iam, vti conſtat, plus ſimplici vice commendauerat, easque nunc continuato vſu comprobatas ſe vidiſſe narrat perque recenſita exempla aſſerit ita, vt morbus, vua vrſi non ſopitus, ſaepius quoque per lithotomiam curari non poſſit, vel veſica nimirum, vel vreteribus, vel ipſis renibus, ab indole naturali nimium iam recedentibus, quippe quod vitium, nec per calculi ſectionem, tolli
p.147. queat. Inter alia exemplum, ad hanc claſſem pertinens, adducit viri, iſto morbo extincti, in cuius cadauere magnos renes pure plenos, ampliſſimos vreteres, adeo vt ſiniſter inteſtinum colon amplitudine ſuperaret, veſicam contractam et vlceroſam, cum calculo fere quatuor vnciarum, inuenit. Interim tamen accidere obſeruauit, vt vel nimis tarde agat vua vrſi, vel non ſatis, ita vt ſectio tum ſuadenda ſit, ne a calculo vrinoſi ſyſtematis partes nimium degene-
p.160. rent laedanturque. Aliquando etiam, poſt ſectum calculum, vulnere iam clauſo, illius remedii vſus et neceſſarius et proficuus fuit. Cum foetente vrina enim glutinis illius, quod calculum comitari ſolet, quin et puris copia inſignis exierat. De ramentis illis calculoſis ſaepius a talibus aegris cum vrina excretis monet, ne ſoluti calculi ramenta habeantur, quum nihil aliud videantur eſſe, quam corpora, a terreſtri glutinoſaque materie, quae calculoſorum

maſſa

maſſa ſanguinea in genere inquinata ſit, in veſica tantum orta et in hanc formam mutata; quum talia etiam ſponte in matula concreſcere conſtet. Examinat deinde famoſum illud remedium anglicum, Stephenianum dictum, quod nec ſatis efficax neque ſemper tutum eſſe putat. Aquam calcis etiam, cum p.181. aequali lactis copia, interdum contra calculum feliciter ſe adhibuiſſe perhibet; in genere tamen fatetur, remedia vere lithontriptica dari nulla; calcem tamen et potiſſimum vuam vrſi egregia nihilominus eſſe remedia, quum aeger inde a doloribus ſpaſmisque aeque liber eſſe ſoleat, ac ſi nullum calculum gerat. Num eo forſan id, quod calculo applicatum dolores gignat, in humoribus, aut viis vrinariis obuium, dematur, abſorbeatur? quaerit.

De aneuryſmate olim quidem iam egerat Cl. Au- p.185. ctor, nunc autem *in ſexto capite*, quod huius partis eſt vltimum, de eodem pergit exponere. In binis ante annum tum ſimplici compreſſione, tum operatione, curatis aegris conſtans permanſit curatio, praeter id, quod, tempeſtate mutata, de ingrata quadam, arteriam illam afficiente, titillatione conquerantur. Quam facile vel exercitatiſſimum chi- p.187. rurgum fallere poſſit aneuryſma immo vero externum, binis caſibus quam maxime memorabilibus confirmat Noſter. In vno aneuryſma ad poplitem ortum ſimulauerat abſceſſum, qui pure plenus et apertus purulentam materiem cum pauco ſanguine fudit, poſt ſextum vero diem, improuiſa orta haemorrhagia lethali, aegro funeſtus fuit. In altero tu- p.193. mor in ſiniſtro thoracis latere, vbi cartilagines infimarum coſtarum prope ſternum vniuntur, ortus fuerat durus non pulſans, in verum tranſiens abſceſſum, quo aperto et pure emiſſo, ingens ſubeſſe aneuryſma, nunc demum eius ſigna docuerant. Clauſo vulnere, tumor imminutus quidem, tamen vehementi pulſa-

 tione,

p.201. tione, quid ſubeſſet, ſatis docuit. Aliud arteriae popliteae aneuryſma legimus, quod cruris ſuper genu poſtulabat amputationem, exitioſo tamen ſan-
p.209. guinis profluuio exceptam. Interna aneuryſmata ſaepius in Auſtria obueniunt medicis, iterata venae ſectione, copioſo ſeri lactis vſu cum nitro tartarique cremore combinato inprimis mitigata ab Ill. Auctore.

Sexta huius operis *pars* ſeptem abſoluitur capitibus, quorum *primum de cardialgia chronica* inſcribi-
p. 3. tur. Grauem hunc morbum diuidit Noſter in *protopathicum* et *deuteropathicum*; illum, in quo ventriculus ipſe cum pyloro in cauitate ſua ſubſtantiaque afficitur, hunc vero, cuius cauſa aliis in locis haeret; ideoque longum variarum ſedum cauſarumque
p. 6. catalogum recenſet. Diuturnitas morbi eiusque pertinacia illum ſaepius quidem eam in ſententiam adegerunt, ac ſi ſcirrhus aliqua in parte, igiturque morbus curationis expers eſſet, plures tamen eo affectos aegros ſanitati reſtituit, BOERHAAVII conſilium ſequutus, ſecundum quod ventriculi regioni emplaſtrum de ladano vel diabotonon cum camphora, opio, balſomoque peruuiano diu impoſuit; miſturam porro ex aqua, ſpiritu, oleo atque ſyrupo menthae cum lapidibus cancrorum laudanoque liquido SYDENHAMI paratam exhibuit, interpoſitis, ſi neceſſum viſum fuerit, lenioribus purgantibus, aut ſi acidum redundaret, pilulis RUFFI, cum gummi ammoniaco copioſoque ſapone veneto ſimul datis; tandemque electuarium ex cortice peruuiano, camphora, myrrha cum ſyrupo diacodii et menthae propinauit, exulantibus per curationis tempus lacte, caſeo aceto vinisque acidis, obſeruataque diaeta alcaleſente. Quamuis autem multos aegros iam dicta methodo, per aliquod tempus continuata, ab
p. 10. hoc morbo liberauerit, alios tamen frequentes ipſi

quo-

quoque obueniſſe candide fatetur, quos curare non potuit, ſcirrhoſa nimirum aliqua labe in ventriculo, pyloro, oeſophago vicinaque aliqua parte praeexiſtente, niſi forte ſub primum ipſius initium aduocatus fuerit, in quo leniſſimis reſoluentibus, longo potiſſimum mellis vſu, naſcens hoc malum poſſet tollere. Varias deinde eiusmodi enarrat obſeruatio- p. 13.
nes, ex quibus inter alia notatu digna id apparet, quod in eo caſu, vbi cauſa vel in pyloro, vel pone illum haeſit, ingeſtorum vix mutatorum vomitus crebrior in aliis adfuerit, in aliis autem minime; prius tamen phaenomenon frequentius occurrerit altero; et quod plurimis in cadaueribus ventriculus maxime diſtentus ſaepiusque e naturali ſitu dimotus, inuentus fuerit. Variant autem de amplitudine ventriculi aucta obſeruationes: is enim illa modo ſola, modo etiam craſſitie, immutatus obuenit ſecantibus. Qua nunc argumenti ſimilitudine commotus in illud doctrinae obſtetriciae caput digreditur Cl. Auctor, num vterus grauidus craſſior fiat, nec ne? ſingula- p. 26.
rique enarrata obſeruatione probat, ſuam illum creſcendo haud amittere craſſitiem.

Secundum porro *caput de vario hydrope ac tu-* p. 36.
more abdominis recentiores Ill. Auctoris exhibet obſeruationes, quarum prima refert de virgine triginta annorum, poſt febrim quartanam male curatam, tumore in ſiniſtro hypochondrio, deinque hydrope aſcite affecta et praeter opinionem, magna puris copia ex pectore prorumpente, ſuffocata. In cadauere deinde aperto tubam Fallopianam ſiniſtram in tantum abiiſſe tumorem conſtitit, qui adhuc dum, poſtquam paulo ante mortem viginti quatuor librae liquoris non aquoſi, ſed gelatinoſi, per paracenteſin eductae fuerant, duodeuiginti libras albi purulenti liquoris, et alius minor ſaccus in illo maiore incluſus quatuor libras fuſci, tenuioris ac turbidi liquoris

continebat, ipſa tubae ſubſtantia craſſiore facta intusque a pure eroſa. Quum vero nulla praeceſſiſſet
p. 40. inflammatio, puris tamen tanta copia non in hac tuba ſolum, ſed pulmonibus quoque ad efficiendam vsque ſuffocationem adfuerit, ſuam olim in ſecunda huius operis parte prolatam ſententiam de naturali quadam humorum diatheſi inflammatoria, ideoque ſpontanea puris generatione, inde confirmari, Ill.
p. 43. Auctor exiſtimat. In alio huic ſimili exemplo vtraque tuba tumefacta erat, omnibus generationi inſeruientibus partibus ab indole naturali valde alienis factis. Cuius aegrae atretae occaſione aliud talis virginis exemplum additur valde memorabile, ex quo illud tantum notamus, quod FABRICII AB AQUAPENDENTE conſilium, hymenem recta eaque vnica ſectione aperiendi, recte taxetur. Quam
p. 60. incerta ſaepe ſint morborum ſigna diagnoſtica, aliis exemplis Noſter probat, in quibus hepatis et lienis viſcera, quoad molem ſuam nimium aucta, hydropes cyſticos interdum ſimulauerint, interdum quoque aſciten effecerint. Sub finem huius tandem capitis caſum omnino memoria dignum tumoris cyſtici, in abdomine orti et in ſuppurationem tranſeuntis, fuſe deſcribit ſuamque de puris ortu opinionem eo vlterius firmare annititur.

p. 75. Aliud nouum, quod huius partis *tertium* eſt, *caput de hydrope pectoris* exponit. Ex nimio haemorrhoidum fluore vir triginta annorum, olim melancholicus, in tuſſim ſiccam et moleſtam, aſciten pectorisque hydropem inciderat, tympanitide ſimul laborare viſus, quum abdomen expanſum, ſi percuteretur, ſonum ederet, id, quod tamen ab omento in oblonga et inaequalia tubera degenerante ideoque peritonaeo ad inteſtina ſatis ſe applicare impedito, inteſtinisque in vacua ibi facta ſpatia intrantibus, prouenire viſum fuit. Prae aliis notari meretur,

quod

quod totum corpus ſanguine vacuum deprehenſum fuerit, corde tantum ſanguine grumoſo pleno paucoque ſanguine ad principia maiorum vaſorum reperto. Pulmones quoque, licet duris et quaſi cartilagineis tuberculis atque pure intra illa pleni, tamen nullibi pleurae accreti erant. Alius aeger, olim calculoſus, ab illo tempore, quo remedio quodam vſus, a calculi cruciatibus liber fuerat, nunc de pectoris anxietate, tuſſi moleſta, cum aliquo cruoris ſputo et tumore pedum, coepit conqueri. Ea autem, quod ex praecipuis hydropis pectoris ſignis eſſe iudicatur, anxietas nimirum, a primo capto ſomno iam aegros aggredi ſolita, ita vt lectum euitaturi in ſedili ſeſe collocent, in hoc quidem aegro etiam ab initio morbi praeſens, in vltimis tamen quatuordecim vitae diebus eum deſeruerat, vt placido ſomno frui poſſet, iisdem vero anxietatibus nocturnis nunc in diurnas immutatis, aegrumque vel in ſedili poſitum inuadentibus. In alius etiam aegri, phthiſi pulmonali extincti, cadauere inſignis quoque hydrops pectoris inuentus fuit, qui antea, ab iſto quaſi inuolutus et abſconditus, non detectus fuerat; ita, vt quam fallacia ſaepe ſint morborum ſigna, ex vtraque hac hiſtoria appareat. p. 85. p. 91.

Quartum, quod ſequitur, *caput problemata et difficultates* exhibet. Quum mirabilia omnisque ad cognitas humanae vitae leges explicationis expertia Ill. Auctor referat, recte ab initio monet, quam neceſſe ſit, vt cognitionis noſtrae arctis limitibus circumſcriptae memores, praepotentem vitae auctorem demiſſime veneremur. Aliqua tantum breuibus inde repetere, recenſionis limites iubent. Feminae quinque et ſexaginta annorum infeliciter, loco venae, inciditur arteria humeralis, ortum autem inde aneuryſma prudenti tollitur operatione. Exiguum ſequitur ſanguinis profluuium et febris al- p. 95. p. 101.

tero die inſurgens modica venae ſectione compeſcitur, aegra tamen, horis quadraginta vna ab operatione elapſis, ſubito exſpirat, ab vnciis duabus ſanguinis in baſi cranii effuſis inque cadauere inuentis, nulla alia mortis cauſa reperiunda. Quamuis autem fortis atque durus pulſus paulo adhuc ante mortem in vtroque brachio deprehenſus fuiſſet, omnia tamen corporis vaſa, et arteriae et venae, omni
p. 111. prorſus ſanguine vacua erant. Simile porro, ſed longe mirabilius exemplum legimus hominis arthritici, pulſum ſemper fortem durumque tangenti digito offerentis, nullas euacuationes paſſi, naturalium potius, vt ſudoris, vrinae, alui, vltimis vitae diebus, plenarium experti defectum, in cuius tamen cadauere omnia vaſa quin et maiora ampla quidem, ſed flaccida, *nihil, quam filum, ſiue chordam tenuem, albam, polypoſam,* craſſitudine inaequalem et in maxima ſua diametro vix ſesqui lineae, gerentia, immo vero *cor ipſum craſſum, pallidum, vacuum, habens tantummodo dextra in auricula ſinuque quid polypoſi et in ſinu ſiniſtro pauculum grumoſi cruoris,* inuenta fuerunt. Vtraque pectoris cauitas nullum quoque ſanguinem, ſed multam aquam conti-
p. 161. nuit. Vnicam adhuc modo ex hoc capite adducamus obſeruationem, quae, niſi de Ill. Auctoris fide atque candore ſatis conſtaret, vix ac ne vix quidem credi poſſe videretur. Iuuenis nimirum vndeuiginti annorum in noſocomium delatus, debilis, dolorem lateris dextri, reſpirationem difficilem, tuſſim frequentem, ſitim, aluique obſtructionem cum pulſu celeri debilique paſſus, poſt quinque ſeptimanas anxietate ingenti correptus eiusque hora duodecima extinguebatur. Cadauere aperto, omentum vel nullum, vel dubia eius veſtigia aderant; inteſtinorum autem omnium externam tunicam in toto ipſorum ambitu a reliquis ita ſeceſſiſſe videbant ſecantes,

vt,

vt, vno in loco perſciſſa hac tunica extima, *digito ſub illa poſſent perambulare circum totum inteſtinum, ipſiusque inteſtini ex hac vagina educti portionem attrahentes, euaginare omnino inteſtina ex ſua tunica externa, ſine vel minima laceratione.* In eandem quoque tunicam meſenterium et meſocolon abierat, vt vnam referret membranam. Ea ſententia anatomicorum confirmari inde viſa, quod externam inteſtinis tunicam largiatur meſenterium et meſocolon; et quod ab hac tunica naſcantur coli ligamenta: haec enim manſerant in illa euaginata.

Quum calculoſus morbus in Auſtria endemius p.171. eſſe ſoleat, crebrior etiam inde Noſtro datur occaſio et ſymptomata eius, et optimum ei medendi modum, obſeruandi, quare *quintum caput* denuo *de calculo veſicae vrinariae* et *lithotomia* agit. Quamuis vuae vrſi et aquae calcis cum ſapone vires ſaepius egregias expertus fuiſſet Cl. Auctor, calculum tamen ſemper remanere intelligens, varios aegros iſto malo laborantes dexterrimo Regiae Principis Lotharingiae chirurgo, Cl. CAMBON, qui per aliquod tempus Viennae commorabatur, tradidit, vt iis calculum ſecaret ad methodum *fratris* COSMI, ſub cuius auſpiciis iam olim Pariſiis hanc operationem ipſe frequentius praeſtiterat, Feliciter is quoque ſecuit ſex aegros, et alios quinque Cl. LEBER, Profeſſor Chirurgiae Viennenſis admodum clarus, ex quibus vnus tantum, puer quinquennis, nec ab operationis vi, ſed, vti videtur, a ſcirrhoſa glandularum viſcerumque imi ventris labe, poſt ſexaginta dies periit; reliqui autem omnes perfectae ſanitati reſtituti fuerunt. Fuſius itaque et operationis modum cum cautelis neceſſariis, et hiſtorias illorum aegrorum, recenſet, illamque methodum eximiis laudibus extollens, omnibus reliquis praefert. Licet autem felicem, quem is enarrat, curationis exitum negare

nolimus, chirurgorum potius illorum dexteritatem miremur, noſtram tamen adhucdum mittere non poſſumus ſententiam, quod cultri lithotomi occulti ſeu abſconditi dicti vſus non ideo nobis tutus et certus eſſe, videatur, ac alius communis, chirurgi tantum manu in ſpecillo ſulcato dirigendi. Vtilia tandem addit Noſter corollaria, noſtris tamen limitibus, quae repetantur, ampliora.

p. 239. *Sextum caput de cranii vſtione in pertinacioribus capitis vitiis* Cl. Auctoris et cogitata et obſeruata continet. Plurium ab initio tum veterum, cum recentiorum, auctorum de hac medendi ratione ſententias is recenſet, binosque addit caſus aegrorum, in quibus iſta fuit adhibita, ſed infauſto euentu. Quum enim a tot tantaeque famae viris ferri candentis vſum non innoxium ſolum, ſed egregii etiam effectus eſſe legiſſet, in adoleſcente duodecim annorum ruſtico, robuſto, amauroſi affecto, illud tentabat, cranio antea denudato, ſed aeger non ſolum inde non leuabatur, ſed quarto etiam die, ſine vllis praegreſſis malis ſymptomatibus, inopinata morte extinguebatur. Inſtituta anatome docebat, cranium leuiter modo tactum fuiſſe igne; internum iſtud tamen leuiter fiſſum, meninges inflammatae, et dura mater ea parte, qua vſtum locum reſpiciebat, ſuppurari iam incipiens, cerebrum autem integerrimum, nec vllae in ipſo aut oculorum neruis amauroſeos cauſae, apparebant. Ventriculus inſuper, praeter pylori regionem, valde inflammatus et duobus in locis gangraenoſus, pulmones autem vndique vehementer accreti erant; neque in pulſu tamen, nec in reſpiratione, dum viueret aeger, vel minimum morbi ſignum obſeruatum antea fuerat, ſeſqui hora ante mortem tantum excepta, qua is in vomitum olim iam ipſi familiarem inciderat, ſuperueniente roncho ſubitaque

p. 264. morte. Funeſtus iſte, vti alius quoque ſimilis in vir-

virgine viginti annorum obſeruatus, illius operationis effectus, vti et experimenta in multis aliis cadauerum craniis cum cauterio facta, tentamen hoc periculoſiſſimum, neque vix vmquam admittendum eſſe, Noſtrum docuerunt.

Septimum denique, quod huius partis vltimum eſt, *caput de peculiari quorundam medicamentorum virtute* agit. Aegro cuidam calculoſo, plures minores calculos per vrethram interdum excernenti, illud datur conſilium, vt per longius aliquod tempus, deinde, ſolamine inde percepto, quater per annum quatuordecim dierum ſpatio, infuſum herbae ononidis, ex ipſius pugillo cum ſemilibra aquae pauxillum cocto, quouis mane bibat. Conſilio huic parens prorſus liberatur a calculi cruciatibus, nec in eius alio poſtea morbo extincti corpore diatheſis calculoſae ſigna reperiuntur, praeter renem dextrum quadruplo maiorem atque ſiniſtrum quadruplo minorem. Alium aegrum iuuit quidem, ſed non curauit, raphani hortenſis raſi et cum oleo oliuarum miſti, ſemicochleare quotidie aſſumtum. Verbenae communis flore coeruleo herba collo appenſa et eiusdem aqua ſtillatitia ad vncias quatuor cum ſpiritus vitrioli guttulis quatuor per diem data, cephalaeam idiopathicam viſam valde pertinacem, et contra alia adhibita remedia rebellem, ab initio leuiorem reddidit deinque, ipſius ſpiritui mixtura ex ſpiritu frumenti cum mercurio ſublimato ſubſtituta, continuato vſu ſuſtulit. De foliis aurantiorum tandem differit Cl. Auctor. Ab amico quodam, Cl. WESTERHOFF, Poliatro Hagano, remedium acceperat ab inuentore primo arcanum habitum, vt experiretur, num conuulſiones tolleret? Quum eo tempore eximias illius vires teſtaretur experientia, Viennam venit Cl. WINCEL, chirurgus in curandis oculorum morbis famigeratiſſimus, qui, huius tentaminis famam percipiens,

p. 287.
p. 292.
p. 305.

cipiens, Noſtro perſuaſit, arcanum illud non niſi folia aurantiorum continere, cum decocti ſub forma cum potu chocoladae dicto, tum in puluere ſimili potui admiſcendum, vtiliter exhibenda. Alius quo-
p.310. que medicus et poliater Haganus, Cl. VELSE, hanc decocti illius formam cum Cl. Auctore communicauit. Rec. *Fol. aurantiorum numero centum et viginti (id eſt circiter unciam vnam et drachmas ſex) in aquae pluuialis vnciis viginti decoque ſpatio duarum vel trium horarum, vaſe clauſo; colato adde vini rubri uncias decem, ſacchari quantum ſufficit ad gratiam. Sumat aeger bis, ter, quater, prout neceſſitas iubet, vncias tres, quatuor quotidie, aut ſolas aut miſtas cum leui chocolada.* Decocti huius quidem vires egregias Noſter expertus, certas tamen illas in primis contra epilepſiam aeque, ac verbenae, paulo antea commemoratas, nondum adhuc determinare audet, ſed prudenti aliorum medicorum obſeruationi atque examini hanc et alias nuperrime factas obſeruationes multo cum can-
p.314. dore et honeſtatis ac veritatis ſenſu relinquit.

XX.

Flora Virginica, exhibens plantas, quas D. D. IOHANNES CLAYTONUS in Virginia creſcentes obſeruauit, collegit et obtulit D. IOH. FRED. GRONOVIO cuius ſtudio et opera deſcriptae et in ordinem ſexualem ſyſtematicum redactae ſiſtuntur. Lugd. Bat. 1762. 4 mai. Alph. I. pl. I½. c. mappa geograph.

Plantarum, a Cl. CLAYTONO in Virginia lectarum, ſicca ſpecimina accepiſſe IOH. FRED. GRONOVIUM, eosdemque examinaſſe, rariorum chara-

charaſteres indagaſſe, et methodo ſexuali diſpoſuiſſe, ex Flora Virginica duabus in partibus an. 1743 edita, compertum habemus. Cum vero in iisdem non omnes Virginiae ſtirpes notatae eſſent, atque CLAYTONUS indefeſſo ſtudio in colligendis hiſce continuauerit, ex eius donis tertiam quidem partem parauerit, eidemque appendicem, aliorum botanicorum, vt COLDENII, MITCHELII, in plantas Virginicas obſeruata, continentem, addiderat GRONOVIUS, attamen deſiderio botanicorum incitatus, vt defeſtu exemplarium priorum partium permotus, nouam potius editionem edendam curauit, aliis autem negotiis nimis occupatus, huius in lucem mittendae curam filio, LAURENTIO THEODORO, commiſit. Eadem itaque methodo, quae in priore editione habita fuit, recenſentur omnes, a CLAYTONO transmiſſae plantae, atque nouiter obſeruatae ſuis locis inſeruntur prioribus, eaedemque non ſolum nominantur, ac, ſi neceſſe viſum fuit, deſcribuntur, ſed etiam in prima editione enarratae plantae ſaepius illuſtrantur magis atque curatius determinantur; vt hinc botanicis grata omnino ac vtiliſſima exiſtat altera huius Florae editio. Comparauimus hanc ac priorem, et plurimas, in priori non recenſitas, inuenimus ſtirpes; verum nimis prolixum foret, eas nunc omnes annotare, earumque nomina tranſcribere, patebit diſquirenti circiter centum nouas acceſſiſſe; neque commode eas repetere poſſumus emendationes, quibus ſpecies verius conſtituuntur ac ad alia genera amandantur; e. gr. dum *Ruellia* edit. prior. p. 73 et *Lyſimachia* p. 5 ad *Gratiolam* edit. nou. p. 3, *Vniola* p. 136 ad *Brizam* p. 13. *Mollugo* p. 14 ad *Queriam* p. 16. *Capraria* p. 75 ad *Lecheam* p. 16. *Arum* p. 113 ad *Orontium* p. 53, *Paris* p. 44 et 157 ad *Trillium* p. 56. *Thymelaea* p. 155 ad *Dircam* p. 60 *Azalea* et *An-*

et *Andromeda* p. 21 et 160, ad *Kalmiam* p. 65. *Verbena* p. 7 ad *Phrymam* p. 92 et ſ. p. reducuntur. Minus quoque vtile eſſet, annotare plantas, quarum ſynonyma et accuratiora et plura nunc proponuntur, vel quarum deſcriptiones, in priori editione datæ, nunc omittuntur, vt de *Chionantho* p. 130. *Dianthera* p. 6 *Cortuſa* p. 74 edit. prim. aliisque cognoſcimus. Sufficiat nobis, cum in compendio reliqua recenſeri non poſſint, aliquas obſeruationes botanicas legere, medicamque ſubnectere.

p. 52. *Ornithogalum*, a LINNAEO Spec. edit. I. p. 306 *hirſutum* *) dictum, in edit. II. p. 439. ad nouum genus, *Hypaxis* ſcil. relatum, ſimillimum eſſe *Ornithogalo luteo C. B.* atque differre tantum hirſutie et pilis in foliis, caule, vmbella, florumque baſi, quae externe tomentoſa eſt, monuit Cl. Auctor. *Ranun-*
p. 86. *culi bulboſi*, in Virginia nati, folia quidem minora ſunt et magis hirſuta; aſt calices vt in Europaeo, re-
p. 89. flexi, et pedunculi ſulcati. *Nepeta Virginica*, facie et habitu *Clinopodium* refert, hinc etiam in H. Cliff. et prima edit. huc relata, labio autem inferiore crenato, et ſtaminibus flore longioribus magis ad *Ne-*
p. 105. *petam* accedit. *Lupinus perennis* a *ſylueſtri flore coeruleo C. B.* differt conſtanter calice, deſtituitur enim appendiculis ſeu foliolis minimis lateralibus;
p. 141. quibus hic inſtruitur. Ex *Ariſtolochia ſerpentaria* tres ſpecies finxiſſe PLUKNETIUM legimus, *Ariſtolochia* namque *violae fruticoſae foliis* nouella planta eſt, opacis et vmbroſis ſuccreſcens, foliis acutioribus vix auriculatis praedita, eadem, apricorum collium incola, folia gerit latiora, perfecte auriculata, *Ariſtolochia polyrhizos auriculatis foliis* ab Eodem dicta,

*) Breuitatis cauſa triuiale nomen in enumeratione plantarum ex LINNAEO citauimus, licet in ipſa Flora eiusmodi non fuerint adpoſita.

diſta, et *Piſtolochia caule nodoſo* ab his differt vt culta planta ab inculta, caulis namque ſemper eſt tortuoſus et geniculatus, in ſolo autem laetiore minus tortuoſus exiſtit, atque genicula in maiores nodulos tranſeunt, talis eſt icon CATESBEII, ſylueſtrem parum exprimens plantam. *Morus rubra* ab aliis ſpeciebus differt, iulis ſiue amentis cylindraceis craſſitie pennae anſerinae, duos tranſuerſos digitos longis, foliaque ſunt cordata, acuminata, ſerrata, ſubtus tomentoſa, prima integra, reliqua valde diuiſa. *Iuglandis* noua ſpecies amenta rancida, et ſub ſingulo floſculo bracteam ſubulatam, floſculo multoties longiorem, gerit. *Napaeae* nominis deriuationem hic quoque legimus, dicitur ſcilicet a Νάπη, ſaltu vel valli, quia in alpium vallibus, vbi primo inuenta fuit, inſigniter viget; namque et nymphae poetarum, quae talibus lucis praeerant, Napaeae dictae fuerunt. p.146. p.150. p.102.

Notent tandem medici, *Symphoricarpi* DILL. haud bene, vt examen florentis plantae nos docuit, ad *Loniceram* relati, radicem, in puluerem comminutam, mediocri doſi, aduerſus omnes febres intermittentes tutum, certum, et minime fallax eſſe, ex obſeruatione CLAYTONI remedium; et cum fruticoſa haec planta facile in aere liberiori, vt experti ſcimus, apud nos creſcat perduretque, tentandum, an culta eandem virtutem poſſideat. p. 30.

XXI.

Gli Atti dell' Accademia delle ſcienze di Siena detta de Fiſiocritici dell' anno 1760. Tom. I. in Siena. Appreſſo il Bonetti nella ſtamperia del' pubblico 1761. 4 mai. Alph. 1. pl. 4.

h. e.

Acta Academiae ſcientiarum Senenſis Phyſico-criticorum, ad an. 1760. Tom. I.

Academia ſcientiarum Senenſis iam anno nonageſimo primo ſuperioris ſeculi inſtituta, et ab eo tempore variis praeſtantiſſimis ſociis ornata et aucta fuit, nullis tamen inuentis et editis ſcriptis adhuc inclaruit, cum, ſi ſola gloria remuneratio laborum eſt, optimi ſaepe conatus frigeſcant. Anno demum ſexageſimo huius ſeculi, quo et ex ſua parte aliquid ad communem vtilitatem conferret, de edendis obſeruationibus, tentaminibus et inuentis cogitauit. Cum vero varia hunc in finem collecta ſcripta a nonnullis ſociis ſeligenda et ordinanda eſſent, eorundem editionem differre, et interea hiſtoriam inſitionis variolarum eiusque ſucceſſum in vrbe ſenenſi, in hoc primo tomo tradere conſtituit Academia, quo ea, de quibus hic exponitur, cum obſeruationibus ab aliis collectis conferri poſſint. Cum vero et ratione et experientia res phyſico-medicae confirmentur, et experientia primum nos inſtruat, indeque ad rationem ducat, hanc quoque methodum in diſquirenda inoculationis vtilitate academia elegit, inprimis cum haud pauca inſtituta fuerint experimenta.

Primam occaſionem tentaminibus inſtituendis 1755 menſe octobri exhibuit Ill. HIERONYMUS PANNILINI, Rector noſodochii S. Mariae de ſcala, vbi tres tantum infantes inſitione ad morbum varioloſum ducti fuerunt, quem cum feliciter ſuperaſſent, ſequenti anno quatuordecim pueri et puellae, aetatis inter quintum et decimum quartum mediae, ſimili ratione inſitionem variolarum ſubierunt, ex quibus tantum puer ſeptem annorum, qui poſt eruptionem vario-

variolarum bonae notae, febre eriſypelacea tentatus, inflammatione pulmonum ſuccedente, die quarto obiit. Eo ipſo vero tempore naturalibus variolis ſeptem infantes affecti fuerunt, ex quibus duo perierunt, puer ſcilicet ſex annorum ante eruptionem variolarum inflammatione ſuperueniente, et puella octo annorum quadrageſimo morbi die hydrope aſcite et ſuperueniente dyſenteria.

In hoc tomo itaque traduntur obſeruationes Cl. CALURI, qui inter Senenſes medicinam cum laude exercet, ideoque inoculationem ſaepius ſuſcepit, et ſucceſſus rationem cum academia communicauit; exhibentur porro duae Cl. BASTIANI et vna Cl. PEROTTI inoculationis hiſtoriae; has excipit relatio inoculationis variolarum in ſeptendecim pueris et octo puellis in regio noſodochio S. Mariae de ſcala anno 1760 ſuſceptae, a Cl. CASTELLUCCI tradita; tandem ſubnectitur ſermo Cl. TABARRANI de morbo quodam varioloſo die 25 Iulii 1761 in academia propoſitus, in quo nonnulla de inſitione variolarum adduntur.

Nos vero rationem inſitionis eiusque ſucceſſum, quae in quadraginta ſeptem morborum hiſtoriis declaratur, in compendio tradere annitemur. Elegerunt vero ad inoculationem pueros et puellas variae aetatis, vltra decimum ſeptimum annum nullum invenimus, in iis tamen fuit infans trium menſium, lacte nutricis adhuc nutritus. Praeparatio ſaepe nulla inſtituta fuit, in nonnullis venaeſectione, in multis blanda alui ductione praemiſſa, in paucis balneis et vſu ſeri lactis caprilli, corpora ad febrem varioloſam melius ſubeundam diſpoſita fuerunt. Vino et diaeta carnea omnes interdicebantur, victusque vegetabilis modice adhibebatur. Inciſiones paruae minus profundae ſaepe in brachio vtroque paulo ſupra flexum cubiti, in nonnullis in femore ſupra genua admini-

ſtratae fuerunt. His fila goſſypina pure varioloſo infecta, interdum puluis variolarum ſiccus, interdum cruſtae integrae varioloſae applicabantur, interdum acu punctura tantum, cuſpide acus ſimili modo infecta, inſitio abſoluebatur, quo in caſu tamen hanc iterato inſtitui debuiſſe apparuit. Pus quidem ex variolis diſcretis bonae notae naturalibus praecipue eligebatur, nonnunquam tamen ex variolis per inſitionem excitatis.

Leuiora quidem morbi ſymptomata die iam quarto, quinto et ſexto oriebantur, et puſtulae paruae circa locum inſitionis frequentius et citius exſurgebant, rariſſime nullae. Symptomatibus febrilibus auctis, nono potiſſimum die, ſparſim in corpore puſtulae obſeruabantur, rarius iam quinto die, nonnunquam etiam tardius, decimo et vndecimo. Vidimus vero in viginti obſeruationibus Cl. CALURI hanc varietatem, maiorem vero tarditatem in obſeruationibus viginti quinque Cl. CASTELLUCCI, in noſodochio inſtitutis. Symptomata febrilia vel in principio oborta, vel paulo poſt aucta, varia erant: Dolores vagi lancinantes ſub alis in humeris ad lumbos etc. oriebantur lucem non ferre poterant aegri, rarius oculi lacrymoſi, rariſſime inflammati; aegri ſaepius ſomnolenti erant, nonnunquam vertiginoſi; rarius fauces ſiccae et grauiora ſymptomata, vt deliria accedebant; ſudor interdum exiguus, interdum nullus, vrina ſaepe cruda aut naturali ſimillima, ſaepe tamen cum ſedimento albo, interdum pallida, interdum lacteſcens; pulſus tandem, ſitis et cephalalgia pro ratione febris vel aucta vel mitiora erant, febris vero ſecundaria rariſſime acceſſit. Ex locis inciſis et contagio varioloſo affectis, indeque inflammatis tandem materia ſanioſa vel purulenta effluebat, foetore ſaepe moleſta, non nunquam vlcera profunda oriebantur, quae diu durabant, poſt morbum tamen ſuperatum vix

foeti-

foetidam materiem exhibebant, exorta etiam fuit rariſſimo exemplo inflammatio brachii vniuerſi cum puſtulis ſeroſis, ſanatio nihilo tamen minus tandem ſucceſſit. Finis morbi raro vltra vigeſimum, in lentiori vero variolarum eruptione vltra trigeſimum interdum diem producebatur. Ex omnibus vnus tantum aeger mortuus eſt, cuius rei rationem infra explicabimus, reliqui, paucis variolis affecti, ſine cicatricibus aliisque vitae incommodis, morbum artificialem ſuperarunt.

Generali hac relatione praemiſſa, nunc nonnulla ſparſim ſelecta adducamus. Anno quinquageſimo octauo huius ſeculi epidemia varioloſa in vrbe et agro Senenſi graſſabatur, incipiebat illa in ſolſtitio hyberno, diſcretis variolis, quae tamen aeſtate ſubſequente malignae et confluentes erant, et ſucceſſiue per varias vrbis partes progrediebantur. Inter vndecimum et decimum quartum diem multi moriebantur, pauci tempore eruptionis, nonnulli viceſimo et viceſimo quarto demum die. Et ii, qui euaſerant aegri, vitiis oculorum, vlceribus et tumoribus in variis corporis partibus excruciabantur, nonnulli demum, lenta tabe conſumti, perierunt. Hieme ſequenti varioloſa epidemia prorſus ceſſauit, et ex vrbe in vicinas terras translata fuit.

Ex variolis ſpuriis veras et perſiſtentes cicatrices p. 13. relictas fuiſſe, obſeruauit Cl. CALURI in puella nouem annorum, haec poſtea, inſitione facta, progreſſum febris varioloſae optime ſuſtinuit, et quindecim circiter variolas in tota corporis ſuperficie oſtendit.

Puella quintum annum agens, poſt inſitionem p. 62. multas puſtulas albas in variis corporis partibus oſtendit, quae breui iterum diſparuerunt, vna ſola magna variola, ad nates oborta, conſuetas variolarum mutationes referebat.

Traditur obſeruatio de inſitione variolarum a p. 72. ruſtica gente iam anno quinquageſimo ſexto per acu-

punſturam facta, in villa quadam Caſenovole dicta, quae ex voto ſucceſſit, et paucas diſcretas variolas ſine ſymptomatibus malignis excitauit.

p. 85. Inter eos, qui in noſodochio inoculati fuerunt, puer erat, quatuor annorum et ſex menſium ſcabie affectus, qui ſcabie apta medendi ratione vix diſſipata, inciſionem et applicationem materiae varioloſae ſine omni incommodo tulit, et variolis diſcretis diſſipa-

p. 92. tis, etiam a ſcabie liber redditus fuit. In alio autem puero ſex annorum ſcabie ſimili modo infecto, inſitio quoque tentata fuit, variolae erumpentes nullum incommodum reliquerunt, ſcabies vero iterum acceſſit.

p. 94. In puero duodecim annorum poſt inſitionem apte adminiſtratam febris quidem commota fuit, ſed non niſi vna variola inciſioni proxima die decimo exorta, veram ſpeciem retulit, et licet aliae puſtulae paruae in facie praecipue orirentur, hae tamen paulo

p. 101. poſt ſine maturatione euanuerunt. Simile quid accidit in puero vndecim annorum, qui licet a ſexto ad decimum diem ſymptomatibus febrilibus agitaretur, veras tamen variolas non monſtrauit, ſed non

p. 111. niſi ſeroſae quaedam puſtulae apparuerunt. In puero quoque, ſex circiter annorum, febris acceſſit, quam multae puſtulae ſubſequebantur. Febris vero duplex erat: prima nempe a ſeptimo ad decimum diem non adeo malignis ſtipata erat ſymptomatibus, altera vero, quae decimo ſeptimo die accedebat, longe vehementiora ſymptomata coniuncta habebat, oleo tamen amygdalarum dulcium cum iulapio violarum dato, deiectiones aluinae binoſae ſequebantur, ex quibus apparet, eandem non tantum a varioloſa materia, ſed a ſaburra inteſtinali mota obortam fuiſſe.

p. 109. Puer, ſeptem annorum, poſt inſitionem dextre adminiſtratam variolas bis expertus eſt. Decimo enim die poſt applicationem materiae varioloſae, febris

bris conſuetis ſymptomatibus ſtipata oboriebatur, variolae paucae ſurgebant, vſque ad diem decimum ſeptimum conſueta ratione mutatae, ita vt die viceſimo quinto bene ſe haberet aeger. Non tamen dimitti poterat, cum eodem die noua febris accederet, et interea vermes vomitu reiicerentur, dato oleo amygdalarum dulcium deiectiones aluinae ſuccedebant. Tertio die a noua febris acceſſione nouae iterum puſtulae varioloſae oriebantur, quibus conſueta ratione mutatis, puer iterum conualuit, ita vt decimo ſeptimo die dimitti poſſet. In alio puero p. 118. quatuor annorum variolis artificialibus excitatis, et die vigeſimo octauo plenarie ſuperatis, noua oriebatur febris, cuius impetu tandem trigeſimo primo die roſeolae efflorescebant. Sed et hae ſine vlteriori noxa tranſierunt, ita vt trigeſimo ſeptimo die cum ſanitate in gratiam rediret aeger.

Duplex quoque inſitio neceſſaria fuit in puero, p. 120. octo annorum, qui in brachiis inciſionem et filum goſſypinum exceperat, nulla tamen febre nec alio ſymptomate vsque ad diem decimum ſeptimum ſubſequente, quamobrem noua inſitione ſuper genua facta, quarto demum die pulſus frequentior, et paulo poſt alia ſymptomata, immo deliria ipſa, obſeruabantur, quae venaeſectione, die ſeptimo inſtituta, temperanda erant, quo facto et febre nunc mitius progrediente, non tantum circa inciſionem, quae ſuppuratione conſpicua erat, ſed et in aliis corporis partibus, variolae eflorescebant, quarum mutatio ex voto ſuccedebat. Die tamen decimo tertio, poſt noctem minus tranquillam, febris cum dolore ventris intendebatur, tragea vero ex ſemine ſantonici exhibita et clyſteribus applicatis, quinque lumbrici excernebantur, quo facto morbus ex voto finiebatur. Similí ratione p. 126. puer, quartum annum agens, morbo ſuperato, die viceſimo quinto iam ex noſodochio dimiſſus eo poſt

aliquot dies reuertebatur, ſymptomata tamen febrilia denuo mota, vermibus expulſis, ceſſabant.

p. 150. Puella octo annorum et ſex menſium, poſt inſitionem febrim exiguam, inciſionis inflammationes moderatas, et paucas puſtulas ſeroſas circa easdem habebat. Die viceſimo quinto demum parua variola in labio ſuperiori efflorescebat, quae tamen die ſequenti iterum euanuit, hinc die decimo ſeptimo noua inciſione facta filum goſſypinum, pure ex inſitis variolis recens collecto, imbutum, ſed ſine

p. 153. omni effectu applicatum fuit. Simili ratione puella, decem annorum, poſt inſitionem non niſi moderata febre commouebatur, nec puſtulae oriebantur, praeter paucas ſeroſas circa inciſionem, die decimo igitur acupunctura noua materia applicabatur, ſed ſine omni effectu.

p. 160. Puella, nouem circiter annorum, quae ex prima inſitione exigua febre commota fuerat, inciſionibus inflammatis et ſuppuratis, paucisque veſiculis circa illas enatis, die decimo ſeptimo iterum acupunctura varioloſa affecta, viceſimo quinto et ſexto demum die ſeptendecim circiter puſtulis ſparſim obortis progreſſum morbi ex voto ſuperauit.

p. 126. Subiiciamus nunc vnicam morbi hiſtoriam, quae minus proſpere ſucceſſit. Puer, nimirum ſeptimum annum agens, inciſionibus conſuetis, in brachio applicatis pus excipiebat, parum tamen commouebatur, et licet die ſeptimo parua puſtula in mento efflorefceret, illa tamen die ſequenti diſparuit. Die nono et decimo aeger minus quietus erat et die vndecimo cutis rubicunda et facies quaſi incenſa apparebat, febris tamen exigua et leuiſſimis ſymptomatibus ſtipata obſeruabatur. Interea tamen a decimo quarto ad decimum ſextum diem non quidem confluentes, attamen copioſae et maxime depreſſae variolae oriebantur. Nauſea et dolores ventris maxime

xime excruciabant aegrum, qui ideo vix non ſemper et alimenta et medicamenta reſpuebat, et licet interdum per vomitum, interdum per deiectiones aluinas lumbrici et aſcarides euacuarentur, licet medendi methodus, huic indicationi reſpondens, eligeretur, licet tandem et variolae tardiſſime ad maturationem et exſiccationem ducerentur, maxime tamen debilitatus aeger die quadrageſimo quinto morbi vitam cum morte permutabat. Sectione cadaueris p.135. facta, abdomen ſero foetente repletum erat, in ventriculo materia flaua et foetens, in canali inteſtinorum vero lumbrici copioſiſſimi reperiebantur; ilei pars contracta, et ad ſex digitorum longitudinem inuaginata, ſuperius vero maxime extenſa erat; pulmo inflammatus et ex parte iam ſuppuratus conſpiciebatur, praeterea etiam inferiori mediaſtini parte abſceſſus iuueniebatur.

Experimenta chemica cum ſedimento albo vri- p.161. nae et inſpiſſata vrina eorum inſtituta, qui variolarum inſitionem ſubierant, hic quidem proponuntur, et oleum tartari per deliquium, ſpiritus vitrioli et ſyrupus violarum his affuſa fuerunt, nos vero ex obſeruatis nullam concluſionem eruere potuimus.

In appendice traditur ſermo *) Cl. TABARRANI, p.164. qui de hiſtoria quadam morbi varioloſi naturalis exponit, paſſim ad Cl. SYDENHAMI doctrinam prouocat, et concluſiones varias pro inoculatione variolarum inde deducit.

 Foe-

*) Separatim etiam prodiit: Diſcorſo concernente una Storia di Vaiuolo con alcune rifleſſioni intorno all' inneſtarlo, letto nell' Accademia delle ſcienze di Siena o' ſia de Fiſio-Critici il di 25 Giugno MDCCLXI. dal Dottore PIETRO TABARRANI Profeſſore pubblico di Notomia nell Univerſita Seneſe. In Siena 1761. 4to pl. 3½.

Foemina iuuencula, duodeviginti annorum, duorum iam filiorum mater, anno quinquageſimo ſecundo die 18 ſeptembris febre corripiebatur, quae vſque ad diem tertium augebatur, cum etiam ſuſpicio graviditatis adeſſet, maritus, qui ipſe medicam artem exercebat, venaeſectione ſuccurrebat. Verſus veſperam tamen variolae efflorescebant, ſequenti die copioſius, inprimis in facie, erumpentes, quarto die deiectiones aluinae copioſae, et ſexto ſanguis ex vtero, abortum denuntians, profluebat. Hanc ſanguinis effuſionem conuulſiones et deliria phrenitica excipiebant, venaeſectio autem non immutabat deliria, laudanum itaque liquidum SYDENHAMI eiusque octo guttae aliquam quietem reddebant, hinc repetito vſu proſpero cum ſucceſſu exhibebatur. Fluxus quidem ſanguinis continuabat, depreſſae variolae et deglutitio moleſta diu obſeruabantur, aegra tamen mentis magis compos erat, et febris ita perſiſtebat, vt variolae vſque ad duodecimum diem ad aptam ſuppurationem diſponerentur, et decimo quarto demum maxima morbi vis ſuperata eſſet. Salua itaque reddita fuit foemina, ſed facie cicatricibus foeda.

p.172. Optat igitur Noſter, cum multis aliis medicis, remedium ſpecificum, quod morbo opponi poſſet, qui in confluentibus peſſimum ſemper malum eſt, in quo tamen praeter ſymptomatum moderamen medicus nullum exhibere poteſt axilium. Quod ſi vero quis venaeſectionem vt inflammationem cohibens et copioſam eruptionem impediens remedium adducere vellet, ex adducta morbi hiſtoria facile percipiet, illam effuſiones ſanguinis variolarum mutationes non impediuiſſe.

p.176. Cum vero et adultis et foeminis, praecipue graviditatis tempore, moleſtiſſimus et exitioſus ſaepe ſit morbus, foeminas ante acceſſum variolarum matrimonium inire haud debere, Noſter monet, et ideo ad

ad inoculationem variolarum tanquam praeſtantiſſimum in variolis moderandis auxilium prouocat, in iis vero inprimis, qui lauto victu nutriuntur, ſuſcipiendam eſſe neget, cum, niſi iuſta praeparatio praecedat, in his potiſſimum grauia et lethalia ſaepe ſymptomata oboriantur. Repetit igitur multas rationes, ob quas variolarum inſitio ſuſcipitur, ex quibus non vltima videtur ea, quam et Cl. TARGIONI adduxit, quod locus inſitionis multam et foetidam ſaepe materiam varioloſam in reliquum corpus non deriuandam ex vlcere diuturno emittit.

In fine ſummatim proponit rationem et proſperum ſucceſſum inoculationis variolarum in ſeptem pueris et puellis ſuſceptae, quae cum nihil noui contineant, hic non tangimus. p. 186.

XXII.

H. G. N. TROSCHEL, *bey dem Töplitzer Geſundheitswaſſer ordentlichen Arztes nothwendige Nachricht von dem wahrhaften Böhmiſchen Bitterwaſſer, Saydſchützer Urſprungs aus dem Hochbetſcher Berge. Gedruckt zu Leitmeritz,* 1761. 8. *pl.* 3½.

i. e.

H. G. N. TROSCHEL Thermarum Toeplicenſium Medici Ordinarii Renunciatio de veris aquis amaris Bohemicis, quae ex monte, *Hochbetſch* dicto, in agro Saydſchutzenſi propullulant.

Aquae amarae medicatae Bohemicae multos per annos iam cognitae atque in vſu fuere. Paucissimi

ciſſimi autem verum earum fontem, vnde hauſtae fuerunt, nouerunt. Plures enim fontes, qui eiusmodi aquas amaras promunt, in tractu *Leitomerienſi* proſiliunt, quae omnes a fontium poſſeſſoribus ſub aquarum amararum nomine venduntur. Quum vero *Sedlitz* et *Saydſchütz* duo diuerſi, ſed parum diſtantes, vicus primas praebuerunt aquas, etiam ſub horum vicuum nomine illae aquae celebres fuere. Verum enim vero, venditae deinde quoque fuere aquae factitiae, quae, ex ſale purgante amaro in aqua communi ſoluto, paratae atque effictae ſunt. Quid mirum, ſi aquae hae medicatae tam diuerſos ediderunt effectus!

Gratias igitur meretur Cl. TROSCHEL, quod in omne id inquirere, et quod detexit, pagellis his nobiscum communicare voluerit.

FR. HOFFMANNUS, celebris ille aquarum mineralium ſcrutator, primus fuit, qui aquas has amaras notas fecit, atque in vſum vocauit. Aquae *Sedlitzenſes* ſine dubio primae fuere, quae innotuerunt. Poſt ea, quum animaduerſum fuerit, fontem prope *Saydſchütz* ſcatentem, ſaporem habere, vt HOFFMANNUS *) ait, intenſum amaricantem, magisque ſalſum, eius aqua principatum obtinuit, licet ex vna officina, monte ſcilicet *Hochbetſch* dicto, ambae prouenire videantur. Differentiam, ſi qua eſt, Cl. Auctor in eo quaerit, quod fontes *Saydſchützenſes* altiorem ſitum habeant: *Seydlitzenſes* vero in valle huius montis prorumpant, vbi aquis peregrinis facilior acceſſus pateat, quare etiam illos fontes principem ſeu originem vocant, hos vero, vt venam deſcendentem conſiderant. Nouam hinc denominationem aquis his impoſuit, vltimasque, *Sedlitzen-*

*) *Examine chemico-medico fontis amari Sedlitzenſis in Bohemia detecti Hal. §. VII.*

tzenſes ſcilicet, in poſterum inferiores: *Saydſchützenſes* autem ſuperiores nominabit, quemadmodum et curauit, vt lagenis, quae diuerſas has aquas continent, diuerſae etiam litterae, diſtinctionis gratia, inurantur. Partes harum aquarum conſtitutiuas, quas ingredientes vulgo vocant, non determinat, ſed ſibi ad aliud reſeruat tempus. De contenti autem ſalis, qui amarus dicitur, natura quaedam proponit, eumque ad mentem Cl. CARTHEUSER in *ſyſtemate hydrologico* ad *natrum*, ab aliis ſal fontium medicatorum dictum, numerat. Sali huic amaro prae aliis ſalibus ex aquis medicatis paratis, e. g. *Sedlitzerſi*, *Egrano*, *Anglicano*, *Epſom* dicto etc. praerogatiuam quidem dare contendit Cl. Auctor. Sed multipli experientia certi ſumus, omnes hos ſales, ſi ſcilicet veri et non factitii ſunt, ſimilique methodo parati, parum vel nihil differre: ſi quidem omnibus, ſine omni additione ſingulari tantum quadam, quam vocant, encheireſi ſimilem cryſtallorum formam dari poſſe, certum eſt; ſicuti hoc Cl. SEIP, et ex Anglis Cl. LUCAS iam docuere, et ex comparatione ſalis thermarum Carolinarum cum Teplenſi *) apparet, quorum alter ex thermis, alter ex fonte quodam medicato frigido, circa ſex lapides a thermis Carolinis diſtante, coquitur, vterque pari modo ac artificio paratur, quare etiam, vt Cl. Auctor ipſe fatetur, alter ab altero a peritiſſimo quoque diſtingui nequit.

Quando autem tres ſpecies huius ſalis amari Cl. Auctor adducit, ſciendum eſt, primum, quem viliſſimum nominat, terreas adhuc partes continere; alterum vero ab his partibus eſſe purgatum; tertium denique, quem, quia cryſtallos ſuas ſeruat, et ab

*) Confer. Commentar. noſtr. Vol. X. Part. II. p. 329. et ſeq.

ab aere non mutatur, optimum ſalutat, quodam artificio eſſe paratum *). Quibus praemiſſis, ex HOFFMANNO, GOERITZ, DEBRA et Cl. CARTHEUSER catalogum adfert morborum, quibus aquae hae amarae medentur. Hunc catalogum ſequitur tabula, quae methodum et ordinem praeſcribit, ad quem curatio cum his aquis inſtituenda eſt.

In fine libelli inueniuntur pretia tam aquarum, quam ſalis, vna cum ſumtibus lagenarum et ciſtae, quibus adſeruandae ſunt, quando ad exteros mitti debent.

Tandem monendum, numerum foliorum in toto libello deeſſe: hinc illa in margine notare nequiuimus.

XXIII.

Noua phyſico - medica.

Facere non poſſumus, quin praeter alia felicitatis genera, quibus Saxonia noſtra iam fruitur, illius quoque mentionem faciamus, quod *Dresdae* iam conſtitutum ſit collegium ſupremum, quod mercaturae, agrorum culturae, artium vtilium et officinarum, in quibus variae res manuum opera parantur, ſummam in Saxonia curam habeat. Ex illo enim tempore, quo optimus noſter Princeps Elector, FRIDERICUS CHRISTIANUS, cuius memoria nunquam in animis noſtris deleri debet neque poterit, imperium proh dolor! nimis breue, ſuſceperat, et poſt ipſius

*) Ab amico, nuper ad hos fontes, eorum ſcaturiginem propius contemplandi ergo peregrinatus fuerat et hac occaſione officinas ad ſalem hunc rite coquendum a domino huius terrae, Principe de Lobkowitz, partim prope fontes, partim Bilini exſtructas viſerat, accepimus, hoc artificium in eo conſiſtere, vt ſal, iam excoctus et in cryſtallos coactus, in aqua puriſſima iterum ſoluatur, coletur, et, nulla addita re, lentae modo cryſtalliſationi exponatur, idemque labor bis vel ter repetatur.

ipſius obitum ſemper nobis acerbum, tanto nec vmquam ſatis laudando Principe digniſſimus frater, ſereniſſimus Princeps, XAVERIUS, per impuberes Ser. Electoris, FRIDERICI AUGUSTI, annos illud egregie adminiſtrat, omni ſtudio omnibusque viribus externae rationis felicitati augendae proſpicitur. Itaque etiam certi quidam reditus publici, aerario alias Principis dicati, huic vſui deſtinati ſunt, vt admodum inſignia multaque quotannis ab illo commorato collegio exhibeantur praemia, vtilibus variis inueſtigationibus atque tentaminibus quaeſitis propoſita, quibus ciuium labor, ſtudium atque induſtria ita excitatur, vt eorum alter alterum cito nanciſcatur aemulum. Quaeſtionum tamen nunc propoſitarum copia limites noſtros iam ſuperat; quare de illis alio forſan tempore aut loco referre conſtituimus.

Inſuper, annuentibus optimis illis Principibus, permulti nationis noſtrae proceres in *ſocietatem* quandam, *oeconomicam Lipſienſem*, dictam ſponte abierunt, ſimilem praefigentes ſibi finem, vt mercaturam in genere, agrorum culturam, artium officinas, omnemque rem Saxoniae oeconomicam adiuuent. Director, octoque membrorum delectus, poſt ſingulum biennium ex reliquis ſociis eligendi, cum Secretario perpetuo, cuius munere iam fungitur Vir Cl. IOANNES CHRISTIANUS DANIEL SCHREBER, Med. D. DANIELIS GODOFREDI, Profeſſoris noſtri Oeconomiae filius, poſt ſingulas ſex hebdomades hic *Lipſiae* conueniunt, generalis autem conuentus omnium membrorum in ſolemnibus noſtris nundinis publicis, poſt feſtum paſchatos atque Michaelis, habetur. Quaeſtiones etiam et praemia iis dicata per ſingulos annos exhibentur, resque oeconomici vſus in primis in Saxoniae prouinciis

ciis reperiundas indagare ſatagit, neque ſuorum laborum fructus ſuo tempore publici vſus reddere intermittet.

Neque hac data occaſione temperare nobis poſſumus, quin aliud commemoremus inſtitutum laude digniſſimum, quod nimirum ex anni ſpatio et quod excurrit, hic quoque *Lipſiae* ortum ſuum habuit, ex quo nimirum ſingulis hebdomadibus plagula typis excuſa traditur ſub titulo *Indicis Lipſienſis* rerum ad vſus vitae, cum in vrbe, tum ruri habitantibus neceſſariarum, cuius vna pars hanc modo vrbem vel certe prouinciam reſpicit, altera vero commentationes ſuper rebus oeconomicis omnis generis valde vtiles lectuque digniſſimas continet. Qui hunc ſibi librum comparare velint, quatuor florenos imperiales pro quolibet anno ſoluunt. Multa quoque per ſingulos annos maioris minorisque pretii exhibentur praemia, totidem ſolutis quaeſtionibus oeconomicis a perilluſtri huius inſtituti auctore vel directore *Libero Barone* DE HOHENTHAL, ſupremi ſacrorum ſenatus Dresdenſis Praeſide ſecundo, propoſitis.

Nouum inſignis ſuae in litteras propenſionis, dudum iam a viris doctis depraedicatae, documentum ſuperiore anno edidit CAROLUS THEODORUS ſereniſſimus Dux et Elector Palatinatus, nouam condens *Manhemii* ſcientiarum Academiam, quae die decimo quinto menſis octobris 1763 publice inaugurata fuit. Quum leges ipſi praeſcriptae ad manus noſtras peruenerint, facere non poſſumus, quin communicemus illas cum lectoribus noſtris, vt ipſius rationem eo facilius intelligant.

Aca-

Academia Electoralis *Theodoro - Palatina* de rerum geſtarum atque naturalium Palatinatus praecipue, Domusque in eo regnantis, hiſtoria artibusque eo ſpectantibus ſollicita eſto.

In omnibus veritas ſuprema lex eſto.

Academici vniuerſi doctrina, ſtudiis, moribus ſuis commendabiles et a partium ſtudio alieni ſunto. Quae priuatim tractantur, ne propalanto. In duas illi Claſſes, Hiſtoricam et Phyſicam, diuiſi ſunto. Altera alteram in rebus ad alterutram ſolam ſpectantibus ne turbato.

Legum ac dignitatis cuſtodes, Praeſes atque Director, dein Secretarius actorum perpetuus, et Quaeſtor aerarii ſunto. Secretario Vicarius adiungitor. Praeter hos numerus Academicorum ne denarium excedito.

Noui ſocii electio penes Academiam, confirmatio penes Principem eſto. Non alius niſi ſecularis, vel eccleſiaſtico ſecularis eligitor.

Praeſes et Director a laboribus conſuetis immunes, reliqui Academici in legundis audiundisque commentationibus aſſidui ſunto. Quicquid ſcripſerint egerintue, placido ſociorum examini et iudicio repetita lectione ſubiiciunto. Digna et ſuo et Academiae nomine ſinguli commentantor; praeſentium in conuentibus praemium, nummus argenteus, in vſum hunc cuſus, eſto.

Lingua in ſcribendis commentariis ac diſſertationibus princeps latina; germanica et gallica ſubſidiariae ſunto.

In rebus, quae vel ab vniuerſo conuentu, vel a ſingulis claſſibus decidi poſſunt ac debent, plurium ſuffragiorum habetor ratio. Sententiae, ſcripta aut viua voce, prout aptius viſum fuerit, explorantor. Praeſes eas rogato pronunciatoque; Secretarius actis inſcribito.

Academiae apud exteros, horumque apud Academiam, interpres Secretarius eſto. Commentarios et quicquid Academia probauerit iuſſeritque, idem in lucem publicam edito. Tabulas, priuilegia, litteras, diſſertationes praelectas et ſigillum ſeruato. Academicorum fatis functorum elogia ſcribito.

Conuentus aeſtiui in bibliotheca Electorali, hiemales in vicino conclaui ſingulis diebus iouis ab hora tertia pomeridiana ad quintam habentor. Bis quotannis feriae ſex hebdomadum ſunto, vernales et autumnales.

Primus poſt vtrasque ferias conuentus publicus atque ſolemnis eſto. In vernali ſociorum defunctorum elogia leguntor. In autumnali praemium numiſmatis aurei 50 ducatorum meliori, quae aliunde ad propoſitam quaeſtionem academicam miſſa fuerit, commentationi rite examinatae tribuitor, nouumque alternis claſſium vicibus problema in annum ſequentem publicator.

Certantes de praemio ante calendas quinctilis opuſcula ſua Secretario reddi curanto. Nomen ſuum in ſchedula obſignata, adiiciunto. Si nullus palmam meruiſſe videbitur, praemium in ſequentem annum ſeruator. Academici iudices praemii, non participes ſunto.

Proximo inde conuentu priuato acceptorum et expenſorum rationes annuas Quaeſtor reddito.

His, quas iam enarrauimus, legibus aliam deinde additam eſſe accipimus de aliis membris, et honorariis, et extraordinariis dictis, Academiae illi adiungendis.

Inſuper praemiorum numerum auxit Sereniſſimus Elector, duplicis quaſi ordinis. Loco enim vnius nummi aurei quinquaginta ducatorum, bini nunc illius pretii quotannis diſtribuentur, ideoque

etiam

etiam binae quaeſtiones ad vtramque Academiae claſſem ſpectantes proponentur. Praeter hos alii duo, quinque et viginti ducatorum ſinguli, deſtinati ſunt explicandis quaeſtionibus, rem phyſicam et oeconomicam Palatinatus in primis attinentibus; ex quibus, tamen omnibus ideo expectandis quaeſtionibus earum modo faciemus mentionem, quae inſtituti noſtri fines attingunt.

Phyſica igitur quaeſtio prioris quaſi ordinis, praemio ad annum 1765 exhibendo deſtinata, cupri excoquendi rationem concernit, vt facilior nimirum conſueto minusque tum ratione temporis, cum ligni, pretioſus et experientia confirmatus doceatur modus, ex minera cupri purum ipſius regulum excoquendi.

Altera quaeſtio, ad annum 1766 referenda, lithanthracum vſum cupit determinandum; num illae ad mineras vſtulandas et coquendas, vel certe ad ferri mineras coquendas, adhiberi queant? Vt illarum, eum in finem conquiſitarum, aliqua ſimul copia ad Academiam mittatur, locusque, quo effodiuntur, indicetur, ab ipſa rogatur.

Praemiis porro ſecundi ordinis quatuor ſequentes quaeſtiones praefixae ſunt, quarum binae priores ad annum 1765, poſteriores autem ad annum 1766 pertinent:

Vbinam ſcilicet in Palatinatu illa oeconomorum marga inuenitur, quae ab aliis ad certos quosdam agros fertiliores reddendos adhibetur? Et quibusnam potiſſimum agris illa conuenit?

Num apium cultura copioſius, ac huc vsque factum fuit, locum habere poteſt in Palatinatu? Quidnam in primis illam augendam iuuat? Et quidnam ipſi nociuum atque impedimento eſt.

 Quae-

Quaenam in Palatinatu inueniuntur inſecta, cum noxia, tum vtilia? Quaenam ab illis noxa, et ab his expectanda vtilitas? Et quomodo illa auertenda, haec autem amplificanda erit?

Quaenam denique iſtorum inſectorum eſt natura, quae vernali tempore vitium gemmas pungendo laedunt? Ab ouo ad interitum vsque explicentur ipſorum indoles, externus habitus atque mutationes. Annotetur porro, quanam potiſſimum in terra et in quibus palmitibus frequentiora ſint, et quibusnam auxiliis facillime extinguantur, vel certe vitis ipſa ab illis tuta reddi poſſit?

Commentarii ſuper omnibus illis quaeſtionibus conſcribendi ad perpetuum Illuſtris Academiae Secretarium, Cl. LAMEY, qui Electorali ſimul curandae bibliothecae praefectus eſt, mitti debent ita, vt illos primi quaſi ordinis ante calendas menſis iulii, hos autem ſecundi ordinis ante finem ſinguli anni, cui deſtinati ſunt, accipiat.

Regia *Pariſienſis*, quae ab agri cultura nomen habet, Societas, poſtquam in aliarum academiarum exemplum, quouis anno praemium exhibendi conſilium cepit, tale ſexcentorum pondo gallicorum menſe aprili 1765 adiudicabit illi, qui deſcriptionem, cauſas, effectus atque curationem morborum epidemicorum et contagioſorum armenta infeſtantium, atque remedia illis praeuertendi iſtorumque progreſſus cohibendi, omnium optime explicauerit.

Aliud argumentum praemio, ad annum quidem 1765 pertinenti, ſed 1766 demum exhibendo, octingentorum pondo gallicorum *eadem* obtulit, vt qualitas vſusque ſtercorationis agris, iisque cerealium in primis culturae deſtinatis, eorumque indoli conuenientis,

tis, optime inueſtigentur ideoque captis experimentis demonſtrentur, ſiue noua ſtercorationis genera huc vsque vel incognita, vel certe neglecta, commendentur, vel in fimi locum, eius niſi ſatis adſit, adhibenda, vel ad illius ſimiliſue ſtercorationis qualitates perfectiores reddendas apta. Commentationes, vel Cl. DE SAUVIGNY, Conſiliario ſtatus dicto, vel Cl. DE PALERNE, perpetuo ſocietatis ſecretario, ante primum diem ianuarii cuiuslibet anni, quo de exhibendo praemio iudicabitur, tradi debent.

Regia ſcientiarum Academia *Burdigalenſis* quaeſtionem ad annum 1765 propoſuit de indaganda cauſa originis montium, (*quelle eſt la cauſe de la formation des montagnes*)?

Inſuper eodem anno alia duo praemia, e ſuperioribus annis relicta, ſe exhibituram eſſe merentibus, *eadem* promiſit, quorum vnum aliquam praeparationem lanae ab inſectorum morſu tutam reddendam, alterum plantarum nutrimento aptarum inueſtigationem concernit *).

Anno 1766 duo quoque praemia obtulit *eadem* Ill. Academia. Optat nimirum, vt genus atque eſſentialis morborum epidemicorum indoles inueſtigentur, qui ex ſiccatis paludibus in vicinis locis ſaepius oriri ſolent, vtque doceatur ſimul, quanam cautione et diligentia ad iſtos auertendos opus ſit et qua methodo, per experientiam confirmata, iſti curari poſſint.

Alterius tandem modo dicti praemii argumentum inueſtigandis diuerſarum coagulationum cauſis dica-

*) vid. Comment. noſtr. Vol. IX. P. IV. p. 697.

dicatum eſt; (*quelles les cauſes des differentes coagulations?*) Scire licet, ante primum diem menſis maii cuiuslibet anni, quo de ſingulis praemia publice decernet Academia, ad ipſius Secretarium Cl. DE LA MONTAGNE aut bibliopolam BRUN, mitti debere commentarios, gallice vel latine conſcribendos.

Lugdunenſis Gallorum Academia quaeſtionem, hoc anno 1764 dirimendam, olim obtulerat de aere in noſocomiis carceribusque noxio eumque corrigendi optimo remedio *). Quamuis autem quatuordecim ſuper hoc argumento ſcriptos accepiſſet illa commentarios, eorum tamen nullus ipſius expectationi prorſus ſatis fecit, praeſertim quum auxilia in aeris corrigendi vſum inuenta iamque nota, neque tamen adhuc perfecta, ab auctoribus commendata fuerint. Rei igitur grauitate et vtilitate inſigni Ill. Academia permota, idem argumentum diſtulit ad annum 1767, duplicato praemio, optans in primis, vt adminiculum aliquod certum et per experientiam vſu comprobatum inueniatur, quo aer in carceribus atque noſocomiis purior reddi queat.

Divionenſis Regia ſcientiarum Academia praemio huius anni 1764 ſequentis argumenti quaeſtiones propoſuerat: vt remediorum antiſpaſmodicorum ſtricte ſic dictorum determinaretur natura, agendi eorum modus explicaretur, varia eorum genera diſtinguerentur eorumque vſus in morbis indicaretur. Praemium illud reportauit Cl. GODAR, Med. D. Veruiae medicinam cum laude faciens.

Pariſiis a munere perpetui Regiae Chirurgiae Academiae Secretarii ſeſe abdicauit Cl. MORAND, ideo-

*) vid. Comment. lib. Vol. X. P. IV. p. 718.

ideoque in ipſius locum a primo Ser. Regis chirurgo DE LA MARTINIERE nominatus Regiaque auctoritate confirmatus fuit Cl. LOUIS, variis vtilibus ſcriptis inter eruditos clarus factus.

Ab eadem Regia Chirurgiae Academia *Pariſienſi* praemio iam duplicato ad annum 1766 referendo ſequens oblatum fuit argumentum: vt contrafiſſurarum, in laeſionibus capitis accidentium, tradatur theoria, practicis, quae inde fluant, additis animaduerſionibus; (*établir la théorie des contrecoups dans les léſions de la tête; et les conſequences pratiques qu' on peut en tirer*). Ante finem anni 1765 ad Academiae Secretarium, Cl. LOUIS, mitti debent commentarii, gallice vel latine conſcripti, conditionibus iam ſatis notis vna obſeruatis.

Harlemenſis ſcientiarum Societas in conuentu nuper habito ex medicis in ſociorum numerum recepit Viros Clariſſimos, ALBERTUM DE HALLER, Gottingenſis ſcientiarum ſocietatis Praeſidem, IOANNEM OOSTERDYK SCHACHT, M. D. et Prof. Vltraiectinum, A. PELERIN, Med. D. et Prof. Traiectinum ad Moſam, IOANNEM TACK, Med. D. Batauorum Lugdunenſem, tandemque SAMUELEM GOTTLIEB GMELIN, Med. D. Tubingenſem.

In *Groningenſi Omlandica* Academia Medicinae, Theoriae, Anatomes, Chirurgiae et Botanices Profeſſor Publicus Ordinarius conſtitutus fuit Vir Cl. PETRUS CAMPER, Med. D. Londinenſis et Harlemenſis ſcientiarum ſocietatum ſocius, Franequeranus olim deinque Amſtelodamenſis Profeſſor Medicinae digniſſimus, variis huc vsque editis ſcriptis, de quorum vno ante aliquod tempus ad lectores noſtros

 retu-

retulimus *), inter viros doctos egregie clarus. Nouum is hoc ſuum munus adiit hoc anno 1764 die nono maii, oratione publice habita *de analogia inter animalia et ſtirpes.*

Mediolani Profeſſor Medicinae nuper nominatus fuit Vir Cl. PAULUS VALCARENGHI, Med. D. olimque iam Profeſſor Medicinae in Academia Ticinenſi Primarius, et adhucdum Bononienſis Academiae Socius, variis editis ſcriptis, *medicina* in primis, quam edidit, *rationali, ad recentiorum mentem, obſeruationibus adaucta* et *epidemicis Cremonenſibus conſtitutionibus* arabicisque commentariis, laudem atque famam inter eruditos diu iam conſecutus. Vnicum iam Mediolani Profeſſorem illum eſſe legimus, cui datum ſit, vt omnem et theoreticae et practicae medicinae ambitum intra binos annos docendo emetiatur, inſigni ideo ſtipendio cohoneſtatus.

In Academiam *Gieſſenſem* Erfordia euocatus fuit Vir Cl. IOANNES GUILIELMUS BAUMER, Med. D. vt Profeſſoris Medicinae Primarii Phyſicique ſic dicti prouincialis munus ibidem ſuſcipiat.

Petropoli abiit ibique a munere Profeſſoris Mechanices ſeſe abdicauit Vir Cl. IOANNES ERNESTUS ZEIHER, Phil. ac Med. D. Academia tamen ſcientiarum Imperialis Petropolitanae Membri honores retinens. *Wittebergam* deinde ſeceſſit ibique Mathematum Inferiorum Profeſſor Publicus Ordinarius nominatus fuit, quod nouum quoque munus auſpicatus eſt nuperrime die trigeſimo octobris habita oratione *de machinarum principiis,* editaque eum

in

*) vid. Comment. noſtr. Vol. X. P. III. p. 503.

in finem programmate, quo *miſtionum metallicarum examen hydroſtaticum exponit.*

Ab Academia *Gryphiswaldenſi* in Sueciam rediit Vir Cl. IONAS BOECKMAN, Med. D. et Prof. Reg. et ſucceſſorem in hoc munere nactus fuit Virum Cl. CAROLUM FRIDERICUM REHFELD, Med. D. ordinisque Medicorum Gryphienſium iam huc vsque Adiunctum.

Lubeccae ſub exitum ſuperioris anni 1763, die decimo tertio decembris, praematura nimis morte extinctus fuit HENRICUS BALEMANN, Med. D. trigeſimum modo quintum aetatis annum agens. Tranſlationem germanicam cum hiſtoriae auium KLEINII, tum LEVRETI obſeruationum de partu difficili, ab illo accepimus, pluresque alios ab ipſo laborum vtiles fructus ſine dubio expectare potuiſſemus.

Hoc autem anno 1764 die decimo ſeptimo iunii academia *Aboenſis* morte amiſit Virum Cl. IOANNEM LECHE Med. D. et Profeſſorem et Academiae ſcientiarum Sueciae ſocium.

Florentiae porro nuper die quinto iulii obiit quadrageſimo ſecundo aetatis anno CAROLUS STENDARTI, Patricius Florentinus et collegii ſanitatis Praeſes. Antiquitatum et amantiſſimus et ſtudioſiſſimus, inſignem et gemmarum et inſcriptionum reliquit collectionem. Imperatoris Romani negotiorum procurator olim fuit Algeriae, cum peſtis ibi graſſaretur per biennium, quam igitur quoque deſcripſit.

Baruthi rebus humanis exemtus fuit die ſeptembris duodeuiceſimo CHRISTIANUS SAMUEL

GEBAUER, Med. D. Comes Palatinus, Ser. Marchionis Culmbacenſis Conſiliarius aulae et Archiater et in Academia Erlangenſi Profeſſor Medicinae Primarius, quadraginta ſeptem annorum aetatem conſecutus. A munere illo academico per plures iam annos auocatus fuerat in aulam Byruthinam, vt Ser. Principi a ſanitate tuenda adeſſet.

Bononiae ſub initium octobris grauiſſima apoplexia extinctus fuit PETRUS PAULUS MOLINELLI, Med. D. apud Inſtitutum, quod dicitur, Litterarium Bononienſe Chirurgiae Profeſſor, cuius iacturam eo grauius fert iam dicta Academia, quo maiori ſibi hunc ſocium honori habuit ex merito.

Tandem, dum haec ſcribimus, triſte hoc in relationibus publicis relatum legimus nuncium, quod CHRISTIANUS CAROLUS CRAMER, Med. D. cum ſocietate virorum doctorum Danica, cuius fata nuperrime commemorauimus *), Arabiam per vltimos hosce annos peragrans, die februarii decimo huius anni 1764 ſociorum quoque ſortem expertus, Bombaci (*Bombay*) diem ſuum obierit ſupremum.

Praeter haec, quorum iam mentionem fecimus, ſuperſunt adhuc alia, breuibus commemoranda.

Aboae nimirum et theatrum anatomicum et laboratorium ſic dictum chemicum, quo vtroque Academia, ante centum et viginti annos iam condita, hactenus caruit, hoc anno exſtructa ſunt.

Holmiae,

*) Comment. noſtr. Vol. XI. P. IV. p. 719.

Holmiae, ex Illuſtrium regni ordinum inſtituto, ſeptem aſſeſſoribus collegii medicorum ibidem conſtituti, annuum ſalarium decretum eſſe accipimus, ita vt quisque ſummam quadringentorum circiter thalerorum imperialium (500 *plåtar*) accipiat.

A ſuprema Curia *Pariſienſi* medicorum ordini in mandatis fuiſſe datum, vt ſuum de vtilitate vel noxa inſitionis variolarum ferat iudicium, ſuo tempore retulimus *). Ab vniuerſo deinde illo ordine clariſſimorum virorum delectum fuiſſe conſtitutum accipiebamus, qui ſingulari ſtudio atque diligentia in graue hoc argumentum inquirerent. Illos quoque plus ſimplici vice ea de re iniiſſe conſilia, et ex illis Cl. Viros, ASTRUC, COCHU, BARON aetate minorem, VERDELHAM, MACQUART et LEPINE contra illam methodum, alios autem, Cl. GEOFFROY, LORRY, THIERRY et MALOUET, pro illa admittenda, ſuas tuliſſe ſententias, tandem vero tota hac quaeſtione ad vniuerſum ordinem delata, eoque in ſuffragium vocato, ex illis quinquaginta duos pro toleranda iſta methodo ſtetiſſe, quinque autem et viginti contra illam diſputaſſe legimus. Sine dubio nunc ad Curiam Supremam delatum eſſe illud iudicium, ſententiamque igitur theologorum ordinis breui forſan expectari poſſe coniicimus, tuncque vſum illius operationis, huc vsque interdictum, denuo ab illa Curia ſuprema admiſſum iri, ſperamus.

Quum noſtris temporibus non vniuerſum plantarum ſtudium tantum, ſed etiam agricultura potiſſimum aſſidua perueſtigatione naturae ſcrutatorum

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XI. P. III. p. 558.

rum magis magisque perficiatur, tot tamque varii in explicandis rebus, ad has ſcientias pertinentibus, characteres obſeruati ſunt, illique ſingularibus et determinatis vocabulis deſignati, vt nouam quaſi linguam addiſcere neceſſe ſit, eas cognoſcendi cupientibus. Optima inſtruendi vis ineſt dictionariis ſeu lexicis, ſic dictis, ex quibus repeti queat, iubente neceſſitate, vocabulorum vis. Hinc laudabili aeque ac vtiliſſimo conſilio in animum induxerunt, conficere huic ſcopo conuenienter Dictionarium generale, vt vocant, Cl. Viri, Abbas UBALDUS MONTELATICI, Florentinus, qui Academiam Agriculturae, aut *Georgophilorum* Florentiae condidit, nec non XAVERIUS MANETTI, Prof. Botanices in Societate Phyſico-botanica Florentina. Prodibit illud tribus aut quatuor tomis comprehenſum, in forma, quae folii eſt, chartae ac characterum, quantum fieri poteſt, nitore conſpicuum. Primus etiam tomus anno iam huius ſeculi edetur ſexageſimo quarto. Addentur delineationes variae, inuentionem diuerſarum machinarum, plantarum cet. ſiue alibi eae non extent, ſiue ad cognitionem meliorem requirantur. Edita iam eſt ad tomum primum pertinens praefatio, in qua tum de neceſſitate, tum de vtilitate talis laboris diſſeritur, duabus plagulis in folio. Multum faceſſit negotii vocabulorum, ad agriculturam pertinentium, collectio, quorum aliqua ex *Vocabulario della Cruſca*, alia ex codicibus manu-ſcriptis IO. VETTORII SODERINI, qui in bibliotheca CAROLI THOMASII STROZZI, occurrebant, deſumta fuerunt. Latinae voces, quae cum Italicis conſpirant, ex ſcriptoribus rei ruſticae ſelectae, nec latino barbarae praetermiſſae ſunt, gallicae cum ruſticis Italorum plerumque conueniunt. Partem porro huius lexici,

ſibi

ſibi vindicat botanica, quippe ſine cuius cognitione nec felicem agricolam fore exiſtimant Cl. Auctores. Hinc de ſingula planta denominatio, praeeunte Ill. LINNAEO, diſtributio ſyſtematica, vſus oeconomicus, patria cet referentur, non neglectis tamen aliis etiam celebribus botanicis. Vocabula aliorum idiomatum fideliter adducta et in linguam italicam translata, quaedam etiam triuialia ſunt addita. Praecipua cura in definitionibus fuit adhibita, vt ſint clarae atque diſtinctae, eaque propter loca auctorum, illuſtrandi cauſſa, vbi opus erat, adiecta, reperiuntur. Primo tomo praemittentur generales regulae agriculturae, explicatio prouerbiorum vtiliſſimorum, nec non elementa agriculturae, et in vltimo tandem ſequetur index omnium auctorum. Praeter alia tandem in ipſo opere occurrunt animalium, inſectorumque, quatenus huc ſpectant, deſcriptiones. Ex his autem ipſius operis dignitatem diiudicare licet, de qua plura ſuo dicenda erunt loco. Qui vero hoc opus deſiderant, ſua nomina profiteri poterunt penes *Iacobum Carlieri*, bibliopolam Florentinum, vel penes alios, quorum nomina in ſingulari ſchedula, in bibliopoliis celebrium locorum inuenienda, recenſentur.

Non minori cum animi voluptate nouum iam indicamus in incrementum ſcientiae naturalis directum, inſtitutum, quod ab anonymo quidem Auctore, in edito quodam *de iconibus, animalia ex muſeo academiae Lugduno - Batauae deſumta, picta exprimentibus, monito* ſignificatur, quem vero eundem Cl. ALLEMAND eſſe ſupicamur, cui additamenta ad BRISSONEI Ornithologiam tribuenda eſſe autumauimus *). Icones illae ſiſtent non niſi rara

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. XI. Part. IV. p. 611.

rara et quae a paucis videntur, quod eo vtilius eſſe iudicamus, quo frequentior eſt ſeſe in vulgaribus diſquirendis exercendi occaſio, et quo magis inde ſcientiae augentur. Deinde ſeliget Cl. Editor, attentione digniſſima, quae vel nondum, vel imperfecte deſcripta habentur, omnia accuratiſſime delineabuntur, et aeri inciſa natiuis coloribus ornabuntur. Ordo ſeruabitur nullus, rara ſingula locum inuenient, ſiue ſint aues, quadrupeda, piſces, inſectaque. Nulla tamen, niſi breuis ſubnectetur iconi deſcriptio characterum. In quadrupedibus et auibus characteres ex BRISSONIO mutuabuntur, latina et gallica lingua. Speciminis loco exhibetur *Hydrocorax indicus*, cuius deſcriptionem additam inuenimus BRISSONII Ornithologiae. Tom. II. p. 205 edit. Lugd. Batau. de quo in hoc *monito*, aeque ac in *opere Briſſoniano* caput et roſtrum tantum cognitum fuiſſe adſeritur. Eſt autem icon nitida et eleganter picta.

Quicquid vero ſenſus noſtri ſatis ob imbecillitatem in corporibus naturalibus dignoſcere nequeunt, illud curatius oculus armatus explicare valet. Quem iam alibi in eiusmodi diſquiſitionibus feliciter verſatum fuiſſe docuimus, Cl. LEDERMÜLLERUM, nondum a perſcrutatione naturae penetralium deſtitiſſe iam indicamus. Nouum enim molitur opus, quod plantarum aeque ac aliorum corporum naturalium ſpecimina continebit, delineationes autem aeri incidendas committet *Adamo Ludwig Wirſingio*, celebri Norimbergenſium chalcographo, qui etiam ex collectione vernali, *der Frühlings-Sammlung* tres iconiſmos cum explicatione iam edidit. Sunt illi elegantes, viuis, naturam imitantibus, coloribus elegantiſſime picti. Pro-

Proponuntur in his, ramus pyri cum floribus, reſeda odorata, et lilii cruenti flos, vbi ſimul florum fructuumque partes omnes diſtinctae ſiſtuntur. Ne amicis nimis pretioſa euadat collectio, ſingula ſectio, tribus tabulis cum textu conſtans, ſua ſubſcribentibus nomina vendetur duobus florenis. Explicatio autem germanica aeque ac gallica addetur. Nec ſine cauſa ſperamus, omnibus hoc inſtitutum gratum fore atque acceptum. Collectio ſingula duodecim complectitur tabulas, et pro anni tempore vernalis, aeſtiua et ſic porro nuncupabitur.

Memoria IOANNIS GODOFREDI ZINNII, Medicinae Doctoris, eiusdem et Botanices P. P. O Regiae Societ. Scient. Gottingenſis et Berolinenſis, Inſtituti Bononienſis Socii,

Vt deſpectus ex edito loco camporum valliumque varietate, riuorum meatu et herbarum colore eum neceſſario delectat, qui improuiſo et vno oculorum adſpectu illud ſpatium ambit: ſic deſcenſus ad loca ſingula et diuturnior contemplatio non magis oblectamentum, quam admirationem habet, neque ſolum ad naturae cognitionem vtilior eſt, verum etiam ad reminiſcendum efficacior. Non mutatur hic mentis humanae ſenſus cum rebus, quae ſi modo amplae ſint et variae, coniunctim oblectant, ſeparatim vtiles et mirabiles videntur: ipſa adeo doctrina, quem ſemel incredibili varietate ad adſpiciendum allexit, eum certe exhilarat; non autem prodeſt, niſi partibus quibusque ſigillatim conſideratis. Sed cum nulla pars in ſe vtilis ſit, omnes autem neceſſario vinculo ſic contineantur, vt altera ſine altera vel eſſe non poſſit, vel ne vim quidem exſerere; tamen in fine ad vniuerſam ſummam redeundum eſt, vt tandem cognoſcatur, vnde quidque profectum ſit, quoue debeat praeferri. Quidam enim, etſi res ſingulares accurate intelligunt, tamen, quia nec cum reliquis nectere ac comparare, nec ſubtiliter explicare, aut in vſum aliorum convertere didicerunt, docti non appellantur. His de cauſis non potuiſſet ZINNIVS ſine totius doctrinae medicae intelligentia tam vtiliter quaedam ſingularia tractare nec tam illuſtris fieri laude diligentiae in ſingularibus, niſi ab vniuerſorum oblectatione ad ſingulorum tenuitatem deſcendere ſuſtinuiſſet.

Quare

Quare volumus ab iis, qui hanc vitae deſcriptionem legent, intelligi, nos propterea de vniuerſa eius doctrina parcius dixiſſe, de quarumdam rerum admirabili ſcientia pluribus, quod hanc vel ſignum vel effectum omnis doctrinae eſſe ſtatuimus. Quod ſignum cum tam illuſtre ſit et admirandum, facile de magnitudine reliquae doctrinae iudicari poterit. Patriam habuit Suabacum, parentes CONRADUM STEPHANUM, agri Suabacenſis et redituum ducalium praefectum, matrem SOPHIAM CATHARINAM KOEHLERIAM, a quibus 1727 natus eſt. Poſt quindecennalem inſtitutionem domeſticam quadriennium exegit in gymnaſio Onolzbacenſi, in ſcholis GERETI et STREBELII: inde cum multa ſpe Gottingenſi academiae a. 1742 traditus eſt. Ibi vero, non omiſſa audiendi GESNERI occaſione, tractatis item duce SEGNERO diſciplinis phyſicis et mathematicis, multo paratior medicinam adgreſſus eſt, quam tunc quidem RICHTERUS, HALLERUS et BRENDELIUS profitebantur. Studium ſeuerius, quod medicae arti impendit, relaxauit quodammodo adeundis lectionibus ACHENWALLI, in quibus de Europae regnis expoſuit. Tandem a. 1749 ſummis medicinae honoribus condecoratus eſt, edita diſputatione *de experimentis circa corpus calloſum, cerebellum et duram meningem in viuis animalibus inſtitutis.* Fuit ergo hoc tempus ſimile illorum oblectationi, qui vno intuitu plenam naturae bonis planiciem animaduertunt: hanc ſuauitatem ſi ſeruandam et augendam putauit, ſi incenſus pulcritudine etiam ſingula mirari et propius noſſe voluit, quid aliud niſi intelligentis et attenti ſpectatoris officium fecit? Huc pertinet, quod Berolinum inprimis ſtudio anatomiae petiit, vbi ſiue cadauera ſecare, ſiue noſocomia adire, ſiue plantas et-

iam colligere et examinare vellet, duces habuit ac comites fidiſſimos SPROEGELIUM, LIEBERKUHNIUM, GLEDITSCHIUM. Praeterea in diſciplinam et amicitiam ELLERI et EULERI receptus, eoque magis iis omnibus probatus, quo doctiorem atque ſtudioſiorem viderant, dignus tandem habitus eſt, qui Societati Scientiarum Berolinenſi a. 1752 adnumeraretur. Detulit autem Berolino tam iucundam temporis ibi vtiliſſime transmiſſi memoriam, vt hanc commorationem ſemper in praecipuis vitae commodis poneret. Quid quod, poſtquam a. 1751 reuerſus Onolzbacum admiratione et amore multo ab omnibus exceptus erat, et inſuper valde commendatus medicorum collegio, ſpeciminibus anatomicae et medicae doctrinae, tamen anno ſequenti Berolinum denuo ſe contulit, et vrbis et literarum amore, perpetuamque ſedem eligere decreuit, Sed interuenit his conſiliis coniunctio cum academia Gottingenſi, quoniam ab inſtituta illo fere tempore Scientiarum ſocietate ZINNIO poteſtas facta eſt per epiſtolas cum Sociis agendi: cui alia neceſſitudinis cauſa acceſſit, cum ad botanicen ibi docendam vocatus, et Societati, accepto Socii Extraordinarii honore, arctius deuinctus eſt. Ab hoc botanico munere, quod a. 1753 d. 13 Ian. adiit, mortuo BRENDELIO, adſcendit Profeſſoris Medicinae Ordinarii gradum, quod vltimum fuit honoris praemium. His autem, quae hucuſque ſine vlla vel admonitione vel laude de vita ZINNII deinceps enarrauimus, antequam ad laudationem pergamus, vnum addi debet, quod a. 1757. inter Socios Inſtituti Bononienſis relatus eſt. Iam ipſa laudatio non de omni eius doctrina exponet, nec orationis ornatu commendabitur; ſed in ſingularibus reique ipſius documentis verſabitur, quae

quo

quo praeſtantiora ſunt, eo paucioribus verbis praedicanda putamus, vt ſua magnitudine emineant. Scripſit ZINNIUS peculiarem librum de oculo, a nemine, id quod iam permagnum eſt, magnopere reprehenſum, ab omnibus laude diligentiae, laboris, vtilitatis et doctrinae ſic ornatum, vt, quidquid diceretur, a vulgari laudantium conſuetudine differret, nec niſi meritum praemium ſcientiae anatomicae ſubtilioris contineret. Nec profecto male iudicabit, qui ornamentum hoc anatomicorum librorum non aetati vni aut ſcholae, ſed ſeculis et doctis hominibus traditum dicet. Non minorem laudem meruit botanica doctrina, cuius collectio in ſe difficilis et operoſa eſt, ſed ad amplificandam diſciplinam multo vtilior videtur eorum opera, qui ipſi ad ſyſtematis leges aliquid elaborant, et in hoc quoque genere ſingula cum vniuerſis examinant. Hoc quomodo ZINNIUS praeſtiterit, melius e deſcriptione horti Gottingenſis, quam noſtro hoc indicio, elucebit. Iam quid vtilitatis potuerit exſpectari, ſi quaedam inchoata, vt libellus *de ſaluiis*, cui ornando iam ad naturam pictae imagines inſtitutae erant, item *de generibus plantarum* et *de oſſibus corporis humani*, perfecta eſſent, iudicare poterit is, qui cognouit ea Zinniana ſcripta, quae in manibus omnium verſantur. Sunt etiam ab eo multa ſine nominis indicio ephemeridibus Gottingenſibus, collectionibus vtilibus Hanoueranis, Promptuario Hamburgenſi et bibliothecae Britannicae inſerta, quorum mentio fieri hoc loco debuit, quoniam praeter doctrinae ſignificationem perſpicuum induſtriae pro vitae ſpatio perquam admirabilis argumentum dederunt. Nos ergo, qui ſaepe iam ZINNIANAM doctrinam mirati eſſemus, ſimulac de morte meritiſſimi Viri, nimis matura et propemodum inuida, cer-

tiores facti ſumus, Gottingae et literarum iacturam doluimus, et quoties eius recordabimur, eum doctum, diligentem ac poſteris etiam vtilem iudicabimus, nec vnquam eius nomen ſine multa laude et gratiarum actione commendabimus. Nam profecto largi et vtiliſſimi fructus exquiſitae doctrinae intercepti ſunt, quaſi hoc in fatis eorum ſit, qui celeriter inclareſcunt, vt oſtenſi potius his terris, quam dati, videantur.

Adponamus et indicem ſcriptorum, quorum editione b. Noſtri ZINNII nomen inclaruit:

Diſſ. inaug. ſiſtens experimenta quaedam circa corpus calloſum, cerebellum, duram meningem, in viuis animalibus inſtituta. Praeſide ALB. HALLER Gott. 1749. 4.

Progr. de ligamentis ciliaribus. ib. 1753. 4.

Obſeruationes quaedam botanicae et anatomicae de vaſis ſubtilioribus oculi et cochlea auris internae, ad Virum Ill. PAUL GOTTL. WERLHOF. ib. 1753. 4.

Deſcriptio oculi humani iconibus illuſtrata. ib. 1755. 4.

Catalogus plantarum horti academici et agri Gottingenſis ib. 1757. c. f. aen. 8.

Exſtant porro in Commentariis Societatis Reg. Scient. Gotting. ab ipſo conſcriptae.

Obſeruationes V ex corporibus morboſis Tom. II. p. 364. 431.

Obſeruationes de tunicis et muſculis oculorum. Tom. II. p. 115.

Obſer-

Obſeruationes botanicae. Tom. eod. p. 425.

Comment. de differentia fabricae oculi humani et brutorum. Tom. IV. p. 191.

Alia adhuc ex latina in gallicam linguam translata commentatio:

De l' Envelope des Nerfs exſtat dans les Memoires de l' Acad. de Berlin. Ann. 1753. p. 130.

Commentationes in Soc. Reg. Scient. praelectae, typis nondum excuſae:

Obſeruationes botanicae. a. 1755.

Comm. de naturalibus et maioribus generibus plantarum. a. eod.

De analogia fabricae monſtroſae animalium et vegetabilium. a. 1756.

Obſeruationes continuatae de differentia fabricae oculi humani et brutorum. a. 1757.

Anatome Salamandrae. a. eod.

De fibris nerueis. a. 1758.

XXIV.

Supplementum alterum ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1760 prodierunt.

Opuſculi di Autori Siciliani etc. Tom. III. in Panormo. 4.

Der Koeniglichen Academie der Wiſſenſchaften in Paris Anatomiſch chymiſch und botaniſche Abhandlungen. Aus dem Franzoeſiſchen überſetzt von WOLFG. BALTH. ADOLPH V. STEINWEHR. *9ter Theil. Breslau.* 8 *m. K.*

L' Art de faire des Garçons par M** Doct. en Med. de l' Univ. de Montpell. Nouvelle edition. à Montpellier. 12.

Catalogus remediorum, quae ad vſus pauperum in noſocomio proſtant. Viennae 8.

SAM. AURIVILLIUS, Diſſ. de expectoratione peripneumonicorum. Reſp. *Georg. Rothman.* Vpſal. 4.

Dell' uſo e dell' abuſo del Coffe: Diſſertazione di I. DELLA BONA. in Verona. 4. (*editio altera aucta et emendata*).

CHRISTOPHOR. CRAMER, Diſſ. inaug. de paralyſi et ſetaceorum aduerſus eam eximio vſu. Goett. 4.

HENR. IOAN. NEP. CRANTZ, Quaeſt. acad. an plantarum officinalium, etiam aliarum, recepta nomina recte mutentur? Neg. Reſp. *Bernard Breiſinger.* Viennae, 4.

Eiusd. Quaeſt. quid veri in ſententia Stahliana ratione animae. Reſp. *Philip Marherr.* ibid. 4.

A min-

Åminnelſe-Tal öfwer Framledne Directeuren och Kongl. Vetensk. Acad. Ledamot, Välborne Herr HENRIC. THEOPH. SCHEFFER, på Kongl. Vetensk. Ac. Vägnar, hållit i Stora Riddarehus-Salen af deſs Medlem AXEL. FRED. CRONSTEDT. Bårg Mäſtare. Stockholm. 8.

Gleanings of Natural Hiſtory — — — by GEORG EDWARD. F. S. S. Part. II. London. 4. c. tab. aen. viu. color. pict.

Plantae ſelectae, quarum imagines ad exemplaria naturalia Londini in hortis curioſorum nutrita manu artificioſa doctaque pinxit GEORG. DIONYS. EHRET, Germanus, occaſione haud vulgari collegit, nominibus propriis notisque ſubinde illuſtrauit et publico vſui dicauit D. CHRISTOPHOR. IAC. TREW, in aes incidit et viuis color. repraeſentauit IO. IAC. HAID, Decuria VI. Norimberg. fol.

Die hohe Würde wahrer Aerzte, deren Kunſt eine der alleredelſten, wichtigſten, nöthigſten und einträglichſten vor Könige und Fürſten iſt – – beſchrieben von C. E. ENDTERO. *Frankf. u. Leipz.* 8.

Memoires hiſtoriques, politiques et militaires ſur les principaux événemens arrivés dans l'Isle de Corſe des l'année 1738 juſques à 1741 avec l'Hiſtoire naturelle de cette Isle et diverſes Remarques curieuſes ſur les Peuples qui l'habitent; par M. IAUSSIN avec une Carte de la Corſe de M. ROBERT de VAUGONDI. T. I. II. a Lauſann. 12. Voll. 2.

CAR. LINNAEI Diſſ. Prolepſis plantarum. Reſp. *Henr. Ultmark*. Vpſaliae 4.

PETR LUCHTMANS Or. de anatomicis ſeculi XVIII. incrementis. Traj. ad Rh. 4.

Intrådes-Tal om Aſtronomien uti dess närvarande tilſtånd af FREDRIC MALLET. Stockh. 8.

Tal om de i Landet befinteliga Byggnings-ämnen af GABRIEL POLHELM. *ibid.* 8.

IO. GEORG. ROEDERER, Progr. de febre ex intermittente continua Goetting. 4.

Eiusd. Progr. ſiſtens obſeruationes de infantibus in partu ſuffocatis ibid 4.

Eiusd. Progr. ſiſtens obſeruationes de ſubmerſis aqua ibid. 4.

Dictionaire univerſel de Commerce, d'Hiſtoire Naturelle et des Arts et Metiers, contenant tout ce, qui concerne le Commerce, qui ſe fait dans les quatre parties du Monde – – par IACQUES SAVARY DES BRUSLONS. Nouvelle Edition exactement revue, corrigée et conſiderablement augmentée. Tome II. a Copenhague fol.

IOAN. THOM. SIEGERT, Diſſ. de flatibus. Pragae, 8.

A Sermon preached before his Grace CHARLES, Duke of Marlborough – – of the Hoſpitals for the Small-pox, on thursday, March 27, 1760 by SAMUEL SQUIRE, *Cui adiungitur* An Account of the Riſe, Progreſſ and State of the Hoſpital, for relieving poor People afflicted with the Small pox, and for Inoculation: from its firſt Inſtitution (26 Sept. 1746 to 24 March 1760.) London, 4. c. f.

PUBL. VIRGILII MARONIS opera. Editio nouiſſima perpolita. Patau. 12.

Eiusd. opera cum notis THOM. FARNABII. ibid. 12.

Tal

Tal om Methoden uti Naturkunnigheten af IOHANN CARL WILKE. Stockholm. 8.

IO. GOTTSCH. WALLERIUS, Diſſ. om Limſtens nytta vid Ienmalms Smältningar. Reſp. *Ioh. Dan. Chriſtiernin.* Vpſal. 4.

Eiusd. Diſſ. an vis aeris prius, quam ferri innotuerit? Reſp. *Mart. Wahlberg.* Holm. 4.

Eiusd. Diſſ. de argilla ad fertilitatem contribuente. Reſp. *Paul. Ol. Naesman.* Vpſal. 4.

Eiusd. Diſſ. Prober-Konſten. Reſp. *Matth. Krapp.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de lapide tonitruali. Reſp. *Andr. Nic. Grönbergh.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de origine geocosmi ab aqua. Reſp. *Ieſper Lundborg.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de montibus igniuomis. Reſp. *Ioh. Gesdik.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de decrementis aquarum. Reſp. *Ioh. Lundborg.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de veſtigiis diluuii vniuerſalis. Reſp. *Dan. Ioh. Lagerlöf.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. de terra adamica. Reſp. *Peter Åhrborg.* Strogneſiae. 4.

Eiusd. Diſſ. de prima vinorum origine caſuali. Reſp. *Ol. Nordenh. Weſtman.* Holm. 4.

Supplementum ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1761 prodierunt.

Actorum Academiae Electoralis Moguntinae ſcientiarum vtilium, quae Erfordiae eſt. Tomus II. Erfordiae 8. c. f.

Der Arzt; eine mediciniſche Wochenſchrift. 6ter Theil. Hamburg, 8.

Analyſe des qualités et des vertus de la Fontaine minerale de Neuweger, a Nancy.

Raggionamento iſtorico intorno a nuovi Vulcani comparſi nella fine dell' anno ſcorſo 1760 nell territorio della Torre del Greco dal GAETANO DE BOTTIS. in Napoli. 4.

Obſervations pratiques ſur les maladies veneriennes par M. LE COSTE a Berlin, 8.

HENR. IO. NEP. CRANTZ, Quaeſt. phyſiol. de ſyſtemate irritabilitatis cordis. Reſp. *Franc. Petr. Leop. Gennzinger.* Viennae, 4.

Eiusd. Quaeſt. acad. quae ſint cauſae muſculorum motrices, actiones horum, actionum effectus: cordis, auricularum, arteriarum, diaphragmatis, muſculorum abdominalium, veſicae. Reſp. *Philip. Marherr.* ibid.. 4.

IOH. DAN. DENSO *phyſicaliſche Bibliothek. 2ten Bandes 2tes Stück. Butzo u. Wismar.* 8.

DAN. MICH. GROS, Diſſ. inaug. de acrimoniis. Vindobonae. 4.

Recettes pour les Maladies des Chevaux, recueilles de plus habiles Ecuyers et Marechaux ferrans d' Italie par M. HARPUR, Gentil-homme Anglois. a Lauſanne. 8.

HENR.

HENR. LUBENTIUS HOFFMANN, Diſſ. inaug. de cholera morbo. Vindob. 4.

LAURENT. HOFFMANN, Diſſ. inaug. ſiſtens formulas in materiam medicam et chirurgicam celeberrimi CRANTZ. ibid. 8.

Tal om luftens beſkaffenhet i A°bo, ſamt hura Politien, i Samra°d med Medicin, bör tördömma ſiukdomar af I. LECHE. A°bo. 8.

Binae ex non nullis rariores morborum hiſtoriae, quas ex aduerſariis ſuis depromſit iurisque publici, ſortem ſuam experturas, fecit ANTON. LIZZARI, Phil. et Med. D. Venetiis. 8.

Diſſertazione epiſtolare di ANTONIO LIZZARI, Med. ad un amico, relativa a due oſſervazioni in iſtampa recentemente pubblicate, in cui coll' autorita di alcune antiche e moderne dottrine e oſſervazioni, ſi accredita l' operazione ceruſica, detta paracenteſi, nell' idropiſie aſcitiche, ciſtiche, e del peritoneo. Si tocca ancora di paſſagio l'altra operazione ceruſica detta Nefrotomia. ibid. 8 mai.

De venis lymphaticis valuuloſis et de earum in primis origine Auctore ALEX. MONRO. Lauſannae. 8.

Las Obras de HIPPOCRATE mas ſelectas con las obſervaciones praticas de los antiguos y modernos por ANDR. PIQUER. Tom. II. en Madrid. 4.

Dictionaire univerſel de Commerce, d'Hiſtoire naturelle et des Arts et Metiers, contenant tout ce, qui concerne le Commerce, qui ſe fait dans les quatre parties du monde — par M. IACQUES SAVARY DES BRUSLONS: Nouvelle edition exacte-

actement revue, corrigée et conſiderablement augmentée. Tome III. a Copenhague fol.

EUS. SQUARIO, Diſſertazione intorno al rawivar i Sommerſi, in Venezia. 8.

I. L. STEINHART *Anweiſung, wie der Seidenbau auf die leichteſte Art zu treiben. Züllichau.* 8.

ANT. STOERKS *Abhandlung vom Schierling, aus dem Lateiniſchen überſetzt von* LUDW. IAC. HEYDEN. *Zwey Theile nebſt Zugabe. Wien.* 8.

Diſcorſo concernente una Storia di Vajuolo con alcune Rifleſſioni intorno all' inneſtarle, letto nell' Accademia delle Scienze di Siena o' ſia de' Fiſiocritici il di 25 Giugno 1761 dal Dott. PIETRO TABARRANI, Prof. P. di Notomia nell' Univerſita Seneſe, Soc. della medeſima Accadem. etc. in Siena. 4 mai.

CAROLI WITHOFF tractatus phyſicus et curioſus de caſtratis. Lauſannae. 8.

Con-

Contenta in hac parte.

1. Hiſtoire & Memoires de l' Academie Royale des Sciences de Paris an. 1757. pag. 3

2. DU HAMEL DU MONCEAU et TILLET Hiſtoire d' un Inſecte, qui devore les grains de l'Angoumois cet. 14

3. LAUTTER Hiſtoria medica biennalis morborum ruralium, qui a verno tempore anni 1759 vſque ad finem hyemis anni 1761 Laxemburgi et in vicinia dominati ſunt 20

4. TISSOT de variolis, apoplexia et hydrope 23

5. LOCHER Obſeruationes practicae circa luem veneream, epilepſiam et maniam 31

6. BAUME Elemens de Pharmacie theorique et practique 35

7. DE SAUVAGES Noſologia methodica 37

8. Kongl. Wetenskaps Academiens Handlingar för År 1761. Vol. XXII. 58

9. SPIELMANN Inſtitutiones chemiae. 82

10. MURRAY Diſſ. de fatis variolarum inſitionis in Suecia 94

11. SCHAEFFER Fungorum, qui in Bauaria et Palatinatu circa Ratisbonam naſcuntur Icones natiuis coloribus expreſſae 99

12. ROSSI Obſeruationes de nonnullis plantis, quae pro venenatis habentur 101

13. Obſervations ſur l' ecorce de feuilles & petales. 103

14. HAFFNER de hydrope articulorum. 107

15. *Abhandlungen der Naturforſchenden Geſellſchaft in Zürich. I Band.* 110

16. QUARIN. Tentamina de cicuta. 119

17. EHRHART Diſſ. de cicuta p. 122

18. LANGE Diſſ. ſiſtens dubia cicutae vexata 125

19. DE HAEN. Ratio medendi. Pars V et VI 127

20. GRONOVII Flora Virginica 142

21. Gli Atti dell' Accademia delle Scienze di Siena detta de Fiſiocritici dell' ann 1760 Tom. I 145

22. TROSCHEL *Nachricht von dem wahrhaften Böhmiſchen Bitterwaſſer* cet. 155

23. Noua phyſico-medica 158

24. Supplementum alterum ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1760 prodierunt 182

25. Supplementum ſcriptorum phyſico-medicorum, quae 1761 prodierunt 186



COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XII. PARS II.

LIPSIAE MDCCLXIV.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré,
Holmiae apud L. Saluium.

I.

Mémoires de mathématique et de phyſique, préſentés à l'Academie Royale des Sciences par divers Savans, et lûs dans les Aſſemblées, Tome quatrième. A Paris, de l'Imprimerie Royale, 1763. Alph. 3. pl. 17. tab aen. 20. in 4to.

h. e.

Commentariorum mathematicorum et phyſicorum Academiae regiae Sc. Pariſinae exhibitorum Collectio IV.

Hic Tomus continet quatuor et triginta commentationes, vna cum vndecim obſeruationibus.

1) Cl. MAZEAS *inueſtigatio cauſae phyſicae, ob quam color ruber adeo firmiter inhaeret telis, quae nobis e Malabaria et Coromandelia mittuntur.* Primum deſcribit Vir Cl. modum, quo Indi telas goſſypinas colore rubro pingunt, et oſtendit, ea, quibus ad illam tincturam vtuntur, etiam in Europa naſci cuncta.

Deinde rationem, cur ille color tam firmiter adhaereat, docet eſſe in natura aquae, in qua alumen ſol-
p. 12. vitur; et aquam calcis viuae, vel aquam, in qua borax ſoluta fuerit, a ſe optimo cum ſucceſſu pro aqua
p. 17. iſta, qua Indi vtuntur, adhibitam eſſe tradit. In appendice exponit modum, quo Indi tingunt lina xylina rubro colore, qui modus ab iſto telas pingendi modo, valde diſcrepat, et nullum alumen requirit.

2) *Methodus plurima problemata indeterminata ſolvendi,* auctore Cl. DE LA BOTTIERE.

p. 66. 3) *Modus, quo Sinenſes flores in ignibus feſtiuis ſic dictos parant, expoſitus ab* INCARVILLE. Flores illi ſunt minuta grana, in quae ferrum, quod candens frigidae immiſſum fuerat, deinceps per malleum in incude redigitur. Appendicem habet hic commentarius, in quo Auctor ad varias quaeſtiones de pyrotechnicis artificiis Sinenſium reſpondet.

4) *Problemata aliquot mechanica ſoluta a Cl.* NECKER.

5) *Obſeruationes meteorologicae per decem annos, inde ab anno* 1747 *vſque ad annum* 1756 *Toloſae ha-*
p. 110. *bitae a Cl.* MARCORELLE. Ad quantitatem pluuiae determinandam Auctor vas cylindricum praetulit priſmatico, quo alii ſolent vti; quia vas cylindricum pluuiam aequaliter excipit, in quacunque directione a vento impellatur. Anno 1748 d. 10 Iulii hora 4 matutina fuit nebula ſpiſſa, et in ſuperficie
p. 112. terrae multa puncta lucida apparuerunt. Quum huic nebulae ſcapus chartarum calefactus expoſitus eſſet, extima charta, quae tritu rugoſa erat reddita, poſt horae quadrantem etiam lucida euaſit, in ceteris autem chartis, quae planae erant, nihil lucis viſum

ſum eſt. Adſcribitur iſta lux actioni caloris in materiam quandam non humidam, in poris vel rugis corporum collectam, quae inter digitos in ſubtilem puluerem conteri potuit, cuius granula per microſcopium ſphaerica et multis foraminulis circularibus pertuſa apparuerunt. Virum narrat Auctor, qui a morbo quodam ſurditatem et difficilem loquelam habuerat, ingenti tonitru fragore hoc vitio liberatum eſſe. Rationem caloris, in aere radiis ſolis directis excitati, ad calorem in vmbra colligit rationi 5 ad 4 aequalem. Toloſae per hos decem annos natorum puerorum numerum ad numerum puellarum ſe habuiſſe, vti 22 ad 21, deprehendit; et in vniuerſa Europa plures pueros, quam puellas, naſci, pro certo habet.

p. 115.

p. 117.

p. 121.

6) *Deſcriptio monſtri, Verſaliae nati, anno* 1758, *facta a Chirurgo* MARRIGUES. Hic foetus monſtroſus poſt alium, bene conformatum, eodem partu in lucem editus eſt. Funiculus vmbilicalis monſtri ſex tantum pollices circiter longus fuit. In capite defuerunt oſſa naſi; meatus auditorius non fuit pertuſus; in oculis neque iris, neque choroidea, neque lens cryſtallina adfuit; cerebrum cerebellumque bene quidem conſtituta viſa ſunt, nerui tamen olfactus, optici, et motorii defuere. Brachiis caruit hoc monſtrum, et in thorace praeter coſtas, ſternum et diaphragma imperfectum, nihil repertum eſt, quam aquoſi humoris copia ingens, veſicae cuidam incluſa, et ſternum vſque ad os pubis pertigit, quocum adeo iunctum fuit. Viſcera abdominis nulla, et magna pars inteſtinorum extra abdomen in dextro latere fuit ſita. Extremitates inferiores admodum deformes, oſſibus, quibus conſtitutae fuerunt, neque proportionem, neque figuram, nec numerum conſuetum habentibus.

p. 123.

7) *Obſeruationes quaedam aſtronomicae et meteorologicae habitae Vpſaliae anno* 1739 *ab* ANDR. CELSIO.

p.141. 8) *De cultura venarum metallicarum in Alſatia et Comitatu Burgundiae Commentarius Cl.* DE GENSANNE. Auctor poſtquam eas harum venarum, quae ſibi ſatis notae ſunt, et modum eas hodie colendi, copioſe et eleganter deſcripſit, rationes, ob quas earum cultura nunc frigeat, et media, quibus ipſa excitanda ſit, ingenue exponit.

9) *De cometa annorum* 1682, 1607, 1531, *menſe Maio anni* 1759 *rurſus obſeruato a Cl.* IEAVRAT, *Geographo regio, et in ſchola regia militari Profeſſore mathematum.*

p.191. 10) *De morbo equorum, quem vulgus a morſu muris aranei eſſe opinatur, Auctore* LA FOSSE. Cauſſam huius morbi, qui ſe per tumorem in parte ſuperiori interna femoris manifeſtat, et cum febri ac difficili equi reſpiratione coniunctus eſt, Auctor internam eſſe reperit, et lymphae vitio attribuit; hinc ſcarificationes tumoris verum et vnicum remedium eius morbi eſſe, ratione atque experientia confirmat.

11) *De quadratis magicis commentatio Cl.* RALLIER DES OURMES, *Conſiliarii honorarii in curia praeſidiali Rhedonum.*

12) *Aurorae boreales die* 31 *Martii et ſequentibus Rotomagi obſeruatae a Cl.* BOUIN.

p.247. 13) *Diarium obſeruationum in diuerſis itineribus Veſuuii incendia ſpectandi cauſſa ſuſceptis, habitarum a Cl.* D'ARTHENAY. Quanquam hic mons ignivo-

vomus eiusque incendia iam a pluribus deſcripta ſunt: digniſſimae tamen lectu ſunt hae obſeruationes, menſe Decembri anni 1754, et ſequentis anni primis menſibus, quum Veſuuius vehementer arderet, habitae in ipſo monte ab obſeruatore induſtrio. Sub finem huius commentarii Auctor oſtendit, falſam eſſe eorum opinionem, qui focum, ſeu locum, in quo materiae inflammantur et candeſiunt, prope verticem montis igniuomi collocant, quippe qui potius in magna profunditate ſub radicibus montis quaerendus eſt. p.269.

14) *Obſeruatio eclipſis lunae die 27 Mart. 1755 habita Vliſſipponae a* IOANNE CHEVALIER.

15) *Cl.* DU TOUR *Diſquiſitio phaenomeni annulorum coloratorum inter laminas vitreas.* Auctor repetens experimenta Cl. MAZEAS, in T. II huius Collectionis deſcripta, intellexit, vt inter duas laminas vitreas ad ſenſum planas annuli colorati circa centrum nigrum naſcantur, non ſufficere earum ad ſe inuicem appreſſionem, quippe qua ſola non effici poſſit, vt earum ſuperficies ſe mutuo in aliquo puncto perfecte tangant; ſed requiri adfrictum alterius ſuperficiei ad alteram, quo expellantur particulae aeris, ſuperficiebus vitri arcte adhaerentes, earumque mutuum contactum in aliqua parte perfectum impedientes. Enarrat deinceps plurima experimenta, a ſe capta eo conſilio, vt ad cognitionem cauſae verae huius phaenomeni perueniret; et tandem fatetur, iis, quae haec experimenta docuerint, nondum ad liquidum demonſtrari illam cauſam poſſe, ſimul autem monet, coniecturas inde exiſtere, quae faueant Cl. MAZEAS ſententiae, qui ex ſuis obſeruationibus collegit, colores iſtorum annulorum non pendere ab laminae aereae, inter ſuperficies vitro- p.286. p.307.

rum contentae, inaequali in diuerſis a centro nigro diſtantiis profunditate, ſed a fluido quodam ſubtiliori, illud ſpatium occupante, et ex poris laminarum vitrearum affrictu earum ad ſe inuicem elicito. Quae ſententia, quum theoriae NEWTONI contraria eſſe videatur, rem omnem Auctor denuo examinare, et ſi quid certius inuenerit, in alio commentario id exponere pollicetur.

16) *Obſeruationes occultationum Hyadum a Luna d.* 25 *Septembris* 1755, *et d.* 7 *Martii* 1756 *habitae Rothomagi a Cl.* DULAGUE, *Hydrographiae Profeſſore.*

17) *Proiectio geometrica eclipſium Solis ſecundum praecepta Perſpectiuae vulgaria, Auctore Cl.* IEAURAT.

18) *De cauſis, cur ceruis decidant cornua, Obſeruationes Comitis de* WILLIAMSON, *Clauigeri Regis Poloniarum et Ducis Lotharingiae.* Huius rei cauſam Ill. Auctor, obſeruationibus ſuis fultus, adſcribit ſanguini, cuius maior copia ſtato veris tempore ad tu-
p.344. bera oſſium frontalium, quae baſes quaſi ſunt cornuum, affluit, et cuius, quum ab ima extremitate cornuum recipi non poſſit, impulſu cornua ex ſede ſua dimouentur. Quo facto in eo loco, vbi nouum cornu naſciturum eſt, formatur ex craſſiori forſitan ſanguinis parte pellicula ſeu cruſta, ſub qua maſſa carnoſa et conſpiſſati ſanguinis plena latet, noui cornu principium.

19) *Conſtructio vehiculi triroti, quod quis, in eo ſedens, brachiis impellere et regere poteſt.* Auctore Cl. BRODIER.

20) *Cl.* AYMEN *Commentarius ſecundus de vitiis ſegetum.* Poſtquam Vir clariſſimus in priori commentario (tertio Volumini huius Collectionis inſerto) expoſuerat de eo ſatorum morbo, quem Francogalli *la nielle* vocant, in duos alios illorum morbos diligenter inquiſiuit, et quae de cauſis eorum ac remediis cognouit, in hoc Commentario proponere conſtituit; id quod grati agnoſcere debent naturae et agriculturae ſtudioſi. Alter horum morborum eſt *ſterilitas*, alteri in Francica lingua in tritico quidem milioque *le charbon*, in reliquis ſegetibus *l' ergot* nomen eſt; nobis eum latino vocabulo *vredinem* appellare liceat, nam iſtum *la nielle*, quem alibi *) vredinem ſeu vricam diximus, malumus nunc *rubiginem* vocare. Oſtendit autem doctiſſimus Auctor, hunc p.360. morbum ab iſto multum diſcrepare. Iſte, vredo, grana pauca ſpicae reddit monſtroſa; hic, rubigo nempe, ante granorum formationem partes floris deſtruit, per totam ſpicam. Cauſam *vricae* docet eſſe p.363. foecundationis defectum; namque in grano vredine p.373. vitiato nunquam germen potuit reperire. Explicat p.369. etiam cauſam nigri illius pulueris, qui tam in granis vredine corruptis, quam in locuſtis rubigine affectarum ſpicarum reperitur. Scilicet per obſeruationes microſcopicas comperit 1, ſuccum nutritium plurimarum plantarum multa continere corpuſcula ſphaerica

*) In Vol. X. horum Comment. p. 390, vbi priorem Commentationem V. C. laudauimus. Equidem, quibus vocabulis latinis Francica illa reddere debeamus, non ſatis ſcimus. E duobus locis PLINII in c. 28 L. 18 apparet, ni fallimur, Latinis haec duo vocabula, *vrica*, et *rubigo*, ſynonyma fuiſſe. Attamen quum vitium *la nielle* dictum quodammodo ſimile ſit vitio metallorum, quod rubigo dicitur: ſatius nunc ducimus, vbi res diuerſas diuerſis nominibus inſignire cogimur, *la nielle* rubiginem, *le charbon* autem ſeu *l' ergot* vricam vel vredinem dicere.

rica, certae figurae et magnitudinis, motuque determinato praedita; 2, puluerem rubiginis et vredinis habere ſimilia corpuſcula; praeterea obſeruauit, ſuccum plantarum nigreſcere, vbi partis aquoſae euaporatione corpuſculis illis copia facta ſit, propius ad ſe mutuo accedendi, et in maiores globulos coaleſcendi: ex quibus omnibus Auctor colligit, puluerem iſtum nigrum eſſe partem ſucci nutritii ſegetum, poſtquam e vaſis ſuis ruptis effluxerit, conſpiſſati. *Sterilitas*, communis omnium ſatorum morbus, facile agnoſcitur eo, quod ſpicas inanes reddit. Cauſae
p.386. eius proximae ſunt partium quarundam genitalium in floribus defectus, vel mala conformatio, vel pulveris ſeminalis antherarum vitium. Cauſae remotae ſunt ſolum pinguius iuſto, et nimis fertile, gelu ſtigmata exſiccans et corrumpens, aliaeque forſan adhuc ignotae. Quod tandem ad remedia horum trium morborum attinet, contra ſterilitatem quidem reme-
p.382. dium ſe ignorare fatetur Auctor; ſed contra rubiginem hoc optimum eſſe expertus eſt, vt frumentum ſatis maturum coelo ſereno duabus poſt ſolis ortum horis elapſis metetur, et eodem adhuc die flagelletur, ſtatimque grana in aquam calce impraegnatam immittantur, et inde poſt 24 horas exemta, reiectis innatantibus probe ſiccentur, ac ſicco
p.384. in loco ſementi aſſeruentur. Haec eadem faciendo et praeterea agrum bene praeparando, ac pro ſoli cuiusque ratione rite ſtercorando, ociusque ſerendo, ab vredine etiam ſegeti praecaueri poſſe monet.
p.385. De frumento autem Indico eſt obſeruandum, paniculas in extremitate culmorum, quae flores maſculinos continent, plerasque reſecandas eſſe, antequam ſtamina explanentur, ſi enim ſerius reſecentur, flores feminei, ſucco neceſſario priuati, ſteriles euadunt, aut vrica infeſtantur.

21) *Re-*

21) *Relatio de itinere in inſulas Franciam et Bourbonniam Nauarchi* D'APRES DE MANNEVILLETTE.

22) Cl. MARCOREL *Obſeruationes ſuper hydrocephalo puellae Beglenſis.* Quum haec puella, quam parentes per multa oppida Galliae ſpectatum circumduxerant, Narbonam delata eſſet, ſuccubuit ibi morbo ſuo menſe Decembri 1756, vndeuiginti menſes nata. Auctor, qui interfuit ſectioni capitis defunctae, ob rumores de hoc infante ſparſos, multaque de eo a chirurgis et medicis ſcripta, pretium operae duxit, ea, quae in illa ſectione obſeruata ſunt, Academiae Sc. Regiae vna cum ipſo puellae cranio mittere. Caput huius puellae oblongatum, et in vtroque latere compreſſum, adeoque transparens fuit, dum ea viueret, vt perſpici maiorum vaſorum ſanguiferorum cerebri ramificationes poſſent, latere oppoſito per lumen candelae colluſtrato. Oſſa cranii ex parte membranacei mollia et flexibilia fuere, eisque dura mater arcte adhaeſit, inter quam et cerebrum aquae copia ad octo libras deprehenſa eſt. In cerebro pars medullaris a corticali ſenſu non potuit diſtingui. Etſi cerebrum, medulla oblongata, et ſpinalis, longe minora fuerunt, quam in ſtatu naturali; cerebellum tamen recte ſe habuit. Abſuit etiam glandula pituitaria et pinealis. p.459.

23) *De echinita ſingulari commentatio Fratrum de* LUC, *ciuium Geneuenſium.* Hic Echinites, qui in ſilice eſt, prope ripas Thameſis in Cantio, reperto, et nunc in muſeo fratrum de LUC cuſtoditur, hoc habet ſingulare, vt confirmet doctorum hominum coniecturam de lapidibus Iudaicis. Oſtendit enim aliquot hoc genus lapides infixos mammellis echinitae, vt nunc vix amplius dubium ſit, quin hi lapides ſint aculei ſeu radioli echini petrefacti. Reſtat tantum, p.468.

tum, noſtro quidem iudicio, vt oſtendatur, in vero etiam echino marino radiolos tam diuerſas habere figuras, quam in hoc petrefacto.

p.470. 24 et 26) *Analyſis aquae coloratae in fonte quodam Duaci reperiundae.* Haec aqua colore eo praedita eſt, quem habet potus *Caffé* dilutior. Primus
p.479. de ea ad Academiam retulit, D' ABOVILLE, Architectus militaris, qui ex tentaminibus in hac aqua a ſe inſtitutis collegit, colorem hunc eſſe a ſolutione bituminoſae materiae, ope alcali fixi facta. At Cl. BAUME, pharmacopola Pariſienſis, poſtquam Ill. Academia negotium, hanc aquam accuratius explo-
p.491. randi, illi mandauerat, deprehendit, eam eſſe ſaponaceam, oleum quippe cum alcali fixo continentem; duplex autem alcali fixum illi ineſſe, cum quale ex vegetabilibus paratur, tum quod baſis eſt ſalis marini; quin ipſum ſalem marinum in hac aqua reperiri, et parum terrae ac ferri, quod a magnete trahatur, et hic ſine praeſenti acido in ſolutione teneatur, vt ergo tincturae martiali STAHLII aequiparanda haec aqua videatur.

p.483. 25) *De vſu pulueris coriarii ad pullos ouis excludendos experimenta* Clar. BAUSSAU DU BIGNON. Quod REAUMURIUS praedixerat, puluerem, qui coriariis ad firmandas pelles ſeruierit, huic negotio aeque commode, minoribus tamen impenſis, quam fimum, adhiberi poſſe, ob calorem a fermentatione huius pulueris oriundum, id Auctor propriis experimentis optime confirmatum vidit. Expertus enim eſt, cumulum eiuſmodi pulueris non nimis humidi concipere calorem 32 graduum thermometri *Reaumuriani*, et eundem per menſem integrum ſeruare. Modum ergo, vtendi ad pullos excludendos illo puluere, eum quem commodiſſimum eſt expertus, hic candide exponit.

27)

27) *Additamenta ad Commentationem de quaeſtione quadam ex Optica, in praecedenti Volumine exhibitam, Auctore Cl.* DU TOUR. Pluribus experimentis hic confirmare, et ab obiectionibus vindicare ſatagit ſententiam ſuam, qua pictam in fundo altervtrius oculi imaginem ad ſenſum rei viſae facere negat. Quum ex ſuis experimentis, quamuis ingenioſe excogitatis, parum recte ratiocinari nobis videatur: nolumus eis exponendis longi eſſe, ſed ad ipſum hoc Volumen Lectores, ſi qui de hac re cognoſcere voluerint, amandamus. p. 499.

28) *Cl.* BOUIN *Obſeruationes cometae, menſibus Septembri et Octobri an.* 1757.

29) *Epiſtola Cl.* DE ROMAS *ad Cl.* NOLLET, *Draconem ſeu ceruum volantem*, quo ex aere ſub inſtantem tempeſtatem igniculi electrici eliciuntur, in Volumine II huius Collectionis Cl. DE ROMAS deſcripſerat. Iam docet, quid in hoc inſtrumento deinceps in melius mutauerit, vt nunc eius ope ex aere ſatis electrico laminas igneas ad ſeptem pedes longas nullo ſuo periculo poſſit elicere. Primum, multo longiorem funiculum, quam antea, nunc *Draconi* appendit. Deinde filum metallicum cum duobus filis cannabinis contorquendum curauit, et filum ſic compoſitum funiculo applicauit, et cum eodem coniunxit, ope filorum lineorum, interuallis binorum pedum, per funiculum acu traiectorum. Denique machinam ad inſtar parui currus conſtruxit, quam eminus per tria fila bombycina regere poteſt, et quae funiculum *Draconis* tanta vel celeritate, vel tarditate, quantam quis deſiderauerit, reuoluit. p. 514.

30) *De terra foliata tartari, Commentarius Cl.* CADET. Quum hoc remedium ob colorem ſuum p. 518.

ple-

plerumque fuſcum multis medicis et pharmacopolis non arrideat: fuerunt quidem, qui illi colorem iſtum demere, candidumque impertire docerent; ſed Auctoris iudicio, non ſatis cauerunt, ne illud hac ratione ſalutaribus etiam dotibus ſuis, ſaltim ex parte, priuaretur. Quare Auctor, qui induſtrius eſt Pharmacopola apud Pariſios, omnem diligentiam adhibuit, vt methodum inueniret, ſic parandi hoc medicamentum, vt candidum fieret ſine iactura materiae illius vnguinoſae, quae propriam eius virtutem conſtituit. Inuenit etiam deſideratam methodum, quam hic ex-
p. 520. ponit, nosque ſic reddemus. Salis tartari libra vna ſoluatur in ſufficienti aquae frigidae copia, et filtretur ſolutio per chartam bibulam. Deinde ei admiſceatur guttatim tantum aceti deſtillati, quantum ad perfectam ſaturationem requiritur, vel potius aliquantum ſupra. Porro lenta fiat euaporatio in patina terrea ſuper igni admodum leni, ſine ebullitione, donec pellicula appareat. Quo facto continuetur euaporatio in balneo maris. Sic materia paullatim ad olei conſiſtentiam et colorem fuſcum perueniet, et ſpumam emittet albidam, quae ablata et frigefacta cumulus lamellarum argenteo colore ſplendentium eſſe videbitur. Tunc cum ſpatha eburnea diligenter et continue agitanda et diuidenda eſt. Quo motu magis magisque inſpiſſabitur, ſpargens interea lenem aceti odorem, et tandem omnis conuertetur in ſpumam praedictae ſimilem, quae abibit in puluerem candidum foliatum, qui, poſita patina in fornacem calefactum, perfecte ſiccandus eſt.

31) *Cl.* IEAURAT *Commentatio de motu planetarum, et modo computandi eorum aequationes centri ad tempus datum.*

32) *Cl.* BOUIN *Obſeruatio Iouis Soli oppoſiti, Rotomagi d.* 2 *Maii anni* 1757 *habita.*

33) *Cl,* BORDENAVE, *Profeſſoris regii Chirurgiae, Deſcriptio foetus male conformati, cuius oſſa praeter naturam mollia erant.* In hoc foetu ſeptem- p. 545.
meſtri maſculini ſexus, cuius mater et ante et poſt partum bene valuit, caput erat capſula membranacea pellucida, in qua nihil erat oſſeum, niſi in baſi; apparebant tamen in quibusdam partibus oſſificationis initia. In trunco vertebrae bene quidem formatae, ſed ad modum molles erant; coſtae, iuſto craſſiores, in duabus tantum tertiis longitudinis ſuae partibus oſſibus ſimiles, ſimul autem poroſae erant; ſternum nullum oſſificationis veſtigium oſtendebat. In pelui omnes partes quodammodo oſſeae, valde tamen flexiles. Clauiculae, et iuſto craſſiores, omoplatae minima preſſione flecti poterant. Oſſa extremitatum erant vitioſe admodum contorta et inflexa, et non ſolum per ſe, mollia quippe, ſed et propterea adhuc magis flexibilia, quod vnumquodque eorum ex pluribus partibus, per materiam cartilagineam iunctis erat compoſitum. Oſſium ipſa ſubſtantia rubicunda et ſpongioſa apparebat, et, poſtquam deſiccata fuerat, moleculis terreis, male cohaerentibus, ſine vlla fibrarum apparentia, conſtare videbatur.

34) *Cl.* BOUIN *Obſeruatio eclipſis Lunae d.* 3 *Febr.* 1757 Rotomagi habita.

35) *De cauſa bullularum in vitro, commentatio Cl.* p. 553.
BOSC D'ANTIC. Principio huius commentationis Auctor monet, artem vitrariam ab iis, qui de ea ſcripſerunt KUNKELIO HENKELIO, cet. nondum ita eſſe enodatam, quin multa ſuperſint, et corrigenda, et

vlte-

vlteriori inquiſitione in apricum producenda. Inter alias huius defectus rationes commemorat etiam hanc, quod ſcriptores deſtituti fuerint occaſione, in magnis officinis vitrariis experimenta capiendi. Qua occaſione quum ſibi frui licuerit, multa annotaſſe profitetur, quibus exponendis in poſterum huius artis limites poſſit promouere. In praeſenti demonſtrat, bullulas in vitro oriri non ab aere (qui quomodo maſſam vitri in tanto calore ingredi, aut in ea remanere queat, non poteſt intelligi), ſed ab albido illo vapore, in quem fel vitri reſoluitur. Neque tamen negat, nonnunquam etiam bullulas vitri originem debere fruſtulis ligni, vel guttis aquae, vel huiusmodi aliis rebus, quae incenſae vaporem emittant, quum in maſſam candentem vitri incidant. Sed quum hoc rarius accidat, vulgarem cauſam huius vitii vitrorum felli vitri attribuit; et idcirco, vt vitrum bullis carens habeatur, hoc tanquam optimum remedium praeſcribit, vt vitrum a felle ſuo purgetur, id quod crebris exſtinctionibus vitri in frigida, admiſtione corporum volatilium, velut arſenici, antimonii, cet. continuatione ignis vehementiſſimi ſatis diuturna etc. fieri poteſt. Hac occaſione Auctor etiam monet, lacrimas ſic dictas vitri, quanquam plerumque in medio bullam continent, etiam absque tali bulla parari poſſe, eadem tamen phaenomena oſtendentes, quae in aliis bulla praeditis obſeruantur.

36) *Cl.* BOUIN *Obſeruatio eclipſis Lunae d.* 30 *Iulii an.* 1757 Rotomagi habita.

37) *Cl.* GARIPUY *Obſeruatio occultationis ſtellae Aldebaran a Luna, Toloſae d.* 25 *Febr.* 1757.

38) *Cl.*

38) Cl. BOSC D' ANTIC *Commentarius de cauſa cauernularum in metallis fuſis.* Quemadmodum p.572. cauernulae aeri vel ferro fuſo idem ſunt, quod bullae vitro, ita docet Auctor, iſtarum cauſam ſimilem eſſe cauſae harum, nimirum vaporem, in quem reſoluantur particulae inflammabiles, e materia formarum vel receptaculorum abraſae, vel alio quocunque caſu in aes proflatum, dum illud funditur, illabentes. Hinc rationem ita fundendi metalla, ne cauernoſa fiant, deducit; vſum tomenti, et ſtercoris equorum, ad formas parandas vehementer improbat; et varia monita ſubiicit, quae ad artem, tormenta bellica conficiendi, perficiendam pertinent.

39) *Commentatio de partibus ſenſilibus animalium, Auctore Cl.* GERARD DE VILLARS, *filio.* Auctor in pluribus variique generis canibus viuis experimenta inſtituit circa omnes fere ſolidas corporis partes, vt videret, quaenam ſenſu vel praeditae ſint vel careant, et an Cl. HALLERI, eiusque diſcipulorum, hac de re obſeruationes recte ſe habeant. p.580. Affirmat autem, omnia fere ſua experimenta *Hallerianis* contraria fuiſſe, ſeque ſuis didiciſſe, tendines, aponeuroſes, ligamenta, duram matrem, perioſteon, diaphragma, ventriculi, et veſicae internas ſuperficies, vterum, exquiſito ſenſu praedita eſſe; contra, cerebri ſubſtantiam, excepto corpore calloſo, ſenſu carere, et cutis ſenſibilitatem admodum incertam eſſe.

40) *Delineatio et obſeruatio Aurorae borealis, die* 16 *Septembris anni* 1757 *facta Hagae-comitis, a* PETRO GABRY I. V. D.

41) *Planetae diſtantiam a ſole, parallaxin, et diametrum horizontalem ad datum tempus directe determinandi modus. Auctore Cl.* IEAURAT.

42) *Cl.* OUTHIER *Obſeruationes meteorologicae anno* 1756 *Baiocae habitae.*

43) *Occultatio Martis poſt Lunam obſeruata d.* 14 *Maii an.* 1758 *Rotomagi a Cl.* BOUIN.

44) *Cl.* BONNET *Supplementa ad librum de vſu*
p.617. *foliorum in plantis.* 1) In plantis etiam aquaticis foliorum inferiorem ſuperficiem magis idoneam eſſe ſugendo humori, quam ſuperiorem, per experimentum in foliis nymphaeae captum veriſimile eſt. 2) Quum ex vno frumenti grano plures culmi naſcuntur; praeter eos, qui e nodis, ab Auctore in fig. 9 Tab. XXXI delineatis prodeunt, nonnunquam ex ipſo primitiuo ſcapo aliquot, pauci tamen et parui, proueniunt. 3) Frumenti in lolium degenerationem etiam a nimia ſoli irrigatione exſpectauit fruſtra; quae potius vberiorem fructificationem effecit. 4) Rationem, cur in loco obſcuro natae plantae macrae et pallidae ſint, in negata illis luce diurna latere, nouo experimento confirmauit. 5) Falli, qui coniiciant, tumorem, qui in cortice arboris circa ſurculum inſitum naſcitur, hunc habere vſum, vt ſuccos ſurculo conuenientes ex ſuccis arboris ſeparet, didiciſſe ſibi videtur Auctor, quum ſarmentum, cui palmes ex alia viti erat inſitus, atramentum bibere coegit; nam liquor coloratus in ſurculum ingreſſus eſt, ſine vlla ſui mutatione ſenſibili.

45) *Occultatio ſtellae ξ 2 Ceti poſt Lunam, obſeruata Rotomagi d.* 20 *Decembr.* 1757 *a Cl.* BOUIN.

46) *De cubatura et proprietatibus ſolidorum dictorum* corps gauches, *Auctore Cl.* MAUDUIT.

47) *De*

47) *De nouo genere cancrorum Commentarius Cl.* VOSMAER. Hoc genus cancrorum a ceteris in hoc differt, quod quatuor pedes ſub ventre, reliquos autem quatuor in dorſo habeat, ſic collocatos, vt his ad ingreſſum aeque ac illis vti poſſe videatur; quam ob rem Auctor hos cancros *Notogaſtropodes* appellat. Notat, iconem huiusmodi cancri repe- p.641.
riri apud ALDROVANDUM, ſed deſcriptionem eius ab hoc ſcriptore datam vitioſam eſſe; occurrere etiam in RUMPHII Muſeo cancrorum *dorſipedem* dictum, verum hoc illi nomen neutiquam conuenire. Is, quem hic deſcripſit Cl. VOSMAER, et depictum dedit, ex inſula Amboina allatus eſt.

48) *Problema dynamicum ſolutum a Cl.* CHABANON DE MAUGRIS.

II.

Hiſtoria medica trium morborum, qui anno 1760 frequentiſſime in noſocomio mihi occurrebant; cui adiecta eſt notabilium obſeruationum anatomicarum decas: Auctore IOAN. GEORG. HASENÖHRL, noſocom. Hiſpanic. Med. Ord. Vindobonae typis I. Th. Trattner. 1761. 8. plag. 7.

Cum ſcientia medica a saepius repetitis obſeruationibus demum firmitatem quandam acquiſiuerit, maioremque ab iisdem ſit acquiſitura: quilibet medicus ſymbolam ſuam huc conferre tenetur. Et id debitum nunc bis *) exſoluit Auctor, qui in hoc libello, licet non nouas, nec minus notas res, vt

O 2 ipſe

*) vid. Comment. hor. Vol. IX, p. 471. ſeqq.

ipſe fatetur, proponat, hiſtoriae trium propoſitorum morborum, quos frequenter admodum in noſocomio per indicatum annum vidit, tales immiſcuit obſeruationes, quae methodum medendi cognitam et receptam non poſſunt non confirmare.

p. 1. Praemiſſa conſtitutione aeris, per omnem anni 1760 decurſum obſeruati, hiſtoriam exhibet febris inflammatoriae, vniuerſalis dictae, cui, enarratis ſymptomatibus, methodum non ſolum generalem, ſed et ſpecialem, quoad praecipua ſymptomata adiungit; qua occaſione ſaepius repetitam venaeſectionem in his morbis commendat et contra Cl. TISSOT defendit. Omnis lis conſiſtit inter venaeſectionis frequentiam maiorem minoremque. Bis aut ter venam ſecaſſe in morbis inflammatoriis ſufficere Cl. TISSOT perhibuerat, e contrario vero idem nonnunquam octies requiri, obſeruationibus ſuis comprobare ſtudet Auctor.

p. 51. Alter morbus, in noſocomio frequens, erat ventriculi inflammatio, qua ei vel inprimis corripiebantur, qui diu in noſocomio retenti liberiore aeris afflatu frui nequiuerant, vt itaque Auctor aeri, exhalationibus aegrotorum copioſis atque putridis inquinato, reſpiratione atque deglutitione hauſto ceu cauſae hunc morbum tribuat. Hine eos inuadebat hic morbus, qui munditiei aegrotorum proſpiciebant. Emollientia infuſa praecipua in hoc morbo fuerunt pharmaca.

p. 64. Tertio loco febrim catarrhalem, et benignam et malignam, licet apte deſcribat Auctor, nihil tamen reperimus, quod vel nouitatis vel clarioris enodationis laudem commendationemque mereatur.

Sub finem libelli ſectionum anatomicarum iuncta eſt decuria, ex qua paucas leuiter tangamus.

p. 93. In homine, qui a binis diebus leui diarrhoea laborabat, tertio die ſubito atroci mania furere incipiebat

bat et quarto ſub vehementi hoc furore animam exſpirabat, omnia viſcera ſana erant, praeter vaſa cerebri, quae ſanguine infarcta turgebant; piae matri inſidebant paruae bullulae, aqua limpida plenae, plures in dextro pauciores in ſiniſtro latere; ventriculi cerebri humoris aquoſi maiorem continebant copiam, et medullam oblongatam circumfluebat ſerum ſanguinolentum.

Omnia inteſtina ita in glomerem coalita reperta fuerunt, vt a ſe inuicem diſcerni plane non potuerint in milite 34 annorum, cui gangraena, ex frigore orta, omnes digitos pedis dextri conſumſerat. Sub exfoliatione oſſium digitorum tuſſis ipſum ſimul inuaſerat, nullo modo coercenda, quae etiam, adiuncto dolore ventris et febricula continua, ipſum interfecerat. Glomeri huic inſidebant granula albicantia et alluebat ad ipſum ſerum ſanguinolentum; pancreas ſcirrhoſum, hepar paruum durum; dexter pulmo durus ſcirrhoſus, ſiniſter mollis friabilis erat. p. 103.

Praegreſſis longa triſtitia, oppreſſione pectoris et dolore cordis, pericardium libram dimidiam puris boni comprehendiſſe, in cadauere iuuenis 19 annorum reperum fuit. p. 105.

Vltima obſeruatio caſum aneuryſmatis ingentis arteriae aortae deſcendentis prope renales ramos, ab externa vi ante 4 annos orti, narrat.

III.

Quaeſtio Academica. Quae ſint cauſae muſculorum motrices, actiones horum, actionum effectus; cordis, auricularum, arteriarum, diaphragmatis, muſculorum abdominalium, veſicae? pro anno 1761 propoſita Praeſ. HENRICO IOAN. NEPOM. CRANTZIO; Conſiliario Inſtit. et Mat. Med. inalma vniuerſitate Vindobonenſi Profeſſore Regio cet. Reſp. *Philippo Marrherr* Vindobonenſi. Viennae 4. pl. 3½.

Quae ante aliquot annos ab Acad. Reg. Scient. Berolinenſi de cauſa motus muſcularis quaeſtio fuit mota, eam quidem Cl. LE CAT *) ita iamiam ſoluit, vt victor praemium ſuſtulerit. Sed cum in eius explicatione nihilominus multa partim deſiderentur, partim minus accurate rem tetegiſſe videantur, hanc, propter argumenti dignitatem ſubtilitatemque, nondum perfecte extricatam denuo propoſuit quaeſtionem Cel. CRANTZ. Ad eam nunc ita Noſter reſpondit, vt ex phaenomenis in actione muſculi obſeruandis, huius naturam, cauſamque motricem declarare adnitatur. Quae ergo horum notatu digna nobis viſa fuerunt, ſequentia ſunt. Muſculum in actione conſtitutum, palleſcere aliquantulum, Cl. LE CAT in diſſertatione adfirmat, cui vero ſententiae Noſter non ſubſcribit, potius cum HALLERO agentem muſculum rubeſcere contendit. Ad ipſum motum muſcularem quod attinet, eum nunc imminui, nunc prorſus ceſſare, nunc iterum intendi, pro varia ipſi inducta labe, diuerſa fibrarum ſectione producta

Au-

*) vid. Comment. noſtr. Vol. III. P. III. p. 403.

Auctor ſtatuit. Praecipue vero ad irritabilitatem quandam fibris carneis propriam reſpicit, quam quivis ſtimulus, immo leuis tantum aquae tepor prouocare poſſet, poſt mortem adhuc eam in nonnullis partibus, inprimis diaphragmate, inteſtinis, et corde ſuperſtitem eſſe, facillimo vero negotio adplicato opio ſtatim compeſci credit. Muſculus, qui ligato neruo, omni ſuo motu protinus deſtituitur, hanc tamen irritabilitatem ſtimulo externe adplicato iterum ſecundum Noſtrum oſtendit. Si muſculi arteria filo ligatur, motus non ſubito intercipitur, ſenſim tantum paullatimque elangueſcit, eodem languore redit, quando vinculum relaxatur. Alium quidem euentum Cl. LE CAT in cane vidit, cuius crura poſteriora obriguerunt. Sed cum ille, praeter aortam, venam cauam ſimul ligauerit, omnino minus recte eum hunc effectum ſoli arteriae ligatae adſcripſiſſe Auctor putat. Varias porro auctorum ſententias de cauſa motus muſcularis recenſet, easque diuerſis argumentis refutare tendit. Sic neque animam cum STAHLIO, neque ſanguinem arterioſum vt cauſam motricem aſſumit. Qui fluido nerueo electricam quandam virtutem, aut ſecundum hydraulicas leges, preſſionem attribuunt, horum opiniones pariter inſufficientes iudicat. Praecipue vero illam LE CAT ſententiam, qua ſtatuit, liquorem per neruos ad muſculum deducendum compoſitum eſſe, ex lympha viſcida, viſibili, et ſpiritu animali, qui ſpeciem rei cuiuſdam amphibiae prae ſe ferat, maxime perſtringit. Nullam ergo cauſam mechanicam in actione muſculi Cl. Auctor agnoſcit, ſed ſolam quandam irritabilitatem aſſumit, a qua muſculorum actio dependeat. Hanc vero irritabilitatem ita declarat, vt non ab imperio nervorum dirigatur, neque ab horum cum encephalo conſenſu, quae porro ſua ſponte non moueri, ſed ſtimulo quodam irritante tantum prouocari, ſemel

euanida, nunquam iterum produci poſſet. Concludit ergo, duplicem cauſam muſculorum motricem eſſe, vnam internam, irritabilitatem ſcilicet, alteram vero, et hanc proliciens ſubtile fluidum nerueum. Neutram vero harum ſeorſim ad producendos motus ſufficere. Modum vero, quo liquidum nerueum irritabilitatem excitet, ita declarat, vt illud velociori motu per fibrillam nerueam, quam cauam cum BOERHAAVIO aliisque iudicat, moueatur, et ſic ipſa quantitate quoque aucta maiorem in cauo fibrae ſtimulum producat; nunc vero muſculum vt congeriem minimarum fibrillularum aſſumit, ergo in eo ſic talis ſtimulus, ſiue contractio cietur. Quod ſi vero muſculus tranquille ſe habet, fluidum nerueum ſola ſanguinis circulatione per eum mouetur, eumque leniſſime irritat, vt tantum in perpetuo niſu conſeruetur. Ex his cuncta phaenomena, quae in actione muſculi ſe manifeſtant, declarat. Rugas vndulatas, in contractione muſculi, vt ſolum effectum irritabilitatis, aſſumit; indurationem carnis ab eo deducit, quoniam conuolutae fibrae maius occupent ſpatium, quam ſi in rectum ſint extenſae; cur vero muſculus in contractione erubeſcat, eam ob cauſam fieri credit, quia vaſa ſanguifera in ipſa actione non ita comprimantur, vt omnis eorum expellatur ſanguis. Laſſitudinem ſiue ſpontaneam, ſiue poſt validos motus ortam, partim maiori fluidi neruei diſſipationi, partim leuiori cuidam compreſſioni encephali, partim quoque immeabilitati humorum, indeque imminutae liquidi neruei ſecretioni adſcribit. Ad peculiares quaſdam corporis partes, quae motu ſuo ſempiterno vitam conſeruant, progreditur. Et quidem de auriculis cordis monet, eas triplici ſtimulo, fluido nempe nerueo, ſanguine arterioſo velociori impetu in harum ſubſtantiam irruente, tandemque venoſo ſanguine alternis vicibus in caua cordis, et auricularum

pro-

propulſo, moueri. Tres hae cauſae ergo irritabilitatem in auriculis viuaciſſimam ſecundum Cl. Auctorem excitant. Praeter has vero cauſas, ipſum adhuc animi imperium ſuum contribuere, Cl. Auctor confitetur, adeoque ſententiam STAHLII aſſumit, cordis motum ab animo dependere. Arteriis multam quidem elaſticam vim, parum vero irritabilitatis adſcribit, earumque pulſationem variis medicamentis, vel alimentis, vel acri quodam ſtimulo, auctam, ad cordis potius, quam arteriarum irritationem refert. Praeterea vero et in his animi imperium eſſe, ſubitaneo mentis adfectu, pudore, metu, iracundia et inde orto in facie rubore, vel pallore demonſtrat. Idem animi imperium, in alterno quoque diaphragmatis motu locum habere, nullus dubitat. De veſica vrinaria tandem monet, eam praeter irritabilitatem, peculiarem quoque ab vrina adipiſci ſtimulum irritantem, qui niſi parietes veſicae muco eſſent obſeſſi, perpetuam mingendi cupiditatem produceret. Veſicam vrina diſtentam reſpiratione non aeque indigere, quam ſi parum lotii continet, quod non niſi inſpirando exonerari poſſet, Noſter adfirmat. Depoſitionem vrinae in foetu, quamuis reſpiratio deficiat, tamen poſſibilem iudicat, cum anima, quando ex copia vrinae moleſtiam ſentiret, ad eam propellendam, foetum ipſo ouo adhuc incluſum alliceret.

IV.

Chymiſche Nebenſtunden, abgefaſst von JOHANN GEORG MODEL, *Ruſſiſch Kaiſerlichen Collegienaſſeſſor, Mitgliede der Akademie der Wiſſenſchaften, und Apotheker bey der Oberapotheke zu St. Petersburg. St. Petersburg, gedruckt bey der Kaiſerl. Akademie der Wiſſenſchaften.* 1762. 8. pl. 22.

h. e.

Horae ſubſeciuae chemicae Auctore Cl. MODEL. etc.

Ex octo commentationibus argumenti diuerſi hic liber componitur, ex quibus praecipua adnotare liceat.

p. 1. 1) *Breuis ac facilis oleum animale* DIPPELII *praeparandi methodus.* Olei cornu cerui libras duas indidit Cl. Auctor in retortam mundam, arenae balneo commiſſam, hac cautione, vt collum ab omni adhaerente oleo per quam ſollicite abſtergeret. Recipiente agglutinato altero die deſtillationem inſtituit leni igne, quem per aliquot horas ſuſtinuit, ita, vt retortae collum rore quaſi obduceretur; tum vero in retortae collo aeque ac recipiente ſal volatilis ſiccus in conſpectum venit, inſimulque aquoſus ſale ditatus liquor, ſeu vrinoſus ſpiritus, cum olei pauxillo remixtus, prodiit. Liquoris huius duabus circiter vnciis collectis, vas recipiens mutauit eodemque ignis gradu pellucidius quidem, coloratum tamen, oleum vna cum pauxillo ſpiritus vrinoſi ſaliſque vo-

lati-

latilis tranſtillauit. Octo huius olei vnciis collectis, recipiens denuo mutauit et igne aucto vncias ſex fuſci magis, foetidi fereque nigricantis olei obtinuit. Igne ſenſim exſtincto vnciae ſex craſſae, nigrae materiae, aſphalto ſimilis, relictae fuerunt. Iam vero altera vice oleum iſtud pellucidum, nouae retortae commiſſum, deſtillationi ſubiecit ſicque leni igne aliquot guttae olei flauicantis, pauloque poſt pellucidi prodierunt. Recipiente mutato et deſtillatione continuata vnciae quinque olei pellucidi, ſaporis aromatici nec ingrati odoris tranſtillarunt. Recipiente iterum mutato oleum primo rubellum, tandem nigrum prodiit, quod cum oleo nigro, prima deſtillatione prolecto, commixtum et deſtillationi ſubiectum nullam depurationem admiſit et nigricans remanſit. Pellucidum iſtud oleum praeter neceſſitatem ſemel adhuc rectificationi Noſter commiſit et, vt antea, pellucidum obtinuit.

2) *Diſquiſitio aquae mineralis Ochtienſis, vna cum reſponſione ad obiectiones ei oppoſitas.* Experimenta, quae Noſter cum hac aqua inſtituit, oſtendunt, ineſſe ei purum ſalem medium et quidem ſpeciem ſalis communis, tum quoque ſubtilem ochram martialem, quae reſpectu ſalis dimidiam partem conſtituit. p. 15.

3) *Examen fontis Olonizenſis.* Aqua huius fontis, vt experimenta docent, ochram martialem et ſalem medium, ſali mirabili GLAUBERI ſimilem, ochra inquinatum continent. Caeterum fontem hunc principio ſpirituoſo ſeu aethereo deſtitutum eſſe, Noſter perhibet. p. 87.

4) *Deſcriptio thermarum St. Petri* ſeu *Bragunenſium.* Dictae thermae, quae in regno Aſtrachan reperiuntur, acido vitriolico, ochra martiali, quae p. 105.

acido

acido ſuperficiarie adhaerens ſpeciem vitrioli ſiſtit, porro ſale medio, ſali mirabili analogo, et terra argillacea, forſan quoque cretacea inſtructae ſunt. Quinque vel ſex pedum diſtantia ab hiſce thermis alius ſcaturit fons, qui in omnibus fere cum thermis conuenit, praeter id, quod frigidus ſit et pauciorem terram martialem et lutoſam contineat.

p.137. 5) *Materiae cuiusdam ceraceae examen.* Materies haec, quae ad foſſilia pertinere, ex China adferri et a Chinenſibus ad vernicem adhiberi dicitur, nigra eſt et vnguinoſa, neque tamen adeo glutinoſa et materiae, ad inungendos calceos aptae, germanicae *Schuwachs* dictae, ſimilis. Odor eius ingratus eſt, ſique recens naphtham aliquantiſper redolet, leni igne deliqueſcit, pura manet et nigredinem retinet. In cochleare ferreo ad ebullitionem vſque calefacta, vaporem coeruleum ſpargit, qui a candelae flamma admota accenditur, hacque remota ſponte ſtatim exſtinguitur. Decem vnciae memoratae materiae, retortae commiſſae et ex balneo arenae deſtillatae, vix drachmas duas phlegmatis, fere inſipidi, deinde vnciam vnam cum dimidia puri, lutei, in frigore, in quo aqua gelu conſtringitur, non coagelaſcentis olei, petroleum redolentis, porro quinque vncias cum dimidia olei pulchre lutei, ad gradum 130 thermometri Deliliani congelaſcentis, petroleum vix redolentis, tandem maſſae, in retorta relictae, nigrae, fragilis, plane non cohaerentis, friabilis et inodorae vncias duas totidemque drachmas et aliquot grana exhibet, quae, in oleo lini cocto ſoluta, nigram vernicem praebet. Oleum dictae materiae deſtillatum in ſpiritu vini rectificatiſſimo non ſoluitur, inque medio eiusdem primo haerens, in eodem calefacto fundum petit. Materia dicta ceracea, nondum mutata, contorto goſſy-

goſſypio inducta et accenſa valde flagrat fumumque coeruleum ſpargit, maleque olet. Licet autem dubium ſit, ad quaenam corpora dicta materies referri poſſit, forſan tamen minerali regno eandem adnumerandam et cum oleo, quod ex turfa Batauorum Noſter obtinuit, comparandam eſſe, colligit.

6) *Diſquiſitio ſalis cuiusdam Ochotzkienſis.* Dictum ſalem alcali minerale fuiſſe, experimenta, a Cl. Auctore inſtituta, oſtendunt. Cum omnibus enim acidis efferbuit, cumque acido vitrioli ſalem mirabilem GLAUBERI, et cum acido nitri nitrum cubicum conſtituit. Alia experimenta, quae idem notant, non tangimus. p. 151.

7) Commentatio *de tinctura antimonii nigra vera ſeu minerali amara.* Antimonii optimi vnciis quatuor, in crucibulo mundo, operculo tecto, fuſis ſenſim vncia vna cum dimidia nitri depurati, ſicci et in puluerem redacti additur, crucibulum, quauis vice, dum nitrum ingeritur, confeſtim obtegitur, nitroque omni ingeſto cuncta per decem horae minuta in fuſione detinentur, poſtea vero in purum et calefactum mortarium, ex orichalco confectum, effunduntur ſicque maſſa ex fuſco rubra, vitrea obtinetur, quae, dum refrigeſcit, cum fragore diſrumpitur. Maſſae adhuc calenti, ſubtiliſſime contuſae, quatuor vnciae et paulo plus liquoris nitri fixi affunduntur, cuncta bene commiſcentur et digeruntur. Materiae craſſeſcenti per interualla alcohol affunditur, tuncque bene attenditur, num alcohol tingatur, quo viſo, maſſae calidae, in cucurbitam immiſſae, alcoholis octo vel decem vnciae adfunduntur et cuncta ſaepe agitantur, ſicque dimidia parte horae praeterlapſa dicta tinctura obtinetur. Tincturam hanc p. 169.

apha-

a pharmacopoeo, nomine DIETRICH, in Commercio Litter. Norimb. 1731 p. 132 Spec. 17 commemoratam, neque vero eiusdem praeparationem indicatam, eandemque hactenus pro arcano habitam ab eodem ad febrem hecticam commendari, notamus.

p. 186. His additamenta quaedam Noſter ſubnectit et primo diſquiſitionem pulueris laxantis D. AILHAUD communicat. Experimenta Cl. Auctor ope aquae calidae et ſpiritus vini inſtituit et ex his colligit, dictum puluerem pro extracto ex ſcammoneo, cum radice liquiritia et gummi arabico commixto, habendum eſſe. Poſthac de ſublimatione camphorae agit, quam, ex Perſia allatam et adhuc crudam, in vitris planis, catino arena repleto impoſitis, leni igne absque additamento ſublimari, dicit. Tandem boracis depurationem deſcribit, quam ſequenti modo inſtituit. Tribus libris ſubſtantiae, Tincal dictae, in mortario marmoreo tritae, in vaſe porcellano aquam ebullientem affudit; ſolutionem ſaturatam per filtrum calide traiecit, inque vaſe aperto leni igne euaporauit, ſicque cryſtallos puras et albas, ſed paruas, obtinuit. Has denuo eadem ratione ſolutas iterum euaporationi commiſit et leni igne aqua euocata magnas et pellucidas cryſtallos obtinuit. Itaque magnas etiam cryſtallos ſola aqua, ſi euaporatio lente inſtituatur, absque additamento obtineri, colligit, neque tamen depurationem ope additamentorum perfici poſſe, negat.

p. 199. Tandem *de ſale quodam Perſico, vtpote vero alcali minerali* *), tractatum adnectit Cl. Auctor, in quo

*) Licet ſummam huius de ſale perſico commentationis cum Lectoribus noſtris communicauerimus, vid. Comment.

quo boracis inſimul partes conſtitutiuae examinantur. Dictus ſal, qui Noſtro ſub nomine boracis natiuae traditus fuit, in forma placentarum ex Perſia allatus, colorem ex albo-gryſeum, interdum rubicundum, interdum perfecte album, ſaporem vero lixiuioſum ſeu alcalicum habuit, neque vero aquam ex aere attraxit, ſed ſiccus manſit. Cum ſale tartari commixtus nullum ſalis volatilis ſignum dedit, ſali ammoniaco autem iuncto odor vrinoſus prodiit, ei ſimilis, qui ex commixto ſale ammoniaco et calce viua alias obſeruatur. Cum carbonum puluere fuſus materiem exhibuit, quae aqua ſoluta et aceto praecipitata odorem ouorum putridorum ex ſe ſparſit, ideoque ſulphuris praeſentiam manifeſtauit. Cum oleo vitrioli retortae commiſſus et deſtillationi ſubiectus ſalem ſedatiuum per ſublimationem dedit. Aqua fluuiatili ſolutus colorem pellucide luteum exhibuit et terram, tactu pinguem, gryſeam, arena et ſcobe lignea commixtam reliquit. Acida mineralia, ſolutioni huic affuſa, efferueſcentiam fortem cum ea excitarunt, tuncque color luteus, affuſo oleo vitrioli, euanuit, affuſo autem acido ſalis color pellucidior, ſed nitri acido admixto obſcurior euaſit, quinque vero horis praeterlapſis ſolutiones turbidae tandem coeruleſcentes apparuerunt. Cum ſoluto vitriolo, alumine, ſaccharo ſaturni et ſale ammoniaco fixo commixtus omnes partes metallicas et terreas ex his deiecit. Cum ſalibus alcalinis fixis et volatilibus nullam mutationem ſubiit. Infuſum gallarum et tinctura florum balauſtiorum aliaque liquida adſtringentia cum dicto ſale commixta colorem pellucidiorem

ment. Noſtr. Vol. I. P. II. p. 265. operae pretium tamen duximus, nonnulla iterum decerpere, in primis cum Cl. Auctor tractatum hunc emendatum nunc ediderit.

rem obtinuerunt, violarum vero tincturae color in viridem mutatus fuit. Lixiuium huius ſalis cum aqua calcis viuae lacteum colorem oſtendit. Idem ſal, aqua ſolutus, euaporatus et cryſtalliſatus cryſtallos plerumque irregulares, rhomboidales dedit, quae ſub initium pellucidae, poſtea ſenſim obſcurae, demum pellicula alba obductae fuerunt. Cum oleo vitrioli ex retorta deſtillatus primo phlegma inſipidum poſthac autem ſpiritum ſalis exhibuit. Ad ferruminationem metallorum adhibitus nequaquam boraci ſed ſali ammoniaco ſimilis fuit. Memoratum itaque ſalem perſicum alcali minerale eſſe, inque eodem ſalem communem integrum contineri, ideoque ſpiritum ſalis, ex perſico ſale prolectum, pro parte eſſentiali eiusdem haberi non poſſe, atque terram illam coloratam, in dicto ſale contentam, cum oleo vitrioli et acido ſalis coniunctam, ſalem ſedatiuum conſtituere, Noſter ex adductis experimentis colligit. Cum vero et inter dictum ſalem et ſodam et boracem magna ſimilitudo eſſe Noſtro videatur, tam cum ſoda, quam cum borace experimenta inſtituit, ex quibus eluceſcit, ſodam eſſe materiam, quae tum ex alcali vegetabili tum ex alcali minerali conſtat, quibuscum ſal communis et terra quaedam colorata commixta ſunt. Quod ad boracem attinet, ea ex duplici materie conſtat, quarum altera alcali minerale eſt, altera autem quae cum oleo vitrioli ſalem iſtum ſedatiuum conſtituit, a Noſtro itidem alcali, ſed, ad differentiam, alcali refractarium vocatur. Signa huius alcali refrectarii haec ſunt; 1) quod cum acido non efferueſcat, cum eodem tamen ſalem medium conſtituat; 2) quod cum alcali minerali commixtum in eo omnem cum acidis oboriundam efferueſcentiam impediat; 3) quod, ſi parua eiusdem portio alcali minerali admiſceatur, hoc in aqua multo difficilius ſoluatur. Alcali hoc refractarium Noſtro nihil aliud eſt, quam terra illa

colo-

colorata, quae in ſale dicto perſico et ſoda, immo quoque in oleo empyreumatico animalium et vegetabilium deprehenditur, quaeque pauca quantitate acidi ſolubilis redditur. Hancce terram in ſale perſico adhuc vt terram et alcali tantum ſolutam contineri, in ſoda vero eandem ſaepe quaſi mortuam et ab alcali nondum ſolubilem deprehendi Noſter aſſerit. Si quis itaque perſicum illum ſalem in boracem mutare cupiat, eum eo allaborare oportere, Noſter praecipit, vt terra illa, in dicto ſale contenta, in alcali mutetur, ideoque tale acidum admiſceatur, quo mediante ab alcali ſeparari et per ſe ſolubilis reddi poſſit, ad quam rem ignem multum omnino facere, Noſter autumat. Sodam vero nunquam in boracem mutari poſſe, niſi vegetabile alcali ſeparatum fuerit, ſique hoc factum, terram illam coloratam, ſi coniunctionem cum alcali minerali recuſet, eo adaptandam eſſe, Cl. Auctor aſſerit, hanc vero rem praegreſſam herbae Kali putrefactionem ante eiusdem incinerationem, poſthac autem calcinationem ſodae et aeris liberioris actionem adiuuare, putat. Atque, qui cum alcali minerali alcali iſtud refractarium commiſcere potuerit, eum ſane boracem producturum eſſe, Noſter arbitratur.

V.

NICOLAI IOSEPHI IACQUIN Selectarum ſtirpium Americanarum hiſtoria, in qua ad Linnaeanum ſyſtema determinatae deſcriptaeque ſiſtuntur plantae illae, quas in inſulis Martinica, Iamaica, Domingo aliisque et in vicinae continentis parte obſeruauit rariores, adiectis iconibus, in ſolo natali delineatis. Vindobonae ex offic. Krauſiana 1763 fol. p. 284 tab. aen. 183 explicatio tabular. pag. 8.

Auguſtiſſimi Imperatoris FRANCISCI I magnificentia factum eſſe, vt Cl. IACQUINUS cum tribus ſociis inſulas Caribaeas vicinamque continentis Americae plagam adiret, et quicquid ibi in tribus naturae regnis occurreret attentione dignum, colligeret, non modo ſatis notum eſſe omnibus exiſtimamus, ſed et mandata haec ſummi rei litterariae Protectoris impleuiſſe, naturalia corpora in his terris perſcrutaſſe, et inſignem rerum theſaurum ſecum attuliſſe IACQUINUM, compertum habemus. Teſtatur idem inſtructiſſimus hortus Vindobonenſis, qui nunc alit magnam vim ſtirpium, quas ex America ſecum reportauit Cl. Auctor, teſtatur idem plantarum, quas in Caribaeis Inſulis nouas detexit, aut cognitas emendauit, enumeratio an. 1760 iamiam edita *), et omnium maxime ſtirpium, in hoc quaſi prodromo modo nominatarum, amplior explicatio, deſcriptio, atque delineatio, in praeſenti, omnibus modis abſoluto, opere exhibita. Et licet ideam huius operis alio tempore dederimus, eius tamen praeſtantia exigit, vt nunc copioſius de eodem agamus, quo

*) Diximus de eadem in Coment. hor. Vol. IX. P. III. p. 424.

quo eo clarius adpareat, quicquid Cl. Auctor praeſtiterit, et quibus cimeliis rem herbariam locupletauerit. Quas itaque per quadriennium in America torrida obſeruauit ſtirpes, non omnes quidem, plurimae tamen hic enumerantur delineanturque; etenim ipſe fatetur Cl. Auctor in praefatione, ſe non paucas examinaſſe, pluresque conſpexiſſe, quas adumbrare vetuit vel praeceps occaſio vel aliarum occupationum multitudo, gramina etiam et cryptogamas de induſtria neglexiſſe; praeterea et illas, quas PLUMERIUS atque SLOANEUS dudum notiores reddiderunt huius terrae plantas, nunc denuo proponere, ſuperfluum viſum fuit, atque harum modo eas, minus recte ampleue deſcriptas, prae ceteris illuſtrandas ſuſcepit, atque his alias nondum obſeruatas plurimas adiecit Auctor. In ordinandis his ſtirpibus ſexuale ſyſtema elegit, non quod illud omni parte abſolutum haberet, potius expertus intellexit, naturae non raro illud vim inferre, multisque vitiis laborare, ſed quia maior et diuturnior in hoc perficiendo opera fuit poſita, a pluribus et hodie generalius receptum. Omnia enim ſyſtemata vitiis laborant, et quodcunque nihil aliud eſſe iudicat Cl. Auctor, quam merum ſtirpium, pro lubitu definitarum, vocabularium methodicum. Et cum genera quoque non naturalia, ſed artefacta, ſint omnia, neceſſe eſſe exiſtimat, vt characteres omnes ac ſinguli eruantur, quae a communi charactere deflectunt, ſedulo notentur, vt luſus naturae pro characteris parte haud aſſumatur; hinc in deſcriptionibus ſuis, ad viuam ſemper ſtirpem concinnatis, momenta vel minima adduxit, antheras, experſo nedum puluere turgentes, examinauit, baccarum in loculamenta diuiſionem legi fixae ſubiecit, vt tunc diuiſae dicantur, quando easdem conſpicuum diſſepimentum, a ſeminibus pulpaque diuerſum, ſeparat in plures partes, quodſi abſit, vni-

p. 2.

 cum

cum continere loculamentum, cenſeantur, ac in variantes denique partes omni diligentia inquiſiuit. In imponendis, ſtirpi incognitae nouis nominibus, iure ſuo frui inuentor recte voluit; et vel a graeca lingua nomina deriuauit, vel a viris, qui, quod bene de ſcientia botanica meriti eſſent, digni videbantur, eadem deduxit; etenim ad antiqua incognitarum plantarum nomina confugere noluit, putauitque, ſicuti non temere illa ſtirpibus graecis, aut in citatis apud veteres regionibus creſcentibus, ita nunquam americanis ſimilibus exoticis imponi aut attribui oportere. In recenſendis plantarum viribus medicis parcior fuit Cl. Auctor, idque ideo, quia barbari, ſi quas norint efficaciores, ceu ſolas ſibi relictas a nouis hoſpitibus ſuis opes, alto perpetuoque abſcondere ſolent ſilentio, nullo vel pretio vel promiſſis emendare, aliarum autem, quae ſaepius in vſum vocantur, vires explorare, et veras a falſis dubiisque diſtinguere, peregrinator vix praeſtare valet. In plantis, ab aliis iam memoratis, auctorum vbique mentionem fecit, attamen in iisdem citandis et delectum inſtituit, et ne ſimilitudine deciperetur, ſedulo cauit. Nomina plantarum vernacula, cum crebro in pagis villisque differant, generaliora modo notauit, omiſit caetera. Icones autem, quibus hoc opus illuſtratur, ab ipſo Auctore, in America ad viuas plantas, magnitudine naturali, fuerunt delineatae, atque in iisdem omnem adhibuit curam, vt eſſent exactiſſimae, hinc etiam ſculptori ſumma adſiduitate adfuit, qua etiam impetrauit, vt ad amuſſim reſpondeant ſculptae delineatis.

Continentur deſcribunturque et veris ſpecificis aeque ac triuialibus nominibus inſigniuntur in hoc egregio opere, ſi calculum recte fecimus, 429 ſpecies, quarum circiter 180 a PLUMERIO,

SLOA-

SLOANE, LOEFLINGIO, BROCONIOque et LINNAEO nominatae et quandoque deſcriptae, reliquae omnes nouae, primum hic propoſitae fuerunt, harum aliae ad cognita genera pertinent, aliae autem noua conſtituunt. Et ad haec praecipue nunc reſpiciamus, et nomina et characteres vel emendatorum, vel nouiter conſtitutorum generum excitemus, quo maxima Cl. IACQUINI inuentorum pars pateat atque cognoſcatur, idque vtile ac neceſſarium eſſe exiſtimamus, cum VAN LINNE in noua, nunc euulgata generum editione nonnulla, a Cl. Auctore condita omiſerit, nonnulla ad alia amandauerit. Vtique autem modum ſeruemus, et ne nimis prolixi ſimus, omnia in compendio exponamus.

Iuſticiam et *Diantheram* LINN. coniunxit, cum p. 3.
et habitu et charactere nimium quantum congruant, monuitque numeroſas ſpecies, quarum nouem hic recenſuit, in binos commode ordines diſpeſci poſſe, quorum alter *Iuſticias monantheras*, ſiue vnica anthera in quolibet filamento gaudentes, alter *diantheras* contineat. In *Iuſticia nitida* praeter fertilia p. 5.
duo, alia duo filamenta ſterilia, et in *martinicenſi* corollam inuerſam labium ſcil. ſuperius ſitu inferius, et inferius leuiſſime tridentatum ſitu ſuperius, ac in *pulcherrima* quatuor filamenta, totidem antheris ornata, obſeruauit. *Iridis martinicenſis* petala ſeu la- p. 7.
ciniae omnes impreſſam foueam glanduloſam nigram, more Ranunculorum, oſtendunt. In *Hip-* p. 9.
pocratea ſcandente calicem 5 partitum, minimum, deciduum, coloratum, petala 5, inferne plana, ſuperne concaua, apice ſubbilocularia, ſtamina 3, receptaculo germinis ſuper impoſita, ouarium a corolla remotum per receptaculum proprium diſciforme, cui pro parte immerſum, ſtylum et ſtigma ſimplex, capſulas 3 vniloculares biuaules et in qualibet ſemina 5 alata deſcripſit, et ita minus recte ha-

 ctenus

ctenus notum genus determinauit. VAN LINNE, qui ex Auctore characterem deſumſit, (Gen. no. 45) receptaculi proprii nullam mentionem fecit, et LOEFLINGIUS idem pro nectario venditauit.

p. 10. In *Tamarindo indica* filamentorum ſtaminum corpus. vbi in tres partes ſeparatur, etiam emittit 4 ſtipulas ſetaceas, cum iisdem alternantes, et ſtipulae aliae 2 longiores e receptaculo enaſcuntur; ſtipulas has rudimenta ſtaminum eſſe et hinc 3 fertilia, 3 ſterilia dici poſſe affirmauit. Stipulas longiores nectaria dixit, reliquas non commemorauit LIN-

p. 11. NAEUS Gen. no. 46. *Hapolanthus*, a tenello florum habitu dicta, calicem gerit 3phyllum, perſiſtentem, petala 3, lanceolata, calice paulo breuiora, filamenta 3 longiora, in bracteam deſinentia, antheras globoſas, in quolibet filamento geminas, bracteae parieti adfixas, ſtylum ſimplicem, ſtigma penicilliforme, capſulam bilocularem, biualuem, et in quolibet loculo duo ſemina. *Calliſiam* dixit LOEFLINGIUS plantam, idemque nomen retinuit VAN LINNE et petala calicis longitudine ac ſtigma-

p. 12. ta tria no. 63 deſcripſit. In *Comocladia integrifolia* eiusdem racemi flores plures corolla caliceque quadripartitis praeditos et quatuor ſtamina vidit. VAN LINNE omiſit genus, a BROWNIO iam conditum.

p. 14. *Petitia* nouum, nec a LINNAEO memoratum genus, calicem habet, monophyllum, 4 dentatum, inferum, perſiſtentem, petalum 1, tubuloſum, quadrifidum, laciniis acutis, reflexis, ſtamina 4 tubo ſuperne accreta, ſtylum et ſtigma ſimplex, drupam ſubrotundam, nucem bilocularem, nucleosque ſo-

p. 15. litarios. *Aquartiae*, etiam a LINNAEO no. 136 aſſumtae, character eſt calix 1 phyllus, perſiſtens, 4 fidus, laciniis duabus oppoſitis minoribus, corolla 1 petala, rotata, 4fida, filamenta breuiſſima, antherae 4, maximae, ſtylus declinatus, ſtigma ſimplex,

plex, bacca vnilocularis polyſperma. *Ixora alterni-* p. 16.
folia propter corollae tubum longiſſimum, apice in globum ampliatum, ſtigma capitatum, et ſemina plurima pulpa molli receptaculo affixa, diſtinctum forte erit genus.

Chomelia, cum plantae eo nomine inſignitae p. 18.
aliunde forte amandatae eſſent, namque VAN LINNE in vltimis editionibus genus Chomeliae omiſit, nec hoc nouum conditum in ſexta recenſuit, in memoriam celebris viri dicta, oſtendit calicem paruum, 4fidum, laciniis reuolutis, corollae 1petalae tubum tenuem, longiſſimum, limbum 4fidum, laciniis in acumen ſetaceum abeuntibus, ſtamina 4, ouarium apice 4fidum, ſtylum ſimplicem, ſtigma bifidum, drupam coronatam calice, 4 ſulcatam, bilocularem, nucleosque ſolitarios. Planta tota ſpinoſa.
Tres ſpecies *Irſiolae* BROWN ad *ciſſum* aman- p. 22.
dauit, et illam, *Sycioides* dictam, habitu ſingulari conſpicuam, curioſius deſcripſit; caules ſcil. lignoſi ſcandentes ſunt, et per ſumma cacumina arborum horizontaliter pergendo nouos ramos et caules nudos emittunt, qui terram verſus recta deſcendunt, radicesque eidem immittunt, nouosque truncos conſtituunt, ſi vero extra ſyluas habitat, parietes, rupesque eodem quo *Hedera Europaea* modo, inueſtire ſolet. Imo multum congruit cum *Hedera*, bacca 1ſperma, et vna quinta pars numeri demta in flore, omne diſcrimen abſoluunt. *Mygindae*, nouum ge- p. 24.
nus, a LINNAEO no. 178 repetitum, calix eſt 4partitus, minimus, perſiſtens, petala 4, ſtamina 4, ſtyli 4, ſtigmata ſimplicia, drupa ſubglobosa, nux vnilocularis 1ſperma.

Ipomaeae tres quidem nouas recenſuit ſpecies, et p. 26.
in *filiformi* filamenta 5 ſterilia cum fertilibus alternantia deſcripſit, attamen cum *Conuoluulis* multa communia habere monuit, ſcripſitque *examinari conuoluulorum et Ipomaearum, inter tropicos vbiuis*

 creſcen-

creſcentium, ſpecies numeroſas, et profecto inter receptum vtrumque genus limites conſtantes inuenire nullos potui *) *oportet itaque aut confundi haec genera, aut notam conſtitui artificialem aliquam, ab vna, neglectis ceteris, corollae parte petitam, quae diſcrimen perpetuum determinet, quamuis arbitrarium atque a natura fortaſſe*
p. 29. *alienum*. *Echitem*, a BROWNIO confectam, a LINNAEO in ſyſt. ad *Tabernaemontanam* amandatam, nunc et ſeorſim Gen. no. 299 conſeruatam generaliori charactere definiuit, et glandulas ſeminaque papposa maximum eſſe characteris momentum, nil autem valere corollam in variis diuerſiſſimam, docuit Cl. Auctor, ſimulque has plantas in habitu aliquid ſingulare habere, quo dignoſci primo adſpectu poſſint, aſſeruit. Decem deſcripſit ſpecies.

p. 38. Cum *Echite* conuenire videtur *Tabernaemontana*, inprimis cum et glandulas 5, ouarium cingentes, in hoc genere cognouerit; verum illae hic bifidae ſunt, et *grandiflora* ſpecie excepta, minimae, vix ſaepe conſpicuae; folliculi autem pulpa farcti
p. 40. optime hanc ab adfinibus diſtinguunt. In *Varronia* ſtigma varium et nucleum quadrilocularem deſcripſit
p. 42. et ſeptem ſpecies recenſuit Cl. Auctor. *Cordiam* et *Geraſcanthum* BROWN: coniunxit et generalem definitionem dedit, calicem ſcil. dentatum, corollae limbum ſaepe 5fidum, et ſtamina 5, fructum autem ſtyli parte acuminatum, calici diſtento accretum eſſe,
p. 44. notauit. *Beureriam* **) BROWN, licet in Syſtem. ad *Cor-*

*) Idem bene animaduertit BOEHMERUS in LUDW. Def. Plant. no. 105, et Ipomaeam ad Conuoluulum reduxit.

**) *Brurreriam* genus dixit BROWNIUS et IACQUINUS in Enumeratione; errorem vero typographi forſan eſſe, et *Beureriam* dici debere in Comment. l. c. p. 425 notauimus; hinc etiam mutatum nouum nunc IACQUINUS aſſumſit; nihilominus tamen, ne

Cordiam retulerit, in Gen. no. 257 ſemine biloculari ab *Ehretia* modo differre affirmauerit, nouumque genus eo nomine inſigniuerit LINNAEUS, conſeruauit, et ſpeciem bacca ſucculenta, aliamque exſucca deſcripſit. p. 46.

Ehretia ſpinoſa, noua ſpecies, habitu quidem valde diuerſam eſſe ab inermi, aſt flore conuenire, et calice tantum pentaphyllo, ſtyloque profunde bifido, laciniisque eius canaliculato carinatis differre notauit, atque obſeruauit ſtyli lacinias pro ſtigmate bipartito haberi poſſe, cuius ſingulari ſtructura fit, p. 53. vt introſpicienti armato oculo vel in ipſum ouarium aditus pateat. *Iacquinia* Auctoris et LINNAEI no. 254 calicem habet 5 phyllum, perſiſtentem, corollam campanulatam 10 fidam, laciniis 5 interioribus breuioribus, ſtamina 5, ſtylum breuem, ſtigma p. 55. capitatum, baccamque ſubrotundam monoſpermam. In *Sideroxylo* drupam ſtella radiata terminatam, nucem vnilocularem, vnicumque nucleum obſeruauit. p. 56. *Achras* duas deſcripſit ſpecies, altera calice 1 ophyllo imbricato, corolla 10fida, antheris 5, et bacca 5 loculari, altera, quorſum et *Zapotillam* retulit, calice 6phyllo, corolla 12 fida, antheris 6, et bacca multiloculari gaudet; aſt numero neglecto, maxima inter vtramque exiſtit affinitas. Poſterioris ſpeciei corolla ante foecundationem figuram habet ouatam, in foecundationis actu eadem magis explicatur, et campanulata fit, finito actu ouatam denuo aſſumit. Extra hunc actum florem deſcripſiſſe LOEFLINGIUS Auctori videtur. p. 60.

Rondeletia diſperma in quolibet loculo vnum modo ſemen gerit, et integra capſula inuoluitur pelli-

P 5 cula

ne vera dixiſſe videamur, LINNAEUS Gen. edit. VI. no. 257 ſcripſit *Bourreriae* ſemina bilocularia ſunt, cum tamen alibi *Beureriae* nomen, vt nouum genus, a Browniano diuerſum, inveniamus.

cula ſucculenta, quae paulatim exſiccatur, calicisque polyphilli in modum abſcedit, tuncque demum valuulae aperiuntur; ipſe vero calix 5phyllus ouario
p. 61. inſiſtit. *Chimarrhis*, genus a LINNAEO non memoratum, ita, quod ad torrentes plerumque creſcat planta, dictum, loco calicis, marginem habet integrum, ouarium coronantem, perſiſtentem, corollam 1petalam, infundibuliformem 5fidam, laciniis inferne linea longitudinali hirſutis; antheras 5, ſtylum ſimplicem, ſtigma bifidum, capſulam bilocularem biualuem, valuis apice bifidis, ſemina ſoli-
p. 63. taria. *Portlandia hexanthera*, praeter ſtamina etiam in calice et corolla vnam partem numeri addit, aſt ceterum ſumma adeſt floris ſimilitudo.

p. 64. *Laugieriae* nouum genus, *Laugeria* a LINNAEO dictum, nominatur vero Botanicus Vindobonenſis LAUGIER, character eſt calix 1phyllus, tubuloſus, ore inaequali, deciduus, corolla hypocrateriformis, tubo longiſſimo 5fido, antherae 5, ſtylus ſimplex, ſtigma capitatum, Drupa ſubrotunda, nux 5ſulcata, 5locularis, nuclei ſolitarii. *Coffea occidentalis* a
p. 67. BROWNIO ad *Pauettam*, a LINNAEO ad *Ixoram* relata, cum *arabica* maximam alit ſimilitudinem, ſi numerum demas, etenim ſtamina 4 modo, et fructum 1ſpermum gerit. *Hameliae*, a LINNAEO
p. 71. no. 232 *Hamelliae* dictae, calix eſt coloratus 5partitus, ſuperus, corolla 1petala, tubuloſa, 5 angularis, 5 partita, ſtamina 5, ſtigma lineare, bacca
p. 75. coronata, 5 locularis, polyſperma. *Ruyſchia*, a LINNAEO omiſſa, definitur per calicem 5phyllum perſiſtentem, imbricatum, auctum baſi ſquamis duabus et inter easdem appendice dependente, petala 5 reflexa, ſtamina 5, ſtylum nullum, ſtigma 4angulare planum, fructus autem ignotus.

p. 77. *Chaetaeam* in Enumeratione pro nouo genere propoſitam, *Byttneriam aculeatam* eſſe poſtea cognouit

uit Cl. Auctor, eiusque amplam dedit deſcriptionem, monuitque eam, quae a LOEFLINGIO compoſita fuit, verbis modo diſcrepare, eumque in flore exiguo partes male intellexiſſe, aliasque pro aliis nominaſſe. Hinc et VAN LINNE variantem in Syſt. Nat. datam definitionem nunc reliquit, et in Gen. no. 268 Auctoris noſtri aſſumſit. Eſt enim ſingularis floris ſtructura, et calix monophyllus 5fidus deciduus continet petala 5 breuia introrſum conniuentia, in ſetam ſubulatam, baſi nectario incumbentem, dein erectam, et in alias duas ſetulas laterales breues, terminata, nectarium pentaphyllum, foliolis per filamenta ſemiconnatis; filamenta ſtaminum 5, ex ouarii proximis duobus foliolis orta ſingula, et in quolibet antherae geminae diſtinctae, ſtigma obſoletum 5fidum, capſulae 5 muri atae monoſpermae. *Hybanthus*, a florum gibbo dicitur genus, quod VAN LINNE tacuit, cuius calix eſt 5phyllus, foliolis duobus anterioribus erectis, tribus reliquis baſi in gibbum protruſis, petala 5, quatuor ouata, erecta, quintum oblongum, longius, apice bifidum, marginibus conniuentibus; glandula nectarea maxima, locata in gibbo calicis, filamenta 5, apice membranacea, in ſingulis antherae geminae, intra membranam longitudinaliter accretae, ſtylus et ſtigma ſimplex, capſula triſulca, inflata, vnilocularis, triualuis, ſemina pauca. p. 77.

Conocarpus erecta apetala eſt, in Martinica ſemper decanthera, ſtaminibus calice duplo longioribus, alibi pentanthera, ſtaminibus calicem non ſuperantibus, *racemoſa* autem pentapetala, decanthera, eiusque ouarium in vtroque latere ſub calice ſquamula perſiſtente auriculatum, apiceque ornato intra calicem ſtellula decem radiata; ex hac deſcriptione definitio BROWNII dubia clarior redditur. (vid. LUDW. Defin. no. 969). *Cynanchi* octo nouas deſcripſit p. 78. p. 81.

ſcripſit ſpecies, plures alias, a Cl. Auctore viſas, omiſit. Etenim modo hic commemorauit, quas accurate examinare potuit, et in his omnibus ſingulare inuentum notauit, filamenta namque decem, ortis duobus ſimul ex eodem puncto inter nectarii cucullos, totidemque antheras in loculamentis cucullorum reconditas obſeruauit, etiamque *Aſclepiades* varias, vtramque *Stapeliam*, et *Periplocam graecam* decandras ſe inueniſſe monuit; alia, quae in his plantis ratione nectarii et ſtyli propoſuit, noua, et quae contra LINNAEUM docuit, ne nimis prolixi ſimus, omittamus.

p. 95. *Terebinthus*, genus a BROWNIO ſtabilitum, ambiguitatis vitandae gratia *Burſeriam* dixit IACQUINUS vt et LINNAEUS Gen. no. 440. Cuius characteres ſunt: calix 3phyllus, petala 3, ſtamina 6, ſtylus breuiſſimus, ſtigma capitatum, capſula triangularis, vnilocularis, triualuis valuulis carnoſis, ſemenque vnicum pulpa circumdatum. Variare vero ſaepe ſolet, et petala 5, ſtamina 8, immo et flores ſine fructus veſtigio inuenit, attamen omnes perfectos eſſe, non relatiuos exiſtimauit; hinc et multum differt character generis a Browniano: etiam affirmare non potuit Cl. Auctor, an *Simaroubam* corticem haec
p. 97. arbor praebeat. *Hillia* quam et VAN LINNE Gen. no. 444. recenſuit, paraſitica planta calicem habet 6phyllum, ſuperum corollam 1 petalam, tubo ſex ſulcato, incuruo, longiſſimo, ſexfido; antheras 6, ſtylum, ſimplicem ſtigma capitatum, fructum bilocularem polyſpermum.

p. 102. *Trigonis*, de qua ſilet VAN LINNE, gerit calicem 5phyllum, petala 5, inuerſum triangulum formantia, hinc nomen, interne et apice villoſa, ſtamina 8, ſtylum nullum, ſtigma obtuſum, ouarium ſuperum, reliqui characteres ignoti ſunt. *Elaphrium*
p. 105. nouum, a LINNAEO omiſſum, a ligni leuitate dictum

ctum genus, calice 4partito deciduo, petalis 4, ſtaminibus 8, alternis longioribus, ſtylo breui, ſtigmate bifido, capſula biualui monoſperma cognoſcitur. Plantam, quam ſemper confuderunt botanici, ad *Pteleam*, vel *Triopterygem* relatam, reſtituit *Dodoneae* nomine, eidemque tribuit calicem plerumque 4phyllum, deciduum, corollam nullam, ſtamina 8, ſtylum 1, ſtigma obſolete trifidum, capſulamque inflatam, tribus magnis membranaceis alis auctam, trilocularem, ſemina in quolibet loculo duo. *Caſſythae* characterem emendauit, et corollam 3petalam, enneantheram, et nectario et glandulis duabus praeditam deſcripſit, *Laurumque* et *Caſſytham aphyllam*, habitu diuerſiſſimas, fructificatione affines eſſe, docuit. p.109. p.115.

Myroſpermum, a LINNAEO non recenſitum, habet calicem 1phyllum, leuiſſime 5dentatum, corollam papilionaceam, vexillo ſubrotundo patentiſſimo, alis longitudine vexilli patentibus, carina dipetala inſtructam, ſtamina 10 diſtincta, ouarium pedicillatum, ſtigma acutum, capſulam oblongam planam, apice vnilocularem, non dehiſcentem, ſemina pauca reniformia. In *Anacardio occidentali* ſtamina vtplurimum 10, quorum vnum perpetuo anthera caret, frequenter octo, et ſeptem, omnia fertilia, quandoque etiam flores mere femineos vidit, et ſtigma antheram referre ait Cl. Auctor. Plumerianae *Borboniae* altera ſpecies genus conſtituit nouum, *Heiſteria*, a LINNAEO quoque Gen. no. 535 traditum, cuius calix eſt 1phyllus 5fidus, perſiſtens, petala 5, ouata, patentia, ſtamina 10, alterna breuiora, ſtylus breuis, ſtigma 4fidum, drupa oblonga, inſidens calici colorato maximo, nux et nucleus oualis. p.120. p.125. p.126.

Swietenia, ad *Cedrelam* antea relata, et a VAN LINNE Gen. n. 521 tradita, flore *Meliam*, fructu p.127.

Cedre-

Cedrelam refert, calix ſcil. monophyllus 5fidus, deciduus, petala 5, concaua, obtuſa, nectarium monophyllum, cylindraceum, longitudine corollae, decemdentatum, ſtamina 10, minima, nectario infra diuiſuras inſerta, ſtylus ſimplex, ſtigma capitatum, capſula vero 5 locularis, 5 valuis, a baſi dehiſcens, ſemina plurima imbricata, ala membranacea aucta, thalamo 5 angulari adnata. *Caſearia*, in
p. 132. memoriam CASEARII, qui horti Malabarici ſtirpium deſcriptiones adornauit, dicta calicem oſtendit 5phyllum, deciduum, coloratum, corollam nullam, nectarium e foliolis oblongis alterno cum ſtaminibus ſitu, ſtamina 8 vel 10, ſtigma capitatum, fructum vnilocularem triualuem, cuius ſemina plurima valuis affixa ſunt et in pulpa molli nidulantur. Cum *Samyda* coniunxit VAN LINNE Gen. no. 543. *Copaiuae*, a
p. 133. LINNAEO *Copaifera* Gen. no. 542 dictae, calix nullus eſt, petala 4, ouato lanceolata, patentiſſima, ſtamina 10 arcuata, ouarium pedicillatum, ſtylus incuruus, ſtigma obtuſum, fructus globoſus, ſtyli parte acuminatus, indeterminatus. Ex trunco inciſo balſamum effluit illud celebre, cuius vſum in gonorrhoea probant americani.

p. 135. *Malpighiae* ſex recenſuit ſpecies, et in his, aliisque examinatis, diſcrimen quoddam notauit in glandulis calicinis, quae aut liberae omnes ſunt, vel numero vario coalitae, et ſtylum in aliis vnicum bifidum vel trifidum, in aliis triplicem ſtigmatibus ſimplicibus
p. 137. obſeruauit Cl. Auctor. *Hiraeae* characteres ſunt calix 5phyllus, perſiſtens, petala 5 aequalia, vnguibus longis inſidentia, ſtamina 10, alterna longiora, ſtyli 3, ſtigmata bifida, capſulae 3, dorſo auctae duabus alis maximis, vniloculares, non dehiſcentes, ſemina ſolitaria. *Trioptris* LINN, Gen.
p. 141. no. 578 eandem nunc definitionem ſiſtit. *Rhizophorae* emendatum characterem exhibuit, et in *Man-*

gle

gle dicta ſpecie flores ſunt perfecti, habentque calicem 1phyllum, coloratum 4 partitum, perſiſtentem, petala 4, reflexa, minora filamenta nulla, antheras octo, ſtylum ſemibifidum; fructus eſt carnoſus, verſus inferiora coronatus calicis laciniis reflexis, apice perforatus, pro ſemine tranſeunte, cuius baſin modo continet, ipſumque ſemen longiſſimum; carnoſum, teres. Fructus et ſemen ſingularem plane ſtructuram oſtendunt, quam etiam curioſius deſcripſit Cl. Auctor, nos vero repetere non poſſumus. In *Boc-* p. 146.
conia fruteſcente nulla petala adeſſe, et quae in icone PLUMERII petala creduntur, ſtamina 4, poſt reliquorum lapſum reſidua eſſe, affirmauit, horum autem in flore clauſo ſemper numerauit 12 vel 16, pauciora vel plura nunquam.

Ginoriae, et a LINNAEO no. 605 memoratae, p. 148.
calix eſt monophyllus, ſexfidus, perſiſtens, petala 6 ſubrotunda, vngue longo inſerta tubo calicino, ſtamina 12 infra petala calici adnata, ſtylus perſiſtens, capſula colorata, vnilocularis, quadriualuis, ſemina plurima, thalamo maximo adnata. *Capparidis* ge- p. 157.
neris generaliorem dedit definitionem, quae ſcil. omnibus ſpeciebus, etiam *Breyniae*, quam cum LINNAEO huc reduxit, competeret; ſi vero quis ad habitum, *Breyniis* proprium, fructusque diſcrimen vellet reſpicere, poſſet *Breyniae* ſiliquam coriaceam biualuem, *Capparidi* capſulam tribuere, reſtaret autem ſpecies flore *Breyniam*, fructu *Moriſoniam* referens; hinc potius combinanda eſſe genera affirmauit Cl. Auctor, et ſpecies tredecim hic deſcripſit. *Symplocos*, genus, licet fructus cognitio p. 166.
deſit, nouum, a LINNAEO Gen. no. 677 quoque ſeruatum, calicem habet 1phyllum, ſemiquinquefidum, petala 5, baſi erecta, tubumque formantia, et ab hac connexione nomen deriuandum, ſuperne patentiſſima, ſtamina numeroſa, multiplici ſerie tubo

tubo corollae in orbem accreta, ſtylum ſimplicem, ſtigma capitatum ſubtrifidum.

p.170. *Homalium* cuius fructus quoque ignotus, in LINNAEI Gen. deſideratur, eius character eſt calix 1phyllus, 6fidus, petala 6 patentiſſima, glandulae 6, cum petalis alternae, ſtamina 24 vel 18, orta 4 vel 3 ſimul inter glandulas, hinc ortum nomen, ſtyli

p.177. 3. *Auicenniae* perfectiorem dedit definitionem, calicem ſcil. 5partitum, perſiſtentem, ad baſin ſquamis 3 ſimilibus auctam, corollam 1petalam, campanulatam, bilabiatam, galea emarginata, barba trifida, ſtamina 4, duobus breuioribus, ad latera galeae reflexis, capſulam vniloculares biualuem, vnicumque ſemen magnum, ex 4 lamellis carnoſis compoſitum deſcripſit. Huc, tanquam vnicam ſpeciem, retulit *Auicenniam* et *Bontiam* LINN. ſyſt. et *Donatiam* LOEFL. monuitque LINNAEUM ex eadem ſtirpe duas effinxiſſe, addiditque *eiusmodi erroribus ſemper ſe expoſitum cogitet, quicunque de rebus vix notis iudicare velit.* VAN LINNE, in ſpec. edit. noua, *Auicenniae* genus omiſit, IACQUINI plantis ad *Bontiam* relatis, in Gener. edit. Vita vero vtrumque retinuit, et *Auicenniae* characterem a Cl. Auctore aſſumſit. Fructus huius arboris non eſſe *Anacardii* nuces, in officinis vſitatas ſimul notauit Auctor, licet ignotum ſit, quaenam arbor easdem

p.178. proferat. *Ruſſeliae*, a LINNAEO omiſſae, definitio eſt: calix 5phyllus, perſiſtens, foliolis in acumen ſetaceum deſinentibus, corolla 1petala, tubo longiſſimo, cylindraceo, pilis plurimis ſemiclauſo, limbo labiato, ſuperiori labio ſubrotundo emarginato, apice reflexo, inferiori trifido, laciniis oblongis, ſuperiori paulo longioribus, ſtamina didynamia, ſtigma globoſum, capſula ſubrotunda, parte ſtyli acuminata, vnilocularis, biualuis, polyſperma.

Petrae

Petraeam accuratius definiuit, eidemque tribuit calicem 1phyllum, campanulatum, 5fidum, laciniis coloratis magnis perſiſtentibus, baſi introrſum abeuntibus in ſquamas 5 truncatas, ſingulas e duabus diuerſis laciniis ortas, corollam rotatam, bilabiatam, 5fidam, laciniis fere aequalibus, ſtamina didynamia, ſtylum ſimplicem, capſulam bilocularem, reconditam in tubo calicis maximi, conniuentibus ſquamis clauſo. Characterem etiam *Citharexyli* emendauit, et corollae tubum leuiſſime incuruum, limbumque bilabiatum 5fidum, laciniis truncatis, duabus ſuperioribus anguſtioribus, ſtamina didynamia, baccam vnilocularem, ſemina duo, pulpa diſtincta, bilocularia, nucleis ſolitariis foeta, deſcripſit, rudimentum autem quinti ſtaminis, a LINNAEO no. 760 deſcriptum, non notauit. *Brownaea*, nouum genus, quod etiam VAN LINNE no. 833 retinuit, calicem habet 1phyllum inaequaliter bifidum, corollam duplicem, exteriorem 1petalam 5fidam, interiorem 5petalam, ſtamina 10, alterna breuiora, coalita in cylindrum, ſuperne diuiſum, ſtylum ſimplicem et ſtigma obtuſum. *Securidacam*, cuius character a LINNAEO et BROWNIO datus maxime inter ſe diſcrepat, plenius Cl. Auctor definiuit, eandemque deſcriptionem LINNAEUS no. 852 nunc exhibuit. Calix ſcil. eſt triphyllus, corolla papilionacea, vexillo duplici, alis duabus patentiſſimis, et carina appendice plicato aucta, praedita; ſtamina 8 in vnum corpus fiſſum coalita, capſula abiens in alam membranaceam a dorſo membranae aucta gibbo, vnilocularis, monoſperma. p. 181. p. 186. p. 195. p. 197.

Niſſolia, a LINNAEO etiam no. 853 recepta, ad papilionaceas tetrapetalas decantheras pertinet, cuius capſula vnilocularis in alam membranaceam excurrit, nec dehiſcit, et plerumque vnum ſemen continet. *Amerimnon* BROWNII retinuit Auctor, p. 198. p. 199.

eandemque fere definitionem repetiit; genus a LINNAEO nusquam memoratum; e contrario autem
p.201. *Stizolobii* et *Zoophthalmi* BROWNII ſpecies ad *Dolichos* reduxit, idemque poſt Auctorem VAN LIN-
p.207. NE in Spec. fecit. *Geoffroea* a LINNAEO quoque no. 878 tradita, corollam habet papilionaceam tetrapetalam, ſtamina diadelphia decandria, fructum autem ſingularem, drupam ſcil. magnam, mollem, vtrinque longitudinali ſulco notatam, nuce ſulcata, vniloculari biualui, ſimilique nucleo foetam. *Di-*
p.208. *phyſa*, a LINNAEO omiſſa, quoque ad papilionaceas pertinet, cuius vexillum amplum, totum retrorſum arcuatum, alae antice diuergentes, poſtice conniuentes, hinc alterum mentitae vexillum, carina falciformis breuior, inferne diuiſa, ad alas ita recuruata, vt ad vngues apex euadat parallelus; legumen vtrinque auctum veſica membranacea, clauſa, vnde nomen, ſemina hamulo inſtructa.

p.214. *Spilanthes* flores gerit compoſitos tubuloſos perfectos, calice imbricato incluſos, et ſemina, thalamo nudo affixa, aucta lateribus membranula, quae ſuperne abit in ſetam, alteram altera duplo longio-
p.215. rem. *Kleinia* ad eandem claſſem pertinet, calix autem ſimplex eſt, oblongus pentaphyllus, qui in fructificatione totus reflectitur, et thalamus nudus
p.217. punctatus ſemina linearia pappoſa ſuſtinet. *Wedelia* floribus conſtat mixtis, tubuloſis 5fidis perfectis, lingulatis ſemibilobis femineis, ſemina caliculo circiter decemdentato coronantur, thalamo paleaceo adhaerent, et calice communi tetraphyllo laxo cinguntur. Trium horum generum VAN LINNE nullam fecit mentionem, aſſumſit autem Gen. no. 1002 *Strumpfiam* Auctoris, quae calicem offert 1phyllum, 5dentatum, perſiſtentem, petala 5, filamenta nulla, antheras 5 in vnum corpus coalitas, ſtylum et ſtigma ſimplex, baccam calice coronatam

mono

monoſpermam. Cucurbitacearum duo noua condidit, etiam a LINNAEO no. 1036 et 37 recepta, genera; *Elaterium* ſcil. a Boerhauiana diuerſa planta, relatiua monophyta; calice deſtituitur, corolla eſt monopetala, hypocrateriformis, 5fida, inciſuris denticulo inſtructis, filamentum vnicum antheram linearem, quinquies plicatam, in ſuperiori parte gerit, in femina ouarium piloſum inferum, ſtylus ſimplex, ſtigma capitatum magnum, capſula reniformis, piloſa, vnilocularis, biualuis, ſemina plura in carne aquoſa, thalamo imbricatim affixa. *Anguriam*, quam monophytam pinxit PLUMIER et ad monoecias retulit VAN LINNE, diphytam ſemper vidit Cl. Auctor, gerit calicem 1phyllum, 5fidum, petala 5, calicis limbo adnata, filamenta 2, antheram in ſingulis linearem, ſurſum deorſumque repentem, (filamenta etiam in femina adſunt, ſed antheris deſtituta), ſtylum ſemibifidum, ſtigmata bifida, pomum 4 loculare, polyſpermum. p.241 p.242.

Boehmeria, a LINNAEO non memorata, relatiua eſt monophyta, floresque aggregati maſculi infra femineos poſiti; in mare calicem nullum, petalum tubuloſum ſemitrifidum, et ſtamina tria, corollam ſuperantia, in femina loco calicis paleas, ouariis intermixtas, ouatas, concauas, nullam corollam, ſtylum longiſſimum, ſtigma acutum obſeruauit, fructus autem ignotus manſit. *Sapium*, a BROWNIO conditum, a LINNAEO ad *Hippomanem* relatum, a Cl. Auctore conſeruatum fuit hac definitione: Corolla nulla, in mare calix 1phyllus, ſemibifidus, et filamenta duo, baſi coalita, antheris in ſingulis geminis, in femina calix 1phyllus, tridentatus, ſtigma trifidum maximum, et capſula trilocularis, triualuis, tricocca. p.246, p.249.

Schaefferia, a LINNAEO omiſſa, relatiua diphyta, calix tetraphyllus, corolla 4petala inſtructa, p.259.

in mare ſtamina 4, ouarium in 2 apices deſinens, ſtylo nullo donatum, abortiens, in femina ſtyli duo inflexi, ſtigmata ſimplicia, bacca vnilocularis, di-
p.261. ſperma. *Aſtronium* retinuit VAN LINNE Gen. no. 1111. eſtque relatiua diphyta planta, calice 5phyllo colorato, et petalis 5 inſtructa. Mas glandulas 5 in diſco floris et ſtamina 5 gerit, femina glandulis deſtituitur, ſtyli tres ſunt, et calix incretus foliolis ſuis conniuentibus ſemen vnicum primo tegit, dein foliolis in ſtellam pendulam expanſis,
p.263. vnde nomen, idem dimittit. *Gouania*, a LINNAEO inter polygamias no. 1157 recepta, flores fert perfectos maſculis immixtos, habentque calicem 1phyllum, 5fidum, tubo perſiſtente, laciniis deciduis, corollam nullam, ſtamina 5, antheris calyptra elaſtice abſcedente inſtructis, ſtylum ſemitrifidum, capſulam triquetram, in tres alas excurrentem, trilocularem, ad angulos trifariam diſcedentem, ſemina ſolitaria. Ad *Rhamnum* antea plantam reduxerat Auctor.

Praeter noua vel emendata, nunc recenſita genera, tria etiam dubia inuenimus, minus ſufficien-
p. 17. ter determinata. Scil. *Peteſioides* calice 1phyllo, 4partito, colorato, corolla 1petala conica, margine 4partito truncato conniuente, antheris 4, ſtylo
p. 19. et ſtigmate triplici donata, *Sideroxyloides*, calice 4partito, minimo, 1phyllo, corolla, 1petala, cylindracea incurua, 4fida, laciniis reflexis, ſtaminibus 4 breuiſſimis, infra diuiſuras tubi ortis, ſtylo
p. 73. filiformi, ſtigmate obtuſo inſtructa, et *Viſcoides* calice minimo, 5dentato, colorato, ſupero, perſiſtente, corolla monopetala tubuloſa, 5fida, ſtylo ſimplici, et vt in explicatione iconis legimus, bacca ſubrotunda, calice coronato praedita.

p.277. In Appendice tandem nonnullas alias dubias, et alias ex Palmarum familia recenſuit, harumque duo

noua

noua genera, a LINNAEO non memorata, exhibuit; primum eſt *Bactris* cuius flores feminei in eodem ſpadice maribus ſunt intermixti, ſpatha vniuerſalis eſt monophylla, dorſo aculeata, vniualuis perſiſtens, ſpadix ramoſus, calix 1phyllus tripartitus, corolla 1petala trifida, hexanthera, in femina ſtylus breuiſſimus, ſtigma obſolete trifidum, drupa ſucculenta, fibroſa, ſtylo acuminata, nux tribus foraminibus obſoletis et nucleus tribus foueis notatus. Ex trunco, cortice nudato, cannae fiunt atrae nitidaeque vnde nomen deſumſit. Alterum genus eſt *Elaeis*, ex cuius fructu oleum ſic dictum palmarum paratur, hinc nomen. Incompletam vero dedit deſcriptionem Cl. Auctor; flores perfecti, ſteriles et feminei in eadem planta occurrunt; ſpadix eſt ramoſus, calix 6phyllus, corolla 1petala, 6fida, ſtamina 6, ouula tria abortiua, ſtyli truncati, in femineis corolla 6petala, ouulum vnum, deſinens in ſtylum breuem ſtigmate trifido, fructus coriaceus, oleo ſcatens, vnilocularis, nuce in baſi tribus foraminibus obſoletis notato, vniloculari, triualui, nucleoque cauo praedita. p.279. p.281.

Gyrocarpi flores, *Aniſophilli* et *Pterocarpi* et flores et fructus non videre potuit Cl. Auctor, hinc et de hisce nihil nunc moneamus, plurimas aliasque obſeruationes taceamus. Multa enim noua adhuc deprehendimus, a Botanicis ſedulo notanda; vt quae de *Tillandſia triloculari et tripetala*, *Petiueria octanthera*, *Creſcentia pentanthera*, *Pepli monopetala et tetranthera; Ximenia octanthera monoſtyla*, et licet tripetalam delineauerit PLUMERIUS, ſemper *tetrapetala*, *Aralia monoſtyla ſuriana decanthera*, et hic porro commemorauit, atque his aliisque obſeruationibus clariſſime docuit, methodum ſexualem fallacem, multisque modis limitandam eſſe, multumque praeferendas deſcriptiones ad viuam plantam factas il-

 lis,

lis, quae ſecundum exemplaria ſiccata vel icones concinnantur; idque inprimis monuit Cl. Auctor, occaſione *Dalechampiae*, cuius emendatum quoque dedit characterem; inter duas enim bracteas florales decem circiter maſculi et tres feminei flores locantur. Maſculorum inuolucrum commune eſt 4 partitum, vno foliolo latiore, calix proprius 6phyllus, corolla nulla, nectarium latum in inuolucro communi seſſile, conſtans lamellis plurimis, apice nectareis, ſtamina plurima, inferne coalita, ſuperne diuiſa. Feminae habent inuolucrum commune triphyllum, foliolo exteriori latiori, calicem proprium circiter 10phyllum, foliolis ſerratis, ſetis armatis, corollam quoque nullam, ſtylum longiſſimum, arcuatum verſus mares, capſulam, qualem apud Auctores deſcriptam legimus.

Epidendri octodecim etiam ſpecies, pleraſque nouas, deſcripſit Auctor, quae vero quoad floris ſtructuram multum ab inuicem diſcrepant, et forte in plura genera diſpeſcendae eſſent. Occaſione *Tradeſcantiae geniculatae* monuit, in icone PLUMERII vltra iuſtum pubeſcere plantam, idque eſſe iconibus eius vitium commune.

Verum finem tandem imponamus recenſioni, modo vnam alteramque medicam obſeruationem
p. 4. adhuc commemoremus. Ex *Iuſticia pectorali* ſyrupum cum ſaccharo conficiunt incolae, aduerſus
p. 13. pectoris morbos laudatiſſimum. *Comocladia arbor* ſucco ſcatet glutinoſo, qui ad liberi aeris attactum nigreſcit, et *dentatae* ſpeciei ſuccus aterrimus euadit, pannos manumque inficiens nigredine, nulla lotione delebili; odor eiusdem ſucci ſtercoreus eſt, et talis, qualis oriri ſolet, quando alcoholi ſulphure tincto acetum affunditur. Cubenſes aſſerunt arboris vmbram ſubtus dormienti eſſe lethalem.
p. 25. *Myginda* radicis decoctum validiſſime vrinam pellit.
p. 58. *Achras ſapotilla* fructum praebet edulem, quando pu-

putreſcere coepit, et ſeminibus decorticatis Martinicenſes vim maxime diureticam tribuunt. *Ariſtolochiae anguicidae* ſuccus radicis, ori ſerpentis inſtillatus adeo animal inebriat hebetatque, vt tuto tractari poſſit, poſt aliquot horas tandem ad ſe rediturum, ſi guttas plures bibit, corripitur motu conuulſiuo, breuique moritur. p. 232.

VI.

Phyſiſch-mediciniſche Betrachtung des ohnweit Bilin in Böhmen befindlichen Geſund-Brunnens, und deſſen Waſſers abgefaſſet von D. CHRISTIAN LUDWIG KNOCHENWEBEL, *K. P. und Churfürſtl. Sächſ. Feldmedicus, und in den Hochreichsgräflichen Brühliſchen Herrſchaften beſtallter Phyſicus. Friedrichſtadt, gedruckt bey Chriſtian Heinrich Lagemüller* 1762. 8. pl. 6.

i. e.

Contemplatio phyſico-medica fontis medicati prope Bilin in Bohemia ſiti: Auctore CHRISTIANO LUDOVICO KNOCHENWEBEL, M. D. ac Medico Caſtrenſi Reg. Polon. et Elect. Saxon.

Occaſionem hunc libellum componendi atque edendi praebuit ſine dubio morbus arthriticus, quo Cl. Auctor fuit vexatus. Quum enim fruſtra, vti ex *Cap. II.* adparet, per quatuordecim dies thermas Teplicenſes adhibuiſſet, ſanatus fuit, poſtquam aquas *Bilinenſes* ſimul in vſum vocauit.

p. 8. Libellus ipſe in quinque capita diuiſus eſt. *Primum* agit de aqua in genere, vbi praeſertim HOFFMANNI aliorumque celebrium virorum ſententiae de vſu aquae communis adducuntur. Tranſitus deinde fit ab aqua communi ad aquas medicatas, quarum vires et virtutes ex partibus contentis probantur.

p. 16. Caput *ſecundum* exponit fontis *Bilinenſis* ſitum, inuentionem et famam, quam ſenſim eius aquae acquiſiuerunt. Fons ipſe proſilit non procul a *Bilina*, quae vrbs eſt mediocris, ad Celſiſſ. Principem de *Lobkowitz* pertinens, ſita in circulo *Leitomerienſi*, a thermis *Teplicenſibus* circa lapidem diſtans. Nomen accepit vrbs a praeterfluente flumine *Bila* dicto. Antiquis temporibus hunc fontem iam notum fuiſſe, non improbabile eſt. Maiorem autem celebritatem nactus eſt, poſtquam Cl. HOFFMANNUS vix non omnibus, qui balneis Teplicenſibus vtebantur, eum
p. 20. commendauit. Mirum nobis inter ea viſum eſt, Cl. Auctorem eos taxare, qui aquas Bilinenſes *acidulis* adnumerant, quum tamen ipſe in fine praemiſſae praefationis eas *martiales* nominet, quod nomen eis minime conuenit, niſi ſimul acidulae ſint.

p. 29. Caput *tertium* inquirit in contenta et naturam harum aquarum. Miſcuit Cl. Auctor cum his aquis ſyrupum violarum, herbam Theeboy, lac, alumen, oleum tartari per deliquium, ſpiritum ſalis armoniaci, et ſpiritum vitrioli; et ex inde ortis ap-
p. 33. paritionibus concludit: ſalem alcalinum et culinarem in aquis contineri. Aquam dein rite decoxit ad ſiccitatem, et ex libra aquae accepit granum vnum terrae gryſeae et alcalinae. Quum vero haec terra in aere libero humidum attraxit, Cl. Auctor inde colligit, huic terrae ſalem alcalinum fixum, cum ſale culinari mixtum, inhaerere, ea quidem proportione, vt ſex grana huius terrae ſalinae contineant

tria

tria grana ſalis alcalini, et ſesqui granum tam ſalis
culinaris, quam terrae purae. Salem autem illum
alcalinum generari credit, quando aquae, in quibus
ſal culinaris et vitriolum ſoluta ſunt, lapides calca-
reos praeterfluunt.

Caput *quartum* docet modum, quo aquis Bili- p. 38.
nenſibus vtendum ſit. Generalia hoc caput conti-
net praecepta, quae ante vſum aquarum, et cura-
tione ipſa, et ea finita obſeruanda ſunt. Corpus
euacuantibus, V. S. ſcilicet, aluum purgantibus,
et, ſi opus, etiam vomitoriis medicamentis rite ad
curationem diſponi debet. Modus his aquis vtendi
de reliquo idem eſt ac apud alios fontes: plures ta- p. 46.
men aquas cum lacte, vel aſinino vel caprino, et
quidem calido, mane miſceri cupit. Vſum ſolius
aquae eis tantum concedit, quorum ventriculus lac
ferre non poteſt, quo in caſu aquas antea calefieri
iubet: quam vero methodum vt verum fateamur,
minus adprobamus. Sequitur diaeta et ordo, qui
in ſex rebus vulgo dictis, non naturalibus ſeruan-
dus eſt.

Quum denique propter vicinitatem thermarum p. 60.
Teplicenſium, harum vſus cum vſu aquarum Bili-
nenſium ſaepe combinatur, et de hac conſuetudi-
ne ſuam ſententiam aperit Cl. Auctor, ſimulque
argumentis probat, vſui balnearum Teplicenſium
potum aquarum Bilinenſium eſſe praemittendum.

Quintum et vltimum caput paucas et breues ſiſtit p. 62.
hiſtorias morborum, qui vſu aquarum Bilinenſium
ſanati fuere. Praecipui ſunt obſtructio menſium, et
morbi articulares.

VII.

HEINRICH GOTTLOB NEPOMUCK TROSCHEL, *der Chirurgie und Medicin Doctors, und dermaligen practiſchen Arztes zu Prag, erforderliche Nachricten von dem Sauerbrunnen, nach der neueſten Auffſuchung des wahren reinen Quellwaſſers.* 1762. 8. *Pirna, gedruckt bey der verwittweten Grützin.* 17½ pl.

i. e.

HENRICI GOTTLOB NEPOM. TROSCHEL, Chirurg. ac Medicin. Doctoris, et Medici Pragenſis Tractatus de acidulis Bilinenſibus. Pirnae.

Mox praecedenti libello alium ſubiungimus, qui de eodem fonte agit, et cui conſcribendo ille, vt Cl. TROSCHEL in praefatione ipſe fatetur, dedit occaſionem. Quum enim Noſter ſibi perſuaderet, Cl. KNOCHENWEBEL *contemplatione ſua* rem minime exhauſiſſe, imo vero falſas, vt perhibet, promulgaſſe ſententias, ſuarum eſſe partium credidit rem ipſe aggredi, et quae in examinando et experiundo aquas *Bilienſes* obſeruauit, publici iuris facere.

Libellus autem in quindecim partitus eſt ſectio-
p. 2. nes. *Prima* ſectio continet, hiſtoriam criticam monumentorum ad aquas *Bilinenſes* pertinentium. Documenta, quae huc ſpectant, ſumta ſunt partim ex HAGECII *Chronicis*, partim ex aliis ſcriptis, quae, dum alia tractant, harum aquarum, quaſi in tranſitu faciunt mentionem. Illorum enim, qui de induſtria de his aquis ſcripſerunt, nemo eſt, praeter Cl. TROSCHEL,

SCHEL, et modo memoratus KNOCHENWEBEL, qui tria diuerſa ſcripta; vernacula quidem lingua, edidit *).

Secunda ſectio fontis hiſtoriam ſiſtit, qua occaſione in tempus inquirit, quo fons detectus fuit; ſimulque terras ac montes adiacentes cum eorum nominibus memorat; deinde nouam anno 1761 factam aedificationem; poſt quantitatem, quam fons quotidie promit; ac denique ditionis dominum Celſiiſſimum nempe Principem *de Lobkowitz*, refert: quae autem, quum medicum minus afficiunt, praeterimus. p. 31.

Ad eum magis ſpectat ſectio *tertia*, quae naturam aquae exponit. Multas et plures, quam centum et ſexaginta, adducit experientias, quas cum aqua eiusque productis inſtituit: omnes enim ſenſus in auxilium vocauit, quo factum eſt, vt numerum experientiarum praeter neceſſitatem, ni fallimur, multiplicauerit; multis tamen ſuperſedere potuiſſet. Ex omnibus autem vario modo cum aqua factis experimentis Cl. Auctor concludit aquas medicatas *Blinenſes* continere, praeter aquam admodum puram, aerem incluſum valde elaſticum, quandam ſingularem partium denſitatem atque aequalitatem, ſalem alcalinum, acidum vitriolicum nondum ſaturatum **), natrum, terram alcalinam, p. 45. p. 71.

*) Primum eſt: *Kurzer Unterricht von der Beſchaffenheit, Würkung und dem Gebrauche des Biliner Sauerbrunnens. Dresden*, 1761. 4. Secundum eundem in fronte gerit titulum, in folio autem, vt aiunt, impreſſum et *Leitomirii* editum eſt. Tertium eſt ſupra memorata *contemplatio phyſico-medica*, quam Cl. Auctor fere ad finem vsque ſectionis primae in multis taxat.

**) Aliter terminum germanicum, *Eine abgebiſſene Vitriolſäure*, explicare neſcimus.

linam, vitriolum ferri, ſpiritum acidum ſulphureum, ſelenitem et terram argillaceam.

p. 86. Sectio *quarta* agit de medicamentoſis quibusdam productis, quae aquae *Bilinenſes* praebent. Ad tres ordines Cl. Auctor haec reducit. Primus ordo ea continet, quae ſine omni arte, naturae tantum miniſterio, ex aquis ſeparantur. Huc pertinent: 1) ochra *), quam fluendo aquae deponunt: 2) ſal terrae corticoſus, qui perſpirat: 3) ſal lanuginoſus, qui partim per terram penetrat, partim aduolat. Secundus ordo comprehendit talia producta, quae ope quidem artis, ſine vlla tamen additione vel correctione ex aquis educuntur. Haec ſunt: 4) mixtus quidam ſal acris, baſin alias conſtituens: 5) ſal purus fixus alcalinus: 6) ſal eductus eſſentialis. Tertius denique ordo ſiſtit ea praeparata, quae non ſolum maiorem apparatum poſcunt, ſed etiam, vt ars naturae ſuccurrat. His adnumerat ſalem ſaturatum *Bilinenſem*, et Balſamum pectorale *Bilinenſe*. Ex omnibus his productis tria tantum ſpeciali et vlterio-

*) Quum ea quidem terra a chemicis ochra appellari ſoleat, quae crocum quaſi quendam martis ſeu particulas martiales ab acido quodam arroſas et ex aqua depoſitas continet, haec Bilinenſis vero mera tantummodo ſit calcarea, valde dubitamus, an iure illi ochrae tribuatur nomen. Quae enim cum hac terra nosmet ipſi inſtituimus repetiimusque experimenta, cuncta mere calcaream eius indolem fuerunt teſtata. Concentratiſſima acida mineralia adfuſa leuiorem excitabant efferueſcentiam, quae maior erat, ſi mitiora adiiciebantur acida debilitataque, maxima oriebatur ex acido ſalis, parum huius terrae ab iis ſoluitur, plus remanet inſolubile; trita cum ſale ammoniaco et ſicco et humectato nullum ſpargit odorem; ſolutio mercurii ſublimati corroſiui eam nullo tingit colore, nihil per coctionem cum aqua pura ſoluitur: quae cuncta indubitato ſunt argumento, hanc terram, ad calcareas nulla ſale foetas pertinere.

teriori examini ſubiicit: ſalem ſcilicet ſaturatum, ſalem eſſentialem et balſamum: ſal ſaturatus ex puro ac fixo alcali minerali et acido vitriolico compoſitus eſt, quare cum ceteris fontium medicatorum ſalibus, quos alii *natrum* vocant, conuenit: quicquid etiam Cl. Auctor de ſalis *Bilinenſis* praerogatiuis prae aliis proferat. Differentia enim, quam partim in figura ſexangulari cryſtallorum, quum reliqui quadrangularem haberent: partim in ſapore magis refrigerante ſalis quaerit, nulla eſt. Forma enim et figura cryſtallorum multum variat pro ſalis, vel lixiuii quantitate, quae ad ſalis cocturam adhibetur: porro, num primae vel vltimae ex coctura aquiſitae ſint cryſtalli, quas comparauimus: inter has enim ratione figurae magna intercedit differentia. Ex multiplici hoc didicimus experientia quum plures eiusmodi ſales examinauimus, ipſique tractauimus. Facile etiam quilibet ipſe periculum facere, et ſe de veritate noſtrae aſſertionis conuincere poteſt: ſi tales ſales ſoluit, et denuo in cryſtallos redigit, vbi videbit earum figuram multum variare. Quod etiam Cl. Auctor iam ſuboluiſſe viſus eſt, dum in nota adiecta dicit: phyſicos de figura cryſtallorum ſalium naturalium inter ſe non conuenire. Idem valet de diuerſo, et refrigerante magis ſapore, quem ſali *Bilinenſi* tribuit. Differentia certe inde venit, num lixiuium, ex quo ſales parari debent, perfecte ſaturatum fuerit, nec ne. Quodſi enim pars alcalina praeualet, tunc cryſtalli amariorem et calidiorem habere videntur ſaporem, qui etiam obſeruatur, quando cryſtalli vltimum acquiſitae deguſtantur, praeſertim ſi remanens lixiuium, quod matrem ſalis, *Mutterlauge*, vulgo vocant, ad naturam muriaticam, ſeu ſalis culinaris quod ſaepe fit, inclinat: priores enim, quae in principio obtinentur cryſtalli temperatiore et frigidiore gaudent ſapore. Quod p. 91.

ad

ad ſalem eſſentialem attinet, hic nil aliud eſſe videtur, quam ſal medicatus non perfecte ſaturatus, quare etiam a Cl. Auctore vrens, acris et ad indolem alcalinam vergens dicitur, quae omnia ea probant, quae ſupra aſſeruimus. Balſamum denique *Bilinenſe* eſt compoſitum ex parte alcalina minerali ſalis, et puro inflammabili, admixto oleo quodam eſſentiali.

p. 98. Sectio *quinta* definit vires et virtutes aquarum *Bilinenſium*. Has Cl. Auctor, more aliorum aquarum ſcriptorum a componentibus deriuat partibus, quas ordine percurrit, earumque virtutes ac effectus ſpeciales recenſet. Ex ſpecialibus autem his virtutibus generales, quas mixtae hae partes in compoſitione edunt, colligit, et catalogum moleſtiarum atque morborum, qui hiſce aquis ſanari queunt, adducit.

p 109. Sectio *ſexta* virtutes ac effectus medicamentorum, ex aqua productorum, ſalis ſcilicet ſaturati, ſalis eſſentialis et balſami explicat: qua occaſione cognoſcimus, ſales ventriculi et primarum praeſertim viarum vitia corrigere, balſamum autem viſcidum ſoluere et e corpore per vaſa excretoria eliminare.

p. 115. Sectio *ſeptima* de vſu primario aquae, interno imprimis agit. Haec ſectio duas habet diuiſiones, quarum prima vſum conſuetum et ordinarium, vna cum ſale ſaturato, ſeu purgante, exponit, et regulas ordinis atque diaetae docet, ad quas curatio dirigenda eſt. Quum autem aquae vel frigidae, vti profiliunt, vel calidae, dum ope lagenae in aheno, calida aqua repleto, ante calefiunt, bibuntur: methodus praeſcribitur, quae in hoc vel illo caſu obſeruari debet. Non diffitemur, nos minime adprobare morem acidulas calefaciendi. Calore enim externo accedente deſtruitur earum vis elaſtica,

quae

quae illis leuitatem quandam, vt dicunt, ſpecificam, et certam praerogatiuam prae reliquis aquis dat: auolat dein vna cum aere expanſo ſpiritus volatilis vitriolicus, ſeu ſulphureus, deiicitur ochra martialis, et terra alcalina, quae ſoluta fuere: reſtat denique aqua vappida et grauis. Vt nihil dicamus de virtute, quam acidulae ob frigus, quod poſſident, exercent, dum tonum ventriculi roborant. Quod probe Cl. Auctor perſpexiſſe videtur, cum potum aquarum calefactarum tunc demum ſuadet, vbi aegroti frigidas nullo ferre poſſunt modo. Multo ali- p. 139.
ter ſe res habet, ſi acidulae cum lacte tepido, vti ſecunda diuiſio huius ſectionis oſtendit, miſcentur, et facta mixtione ſtatim bibuntur, tunc modo dictae mutationi nec tempus nec occaſio relinquitur. Impeditur enim oleoſa tenacitate lactis ſubita mutatio acidularum et partium volatilium diſceſſus.

Sectio *octaua* de vſu interno ſecundario aquarum p. 143.
Bilinenſium differit. Sub vſu ſecundario intelligit Cl. Auctor, quando acidulae inter vſum balnearum aliorumque medicamentorum pro potu ordinario cum vino mixtae bibuntur et praeſcribuntur. Vt nihil diſſimulemus, nec hanc conſuetudinem in omnibus laudamus. Pauciſſimi enim, praeſertim debili ventriculo laborantes, acidularum potum inter prandiendum et coenandum, ferre poſſunt. Statim flatibus, ructibus, borborygmis aliisque moleſtiis, quid etiam mirum! vexantur: vti multiplici experientia edocti ſumus. Raro autem acidulas inculpare volunt, earum enim ſapor cum vino palato gratiſſimus eſt: reiteratae tamen experientiae hos de ſuo conuicerunt errore. Res etiam facile comprehenſu eſt. Omnes acidulae abundant copia aeris, ſeu materiae incluſae elaſticae, quae calore ventriculi liberatur. Quando autem ventriculus, vti poſuimus, debilis eſt,

impar

impar quoque eſt coctioni perficiendae: quomodo nunc aerem illum elaſticum, et quaqua verſus ſe expandentem ſubigere et eliminare debet. Multa inde neceſſario oriuntur incommoda, flatus, ructus, anxietates; turbatur concoctio, crudique generantur ſucci, qui multorum malorum fomites ac origines ſunt. Hanc notatiunculam non ad eos extendi velimus, qui balneis *Teplicenſibus* vtentes acidulas *Bilinenſes* mane ſimul in vſum trahunt. Hunc morem potius laudamus, et vtilem quoque in aliis thermis, e. g. *Carolinis*, *Aquisgranenſibus* et ipſis *Teplicenſibus* inuenimus: taxantes tantummodo illam conſuetudinem, quae vſum acidularum vix non omnibus inter prandiendum non ſolum permittit, ſed etiam pro potu ordinario praeſcribit.

p. 160. In ſectione *nona* de vſu externo aquarum *Bilinenſium* Cl. Auctor diſputat, ſimulque quaerit, num balneae naturales, thermae ſcilicet, balneis ex acidulis paratis, et deinde calefactis ſint anteponendae? vbi merito naturalibus balneis, ceteris nempe paribus, praerogatiuam praebet. Negandum tamen non eſt, balneas tam calefactas minerales, quam artefactas multum vtilitatis praeſtare; ſi rite et debito ordine adhibentur. Prouocat hac occaſione ad maiorem ſuum tractatum de balneis *Teplicenſibus*, vbi illa prolixius explicaſſet; quem tamen nondum vidimus. De frigidis balneis nunc quaedam proponit, ſimulque monet pauciſſimos, praeſertim ex noſtris Germanis, qua in re etiam Cl. SEIP aſſenſum citat, has ferre poſſe: cautelas tamen nonnullas
p. 169. adiicit, ſub quibus adhiberi poſſent. Tranſit ad balneas calefaciendas et modum determinat, quo acidulae optime calefieri debent: regulasdein addit, quae a balneantibus obſeruandae ſunt.

p. 179. Sectio *decima* de vſu diaetetico inſcribitur, vbi Cl. Auctor examinat, quid de ea conſuetudine cen-

ſen-

ſendum ſit, quando acidulae vel guſtus cauſa, vel vt remedium, quod vocant, prophylacticum, vt ſibi a morbis caueant, per longum tempus in vſum trahuntur. Omnibus autem perpenſis non dubitat quin curatio, cum his acidulis inſtituta, per multum tempus poſſet protrahi atque continuari. Vidit enim adiacentis pagi incolas has acidulas, ex defectu melioris aquae, continue et quidem a iuuentute bibere, bene valere, ſeneſcere, et a graſſantibus morbis epidemicis immunes viuere. Interea inaſſuetos monet, vt caute agant, parcaque incipiant portione, donec aſſueſcant.

Sectio *vndecima* vſum productorum, ſalis ſcilicet ſaturati, ſalis eſſentialis et balſami *Bilinenſis* docet. Sal primus vel laxandi cauſa, vt alius ſal amarus catharticus, adhibetur, vel tanquam remedium incidens et leniter egerens aliis medicamentis adiicitur. Sal eſſentialis autem a Cl. Auctore adnumeratur remediis, quae digeſtiua medicis audiunt. Quum vero alcalinae magis ſit indolis, in acidorum morbis ab eo laudatur. De balſamo nihil ſpeciale dicit Noſter, niſi quod interne et externe adhiberi queat. In appendice, huic ſectioni adiecta, ſaponis cuiusdam medicati meminit, qui ex parte remanente alcalina acidularum *Bilinenſium* et oleo, vel pingui addito paratur, et ſaponem Venetum ſuperare dicitur. In omnibus hinc medicamentis, vbi ſapo Venetus adhibendus eſt, hoc ſaponatum ſubſtituit Cl. Auctor. Veremur ne his productis nimium tribuat. p. 186.

Sectio *duodecima* continet catalogum morborum, quos vſu acidularum *Bilinenſium*, adhibitis ſimul, ſi opus, modo memoratis productis, ſanandos eſſe autumat. Primarii ſunt ardor et dolor ventriculi; alui ſuppreſſio; retentio vrinae; obſtructiones meſenterii, hepatis, lienis; humores viſcidi; vlcera; phthiſis; p. 191.

ſcorbutus; ſcabies; cachexia; podagra; tumores oedematoſi; icterus; lippientes oculi; fibrae laxae; atonia; et nonnulli morbi neruorum et q. ſ. r. Praemiſſis nunc quibusdam theſibus generalibus, quae ad curam modo dictorum morborum neceſſariae ſunt, a priori, vt ſcholae loquuntur, rationem demonſtrare conatur, qua morbos memoratos partes aquarum conſtitutiuae curari debent.

p.204. Sectio *tertia decima* cautelas quasdam neceſſarias adiicit, quae ab aquarum potatoribus et balneantibus obſeruandae ſunt. Quaedam hauſtum et conſeruationem aquarum, quaedam autem producta attinent. Reliquae communes ſunt, et a pluribus aquarum ſcriptoribus iam notatae.

p.214. Sectio *quarta decima* continet refutationem quarundam obiectionum, quae vero, quum parui ſint momenti, lectorum parum intereſt ſcire.

p.221. Sectio *quinta decima* et vltima exhibet quasdam experientias, ſeu potius hiſtorias morborum ab vſu aquarum *Bilinenſium* curatorum, quorum plurimae ex Cl. KNOCHENWEBEL obſeruationibus deſumtae ſunt. Paucas Cl. Auctor addidit.

In Appendice inuenitur index tam ſumtuum, pro lagenis et ciſta, ſi quis aquas has ſibi mittendas cupit, praeſtandorum, quam pretiorum medicamentorum ex aqua productorum, ſalium ſcilicet, balſami et ſaponati Bilinenſis.

VIII.

VIII.

CHRISTIANI LUDOVICI BILFINGERI, Med. Lic. et Reipubl. Sueuic. Iſny. Phyſic. Ord. de Tetano liber ſingularis theoretico-practicus, monumentis veterum ſuffultus, et obſeruationibus recentiorum propriisque illuſtratus, quo ſimul omnis theoria conuulſionum nouo ſchemate ſtudioſe dilucidatur. Lindauiae. impenſis Iacobi Ottonis, 1763. 4. pl. 16.

In ſeptem ſectiones Cl. Auctor librum diuidit, quarum prima genuinam tetani notionem eiusque ſpecies, ſecunda morbi ab aliis differentiam, tertia exempla aliquot, quarta ſymptomata, quinta aetiologiam ac ſedem, ſexta prognoſin, ſeptima tandem therapiam complectitur. In his Cl. Auctor, vt in praefatione adnotat, vbique veterum dogmata praemittit, ſedulo in eorum veritatem inquirit, obſeruationes recentiorum cum illis confert, tandemque ſuam demum ſententiam, reiectis quibuscunque hypotheſibus, proponit.

Tetanus autem vel *vniuerſalis exquiſitus*, vel *particularis* eſt. *Ille obrigeſcentia plenaria corporis erecti totius ſine febre acute decurrens* eſt, *hic* autem per *obrigeſcentiam partium quarundam, vel partis vnius, corporis ſine febre acute decurrentem definitur.* Inter veteres, qui de tetano expoſuerunt, prae reliquis ARETAEUM CAPPADOCEM laude dignum Noſter iudicat, ſi quidem ille adeo diſtincte ac eleganter eundem deſcripſit, vt vix vllus ambiguitati relictus locus videatur. Febris, ſi quae morbum comitatur, illa ad eius eſſentiam non pertinet, ſed malum ſolutura tantum interdum accedit. Acute morbum de- p. 8.

currere variis argumentis comprobat. Etiamſi enim interdum per plures dies protrahatur, ac proinde morbis non adeo celeriter decurrentibus adnumerandus videtur, rem probe ſi penſitaueris, facile perſpicies, tetanum, vbi lente progreſſus fuerit, nunquam eſſe aut fuiſſe exquiſitiſſimum, abindeque
p. 22. merito eundem acutis morbis adſcribendum. Variae nunc recenſentur valetudinis ſpecies; *ratione* nimirum *cauſae tetanus vniuerſalis* vel *idiopathicus*, vel *ſympathicus*, vel *ſymptomaticus*, *ratione vero celeritatis*, vel *ſubitaneus* vel *ſucceſſiuus* eſt. Ratione durationis differt ſic, vt vel vnico paroxyſmo abſoluatur, quem *breuem* aut *acutiſſimum* Noſter nominat, vel per paroxyſmos recurrat, *paroxyzans* vel *habitualis* nuncupandus. Particularis tetanus *triſmum*, *ſpaſmum cynicum*, *ſtrabiſmum* et *priapiſmum* comprehendit.

p. 26. In ſectione ſecunda, quantum tetanus et qua in re ab aliis morbis, vtpote conuulſionibus, opiſthotono et emproſthotono, catalepſi, epilepſia, motibus conuulſiuis vagis, paralyſi, rheumatiſmo fortiori, anchyloſi et rigore febrili differat, oſtenditur. Fiunt autem conuulſiones aut cum crebro motu interrupto, aut perpetuae ac permanentes aegrum tenent. Illae varias epilepſiae ſiſtunt ſpecies, hae autem, ſi rigorem membrorum comitem habent, tetanum, opiſthotonum et emproſthotonum, vbi absque rigore ſunt, catalepſin conſtituunt. Paralyſin noſtrumque morbum ea intercedit differentia, vt tetanus acutus morbus ſit, muſculis, vel muſculo rigidam immobilitatem inferat mouendique potentiam ad tempus tantum tollat, paralyſis contra lente decurrat, laxam immobilitatem inducat, mouendique vim penitus ſufflaminet. In rheumatiſmo fortiori potentia mouendi, vt in tetano, neutiquam quieſcit, ſed dolor modo impedit, quo minus hoc vel illud membrum mo-

moueatur. Anchyloſis et tetani differentiam, nec non eam huius morbi et rigoris febrilis Cl. Auctor vix tangit, cum et morbi decurſus et ſymptomatum hiſtoria diagnoſin reddant vtique facillimam.

Sectio tertia quatuor tetani hiſtorias complectitur, quarum tres priores, quod iam ab aliis deſcriptae ſint, omittendas, quartae vero, cuius Cl. Auctor ipſe teſtis fuit ocularis, ſumma momenta tradenda putauimus. Studioſum nempe philoſophiae viginti annos natum, diu iam, ob aerumnam forte incognitam, profundius meditari viſum, omnique propemodum corporis motu carentem, improuiſo dolores capitis cum nebula oculos obſcurante corripiebant, quos paulo poſt frigus, ſenſus motusque ſufflaminatio, totiusque corporis obrigeſcentia inſequebantur. Pulſus, qui ſub paroxyſmo, modo quindecim, modo triginta minuta, modo integram horam durante, erat debilis, hoc finito plenus et grauis percipiebatur. Inſultus tales viginti horarum ſpatio ſaepius bis vel ter aegrum aggrediebantur. Nonnunquam malum per ſeptimanas et menſes, quin vltimo per annum integrum aegrum non inuadebat. Subinde ſpatio inter duos paroxyſmos medio, lipothymiis aeger adficiebatur, qui hoc perfecte finito nonnunquam de inquietudine in abdomine conquerebatur. Poſt paroxyſmum ſitis accedebat, caloris breui redituri nuncius. Vltimi inſultus decies intra ſex dies recedebant, intereaque vrinam mittere in hypocauſto calido aeger non poterat, quae in frigido ſponte proſiliebat. p. 39.

Sectio quarta ſymptomata tetani continet, in quibus enumerandis ita verſatur Cl. Auctor, vt primo characterem diſtinctiuum, ſymptomata antecedentia, concomitantia et conſequentia deſcribat, poſt, ea tetani ſucceſſiui ex CHALMERII *) obſerua- p. 47.

*) vid. Comment. noſtr. Vol. VIII. P. II. p. 304. ſeqq.

ſeruationibus enumeret, tandemque, quae tetano particulari propria ſunt, ſubiungat.

p. 47. Aegrorum autem, vti multi ſunt, qui ſaepius tetano corripiuntur, antequam praeuium de ipſius acceſſu nuntium ſentiant, ſic tamen plerique ex doloribus capitis grauatiuis, oculorum caligine, lipothymiis, ſyncope, dolore circa cordis ſcrobiculum aut ſub cartilagine enſiformi, pro pathognomonico appropinquantis morbi ſigno a CHALMERIO habito, tremoribus, pectorisque et abdominis eleuationibus alternantibus morbum inuaſurum intelligunt. In paroxyſmo pro graduum mali diuerſitate, vel ipſa ſymptomata variant. Plerumque tamen aegri toto corpore rigent, maxillae firmiſſime clauduntur, fauces non modo ita ſtringuntur, vt quaeuis ingeſta per nares retrudantur, verum etiam adeo cum ipſis tonſillis indurantur, vt lapideas vtique factas credideris. Senſus, qui ſubinde remanent, interdum penitus ſufflaminantur, corpus inſtar glaciei alget, pulſus vix percipitur, reſpiratio, ſi funeſtus morbus eſt, anxia eſt atque difficilis, oculi fixi, facies, ex relationibus HIPPOCRATIS et ARETAEI, rubicunda eſt, iuxta recentiorum vero obſeruata pallet, vrina, ARETAEO obſeruante, ſupprimitur. Paroxyſmum, quem artuum iectigatio, horumque ſtupor, a ſenſu formicationis, corporis pruritu atque dolore lancinante exceptus, ſolutum nunc iri ſignificant, faucium ſiccitas, calor, mador, laſſitudo et inquietudo in abdomine plenarie victum declarant. Subinde inſultus lipothymici aegris ſuperueniunt, qui appetitum aluique conſtitutionem vtplurimum naturales habere, profundius vero ſemper meditantes incedere aſſolent, paroxyſmum quacunque animi commotione accerſentes.

p. 57. Sectio quinta cauſarum ſcrutinium complectitur. *Proxima* itaque *tetani cauſa, obrigeſcentia muſcu-*

muſculorum corporis extenſorum, paulo remotior vero cauſa, iuſto copioſior fluidi neruei in hos muſculos influxus eſt. Inter remotiores adhuc cauſas nominantur nimius rigor, neruis a natiuitate impreſſus, nerui, muſculo antagoniſtae proſpicientis, laeſio, nerui ſemidiſciſſio, ipſius fluidi neruei dyſcraſia, neruorum obſtructio, ſanguinis ſpiſſitudo, vaſorum ſanguiferorum obſtructio, vehementes animi commotiones, qualiscunque humorum deprauatio, excretionum quarumuis ſuppreſſio, materiae morboſae ad cerebrum metaſtaſis, quaecunque cerebri atque ſpinalis medullae irritatio, vermes, venena, ſaburra primarum viarum, et frigus nimium corpori admiſſum. Quid? quod ipſae regiones calidiores non parum etiam ad morbum producendum conferant.

Sedem tetani veram ſupremam partem ſpinalis medullae eſſe Noſter exiſtimat, licet non negat, caſus dari, vbi manifeſte malum ab ipſo cerebro cum medulla ſpinali communicatur. His expoſitis in cauſas ſymptomatum tetani inquirit, de cauſis tetanorum particularium aliqua commemorat, et ad prognoſin morbi, in ſectione ſexta deſcriptam tranſit, p. 81. quae pro varia temporis, cauſarum, aetatis, ſymptomatum inſimul in aegro praeſentium aliarumque rerum accedentium ratione plus minusue funeſta facienda eſt.

Therapiam tetani, in ſectione ſeptima propo- p. 100. nens Noſter, primo veterum huic morbo medendi methodum tradit, deinde propria ſua cogitata recenſet. Ad tria autem medicum in curatione morbi attendere praecipit, vt ſcilicet aliam methodum ſub ipſo paroxyſmo adhibeat, alia ratione poſt hunc ſuperatum aegrum tractet, atque tunc demum id efficere tentet, vt vel paroxyſmus plane declinetur, aut ad minimum minori vehementia aegrum inua-

dat. Sub ipſo itaque paroxyſmo ea in vſum ducenda ſunt, quae 1) motus fluidi neruei inordnatos compeſcunt, 2) ad alias partes reuulſionem faciunt et 3) quae partes ſpaſtice contractas relaxant. Inter antiſpasmodica prae aliis puluerem antiſpasmodicum KLEINII extollit, et caſus aliquot, egregiam ipſius ſpasmos ſopiendi vim illuſtrantes recenſet. Opium vſum a Cl. CHALMERIO commendatum, ob debilitatem neruorum abhinc oriundam reformidat. Succinum, quod ſpiritu vini ſumme alcoholiſato non ſoluitur, multo minus liquoribus corporis noſtri vtpote menſtruo multo debiliori ſolui autumat, abindeque vt medicamentum plane inefficax et iners reiiciendum ſuadet. Quantum vero a regulis recte concludendi in hac re Cl. Auctor receſſerit, optime intelligent, qui ſaepius debiliori menſtruo corpora ſolui norint, quae fortiori fundi non poterant.

p. 116. Paroxyſmo finito eo adnitendum, vt cauſae morbum producentes, ſuperius nominatae, remoueantur, et neruis deperditum robur reſtauretur. Quid prophylaxis exigat, paulo ſuperius dictum fuit, talia nimirum, quae paroxyſmos vel plane ſupprimant, aut ita neruos diſponant, vt minus grauiter adfecti, facilius illos ſuperent.

IX. Ver-

IX.

Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſe Maatſchappye der Weetenſchappen te Haarlem. Zesde Deels, eerſte Stuk. 1761. Zesde Deels, tweede Stuk 1762. te Harlem 8.3 Alph. 7 pl. cum 8 tabb. aen.

h. e.

Commentarii Societatis Scientiarum Harlemenſis, Tomi VI Pars I et II.

1) *Tractatio de cauſſis, curatione et prophylaxi communium morborum, quibus nautae Belgici, Indiam occidentalem nauigantes, tentantur: Auct.* SALOM. DE MONCHY *Med. Roterodamenſi.* Haec diſſertatio, quae praemium, a Societate Harlemenſi annis 1758 - 59 propoſitum, reportauit, ſtatim in limine regiones Indiae atque inſulas nominat, quae Belgarum imperio ſubſunt: S. Euſtathii, Curacao, Eſſequebo, Berbice, Surinam, atque S. Georgii del Mina in ora maritima Africae occidentali. Harum regionum temperies aeris cap. 2. ex obſeruationibus p. 12.
prolixe deſcribuntur: calor nempe intenſior ac aequabilior quam noſter, ventus plerumque eurus, aer noſtro humidior, ſaepe vaporibus foetidis grauidus, pluuia multa et continua, in Surinamenſi inſula anno 1744 ad 32 poll. rhen. altitudinem, maximam partem menſibus Aprili, Maio, Iunio et Iulio aſſidua. Poſt illa cap. 3 alimenta et cibos nautarum diſquirit, p. 23.
et variis miſtionum experimentis eorundem fermentationem coctionemque ob oculos ponit; quo facto cap. 4 morbos nautarum ſolitos explicat, a qui- p. 26.
bus ſtatim in principio eos, qui in India minus fre-

quentes ſunt, ſecernit; quorſum pertinent omnes
morbi inflammatorii, variolae, lues venerea. Ii au-
tem, quibuscum nautae conflictantur, duplicis ſunt
generis, rapido nunc et praecipiti, nunc lento gra-
du incedentes. Iſtis febres omnes putridas, tam
ſimplices bilioſas, quam malignas; his ſcorbutum
Auctor adnumerat. Febres communes putridae
plerumque in ardentibus putridis, in remittentibus
et intermittentibus, in diarrhoea, dyſenteria, cho-
lera, in febribus flauis, in ictero nigro, in morbis
autumnalibus atque aeſtiuis ſeſe exſerunt, quos
omnes, ad facilitandam tractationem et cognitio-
nem iuxta ac curam morborum iuuandam, ſub vna
aliqua claſſe generali, febrium nempe putrida-
rum communium, ſummorum ſecutus medico-
p. 35. rum exemplum, collocare inſtituit. His obſerua-
tiones et ſymptomata, morbis nautarum propria, ad-
dit; ſcilicet 1) omnes hi morbi, in regionibus et
tempeſtatibus iisdem, iſochronici ſunt; 2) inuicem
nunc coniuncti, nunc ſeſe excipientes; 3) analogici,
ſiue eiusdem indolis; 4) initio omnes iisdem ſignis
conſpicui atque phaenomenis: 5) hinc omnes ab
eadem cauſa, ſit externa, ſit interna, probabiliter
p. 45. profecti. Sequuntur ſigna horum morborum pro-
gnoſtica, quibus recenſitis cap. 5 ad cauſam eorum
proximam accedit, quam in corruptione putrida,
vel aliquam corporis partem magis minusue occu-
pante, vel per totam corporis molem diſperſa, quae-
rit. Corruptionis huius naturam conſiſtere ſtatuit
in motu humorum interno, miſtionem particularum,
e quibus conſtant, aequabilem tollente; cum inte-
rea aer, in iisdem humoribus contentus, elaſticitate,
qua antea priuatus erat, per cauſam accidentalem
reſtituta, quaquauerſum ſeſe expandit, primamque
adeo corruptionis cauſam ſuggerit. Quam ob rem
Cl. Auctor cum PRINGLE neque ſal alcali volatile
neque

neque foetorem, putrefactionis comitem, ad ipſam putredinem eſſe credit neceſſariam, ſed eam ſtatim incipere, quam primum, particulis fluidis aeque ac ſolidis ab inuicem ſeparatis, fibrae relaxantur et humores fluidiores fiunt: ſiue ea humorum mutatio ad ſtatum corporis meliorem, ſiue ad deteriorem vel ad ipſum eius tendat interitum. Quod autem iſtiusmodi putredo morborum ſit nauticorum proxima p. 49.
cauſa, id vero probare Auctor ſuſtinet 1) ex indole et viribus cauſarum remotarum 2) ex diuerſis morborum ſymptomatibus 3) ex medicaminibus aduerſus illos, nunc inſigni cum fructu, nunc incaſſum, adhibitis 4) ex anatome corporum mortuorum; quibus omnibus ſigillatim perquiſitis quintum argumentum, ab inſigni ſubſtantiarum animalium ad putredinem, ſub coelo ardente, diſpoſitione deſumtum addit. p. 56.
Capite 6 cauſas remotas, alias praediſponentes, morborum nempe ſemina, alias occaſionales, vtpote diuerſas res noxias potentiasque externas, perueſtigat. Praediſponentes plerumque habentur: 1) corporis ad corruptionem diſpoſitio naturalis 2) cauſae circumſtantes variae, conſtitutiones quibusdam hominibus propriae; v. c. quando homines, ſenio confecti, in inſula Suriname proſpera magis valetudine vtuntur, quam iuuenes; quando iuuenes, Indiam occidentalem nauigantes, morbis in itinere minus affliguntur, quam adulti; quando climatis ardentis nautae impatientes ſunt et inaſſueti: 3) ſemina febrium putridarum et ſcorbuti in corpore diu latentia, poſtea vno actu prorumpentia; 4) relaxatio partium ſolidarum et ſolutio fluidarum in quibusdam corporibus, quae ideo febribus iſtis praecipue ſunt obnexia. 5) Quaedam corporis affectiones prauae, ſtatusque deprauati ab aliis iamiam profecti morbis.
In rebus externis et potentiis noxiis numerat Cl. Auctor 1) aeris varietates eiusque effectus in corpus hu- p. 70.

manum

manum; vapores nempe in aere foetidos, exhalationes tum in nauibus, tum in littore Indiae occidentalis paludoſo, corruptionem aeris per neglectam renouationem, continuam ventorum diu noctuque, neceſſariae refrigerationis cauſa, reciprocationem, 2. eſculenta nautarum ſiue cibum, quem longo numero percurrit; 3. potulenta, praeſertim aquam, per climatis aeſtum plerumque corruptam; 4. mercurium cum remediis terreſtribus abſorbentibus, noxios perſaepe effectus producentibus; 5. laborem nautarum continuum, motum corporis perpetuo moleſtum, et vigilias crebras; contra autem 6. nimiam quietem et ſomnum claſſiariorum in nauibus bellicis frequentem; 7. triſtitiam curamque animi; 8. aluum coactam et duram; 9. tranſpirationem inſenſibilem impeditam, ſudorem modo repreſſum, modo, id quod vltimo loco affert, nimium et va-
p.102. rium. Ex his tandem primae quaeſtionis parti facturus ſatis colligit: morbos nautarum ad Indias occidentales nauigantium non eſſe febres vulgares inflammatorias, ſed febres acutas putridas, malignas,
p.104. et ſcorbuticas. Nunc ſanationem illorum cap. 7. partim morbo funditus euerſo plenam, partim cauſas tollendo et alleuando potiora eius ſymptomata, minus plenam pertractat. Quo radicitus expellatur morbus, curandum eſt, vt materia acris peccans per ſanguinis miſſionem, per emetica, per purgantia aut per media ſudorifera eiiciatur; vt humores, remediorum ope ab Auctore longo numero prae-
p.120. ſcriptorum, corrigantur: videlicet vegetabilium, mineralium, ſalinorum ex ſale, nunc acido, nunc alcalino, aut neutro confectorum, aromaticorum, adſtringen-
p.130. tium, aliorum, ex quibus omnibus vnum corticem peruuianum et ſuccum aurantiorum citrique, vt ſpecifica maximopere, diutina teſte experientia, com-
p.137. mendat; porro vt ſpiritus vitales ſuſtententur erigan-

ganturque, id quod ſalubri cibo et potu, cuius ratio- nem deſcribit, praeſtari optime poteſt. Quomodo p.143. cauſis obuiam itur, quomodo ſymptomatum vis mi- nuatur, Auctor ſub finem huius capitis fuſe oſtendit. Medicamenta prophylactica, de quibus cap. 8 agit, diuiduntur in ea, quibus, ne ſani malo afficiantur, p.156. cauetur, atque in ea, quibus ne in morbum, ex quo conualuerunt, eundem aut grauiorem recidant, pro- uidetur. Quem in finem remedia tum interna, tum externa adhibenda ſunt; videlicet vt aer in nauibus ſaepius repurgetur reficiaturque; vt effectus aeris humidi et alternantis cum frigore caloris ab nauta- rum corporibus, quantum fieri poteſt, arceantur; vt in qualitate et quantitate cibi potusue potior ſa- p.162. nitatis habeatur ratio; vt ſecretiones naturales con- p.164. ſeruentur, promoueantur; vt remedia praeſeruan- p.178. tia ſaepe adhibeantur; vt modici ſint corporis mo- tus, animi hilaritas, reliqua —

2) *De populisqui Belgiam antiquitus et coluerunt* p.186. *et inhabitarunt*, *ſpecimen* LEONARDI OFFER- HAUS.

3) *Tractatio ſuper cauſis variarum in recens natis* p.235. *infantibus herniarum. Auctore* PETRO CAMPER. Auctor cauſas herniarum ſcrutatus innumera infan- tum recens natorum et adultorum hominum cada- uera, felici omnino veram herniarum cauſam ingui- nalium detegendi ſucceſſu, diſſecuit. Cuius operam vt breui complectamur tabula, ſequentia memorare lubet. Infantes, ſtatim atque naſcuntur, meatum ver- p.242. ſus teſtes habent, ſiue ductum aliquem apertum, qui a peritonaeo efficitur. Hunc GALENUS Adm. Nat. L. VI. c. 13 adcurate deſcribit. Videlicet, pe- ritonaeum eo, quo vaſa exeunt ſeminalia, loco ro- tundam efformat aperturam, circa quam ſeſe collo angu-

anguſto per annulos protendit, ſacculum formans diuergentem et vaſa ſpermatica cum ipſo teſte ambientem. Itaque meatus hic ab ipſo peritanaeo, aut ab aliqua eius tunica producitur, et licet a GALENO propago peritonaei appelletur, nequaquam tamen proceſſus eius, quemadmodum recentiores ple-
p.255. rique affirmant, haberi debet. In infantibus, ſtatim ac nati ſunt, naturaliter reperitur eum quidem in modum, vt vaſa ſpermatica vaginae inſtar circumdet, quae ſucceſſu temporis intra abbdomen concreſcit, relicta in concretionis loco cicatrice, aut macula corrugata admodum euidente. Quae quanquam ſic ſaepe vagina creſcit, fit tamen perſaepe, vt, propter partium in infantibus tenuitatem, teſti non accreſcat, vt potius aperta maneat, viamque inteſtinis patentem relinquat, per quam delabi et formandae herniae naturalem poſſunt nanciſci occaſionem. Obſeruauit Auctor hunc meatum ſiue vaginam, in ſiniſtro inguinis latere citius concreſcere quam in dextro, ideoque hernias in hoc frequen-
p.263. tiores eſſe. Sub finem addit, iſtum meatum naturae in formandis partibus infantis maſculi genitalibus opus aliquod neceſſarium quidem eſſe, ſed naturam, vbi occluſus tempore natiuitatis nondum eſt, iſtud ad finem non perduxiſſe, ſed imperfectum reliquiſſe.

p.266. 4) *De propagatione bufonis americani ſeu Pipae, commentatio* PETRI CAMPER. Animalium generatio, ſicuti multa oculis noſtris ſingularia exhibet, ſic obſeruatores in admirationem raptos haud raro decipit. Simile quid in Pipa Americae occurrit, quae ſobolem videtur in dorſo, tanquam in vtero, excludere, atque hinc naturae ſcrutatoribus omni tempore ſuper explicanda eius generatione multum negotii faceſſiuit: id, quod exempla RUYSCHII, VINCENTII,
p.270. SEBAE ſatis docent. CAMPERUS accepit an. 1758 Pipos

Pipas ſeu bufones Surinamenſes duo, altrum ouula, altrum ſobolem iamiam viuam in dorſo ferentes. Quam occaſionem quum nollet fruſtra ſibi oblatam eſſe, abdomen animalis diſſecuit, et remotis viſceribus oblongam ſtatim deprehendit veſicam, pone eam inteſtina, poſt illa vaginam atque vterum ancipiti cornu, vt duobus tubis, inſtructum. Is multis plicis et rugis, inteſtinorum inſtar, duplici peritonaeo adplicatus iuxta lumbos ſurſum ſenſim ſenſimque anguſtior decurrebat. Porro infra pulmones, vbi nempe finiuntur, inter pericardium et aliquam duplicati peritonaei plicam euidens ſatis orificium, conſpiciebatur. Ouaria multis ouulis nigris et ſubflauis contecta ſurſum plane excurrebant, nouaque in iis formari ouula videbantur. His ita conſtitutis Auctor concludit, propagationem Pipae non multum ab generatione ranarum et bufonum Europaeorum abludere: in qua ſententia, lectis SWAMMERDAMII ſuper ranarum generatione obſeruatis, apprime confirmatus fuit. Vnicum diſcrimen, quod p.273. in genitalibus Pipae et bufonis noſtri reperit, hoc videtur eſſe, vt vterus bufonis noſtri ſtatim a principio diuiſus, Pipae autem indiuiſus excurrat. Ex hac conuenientia porro argumentatur, ranas atque bufones in omnibus terrae locis eiusdem eſſe generis animalia, non niſi in ſpecie aliqua diſcrepantia, et generationem eorum, ſimili vbique ratione, ſequentem in modum fieri, ſcilicet ouula, vbi maturuerint, ex ouario in cauitatem ventris delabuntur, et ope pulmonum, qui totum quippe ventrem implent, aere inflatorum quaquauerſum, adeoque nonnulla verſus orificia tubarum premuntur, illas intrant atque ſic ſingulatim in vterum deferuntur colliguntурque, donec tempore coitus per ventris muſculos exprimuntur. Noſtri bufones ſic eiecta atque abiecta ouula derelinquunt, quae per calorem

rem ſolis excluduntur; at Pipa Americae in dorſi cauitatibus ad excluſionis vsque tempus ea ſecum fert, atque ſobolem in ſacculo, prorſus vt glis facit ſylueſtris, ſecum circumlatam nou prius deſerit,
p.277. quam alimenta ſibimet ipſa conquirere poteſt. In fine nonnulla de bufonum auditu, de eorum lingua et victu ſingularia eleganter diſſerit.

p.285. 5) *Obſeruatio tranſitus Veneris per ſolem d. 6 Iunii 1761. Hagae comitum inſtituta, cum adcurata eius tam generali quam particulari delineatione: Auctore* D. KLINKENBERG.

p.317. 6) *Examen ſuper aetate quae maxime inſertioni variolarum conuenit; per* D. MATY. Solet aetas inſitioni variolarum conueniens vtplurimum conſtitui ab anno vitae quinto, ad triceſimum vsque quintum. Etenim primis a natiuitate annis ad inſitionem homo putatur nimis debilis; et poſtremis vitae annis commoda inſertionis nimis videntur exigua. Auctor e contra hic probat, variolarum implantationi quamlibet quidem hominis aetatem conuenire, proximam tamen a natiuitate ei conuenientiſſimam eſſe. Ii, qui aetatem triginta annis maiorem inſitioni non amplius accommodatam eſſe praetendunt, dicere aſſolent, morbum hac aetate cum periculo maiori coniunctum, ipſam autem aetatem adultiorem variolis minus ſubiectam eſſe; in qua ſententia
p.330. contradictionem inesse Cl. MATY arbitratur. Quodſi perniculoſior eſt, inquit, morbus adultiori aetate, auxilium, profligandi eum, eo optatius eſſe debet. Quin ſi aetas adultior variolis minus eſt ſubiecta, cur inde periculi aliquid, aut caſum times? Quae cum ita ſint, Auctor, partim experientia ſuper variolis adultiori aeuo inſertis facta, partim argumentis docet, aetatem prouectiorem huic operationi

rationi

rationi non aduerſari. Namque ex 110 hominibus, qui implantari ſibi paſſi ſunt variolas, duo tantum, minus prouida cura, mortem oppetierunt, ceteris ex operatione feliciter refectis. Porro ex 66 hominibus propemodum quadragenariis quatuor tantum ſuccubuerunt, quod iam variolis naturalibus ante inſitionem infecti erant. Quod ad argumenta attinet, adultiorum inſertioni obſtare videntur: partium ſolidarum rigor, fluidarum ſpiſſitudo, debilis humorum circuitus, hinc cutis craſſior, ſanguis tenax, vis vitalis ſuppreſſa, vaſorum minimorum obſtructio cet. ex quibus Auctor concludit adultiores admonendos eſſe, ne in eiusmodi corporis ſtatu variolarum periculum naturalium expectent, ſed facta inſitione, et corpore ſubinde rite praeparato, prudenter euitent. Secunda huius ſcriptionis parte Auctor computum eorum inire ſtudet, qui vergente aetate a variolis correpti Londini mortui ſunt, quorum quum numerus intra paucos annos valde creuerit, pro vtilitate inſertionis grauiſſima inde deducit argumenta et obiectiones, hinc inde occurrentes, ſolide deſtruit. Vſus Auctor eſt ſtylo eleganti multo ornatu et dictionis grauitate conſpicuo. p.338.

Relationes miſſae ad Scientiarum Societatem. 1) *De inſigni in conſtruendis barometris emendatione relatio* PETRI EISENBROEK. In conſtructione barometrorum id commune incommodum obuenit, vt, quantum variatio altitudinis mercurii in tubo, ab ea, quae in bulbo ſ. in vaſculo fit, differat, non accurate ſatis poſſit animaduerti. Cui vt medelam afferat, Auctor in praeſens potiſſimum ſtudet. Obſeruauit nempe, altitudinem mercurii ſuper aliquo plano horizontali effuſi, ſuaque inſita grauitate defluentis, ſtatam aliquam menſuram, vnius circiter lineae, ſemper retinere, modo totus mercurii effuſi ambi- p.353.

tus dimidium pollicem non excedat. Itaque conſtruxit vaſculum quadrangulare, parallepipedum, tres pollices longum, duos latum, atque $1\frac{1}{2}$ lin. rhen. profundum, quod ſubtus anguſtius, ad parcendam mercurii copiam, volumen habet. Huic vaſculo immittatur tubus debitae longitudinis, vt mercurius in eo deſcendere et aſcendere commode poſſit; v. c. 34 aut 35 poll. rhen. Quo, ſolitum in modum vaſculo immiſſo, videbis mercurii in vaſculo altitudinem per aſcenſum atque deſcenſum eius in tubo haud quaquam mutari, ſed ſuperficiem, pro ratione altitudinis mercurii in tubo, maiorem, minorem repleri atque obtegi.

p.358. 2-4) L. S. DE CREUTZNACH, rei tormentariae belgicae praefecti, Triga relationum, in quibus varia artificia atque arcana foras dantur. 1) *Praeſcriptum, quomodo vaſa ferrea, fracta, foraminoſa aut rimas acta ſic rurſus poſſint couniri et conſolidari, vt ſiue igni, ſiue aeri, ſiue aquae expoſita multoties alio, quam coniunctionis, loco diffrangantu;* 2) *duplex compoſitio ad lapides quosuis, ſiue ſint in aedificiis, ſiue in eorum cauis ſiue in fontium ſalientium receptaculis, ſic conſolidandos coniungendosque, vt vel ſupra vel infra aquam repoſiti nunquam diſſiliant, aut disiungantur.* Hoc Auctor praeſtat per lithocollam, cuius compoſitionem iuxta ac vſum exacte deſcribit. 3) *Arcanum, ad fiſtulas bellicas, ſclopeta longiora breuioraque ſic praeparanda, vt globulos in longiſſimam diſtantiam iaciant.*

p.367. 5) IOSUAE VAN IPEREN *ad Secretarium ſocietatis epiſtola, in qua ſingularem ſcorbuti, per ſcabiem humidam ſanati, caſum enarrat.* Duo homines ſcorbuto, et alter inſuper fiſtuloſo vlcere, infecti ſingulari plane modo ſcabie humida corripiebantur; quo

facto

facto ſcorbutus et vlcus fiſtuloſum ſenſim ſenſimque penitus euaneſcebant. Ex quo Auctor colligit, primo ſcabiem, variolarum inſtar, implantari multisque per eam grauioribus eiusdem ſpeciei ſymptomatibus iri obuiam poſſe; ſecundo ſcabiem non eſſe, niſi actuoſam exhalationem et euaporationem ſcorbuti, ſiue acredinis, quae ſub ſcorbuti nomine ſolet expelli.

6-7) *Obſeruationes meteorologicae, factae in itinere maritimo, Groenlandiam verſus atque fretum Dauidis, ad Societatem ſcientiarum miſſae per* PETRUM CRAMER. p.374.

8) CAR. DOERFEL *Continuatio obſeruationum meteorologicarum in inſula Curacao factarum* *). p.397.

9) Eiusdem *obſeruata circa morbos in inſula Curacao paſſim graſſantium.* Menſe aprili febres malignae frequentes fuerunt cum variis exanthematibus coniunctae et cum tuſſi humida finientes. Multi homines rheumatiſmis, odontalgia, tuſſi, arthritide corripiebantur. Plerisque ex febri maligna emergentibus menſe maio capilli defluebant. Menſibus ianuario atque februario anni ſequentis variolae aliunde aduectae non vbiuis nec diu obſeruabantur. His Auctor medicamenta ſubiungit, quae in enarratis morbis proficua fuere. p.408.

10) *Relatio de graui veſicae vulnere, quod nauta, ex altitudine 5 pedum decidens, cultro per glutaeos in ipſum corpus et veſicam adacto, accepit, quodue feliciter ſanatum fuit per* THOMAM BAKER. Hocce vulnus, ſine vllo accidente ingrato phaenomeno, intra menſem percuratum eſt. p.417.

S 2 11) *Re-*

*) Initium vide Comment. Societ. Scient. T. IV. p. 315.

p.421. 11) *Relatio de cometa anni 1759 Batauiae obſeruata, a* PETRO HERM. OHDEM.

p.436. 12) *De inſigni ouariorum degeneratione, ad Societatem relatio* C. A. KLOEKHOF. Femina tertio, poſtquam matrimonium infoecundum contraxerat, anno, tumorem vteri et abdominis ſentiens, grauida primum putabatur; deinde quum in abdomine mobilis quaedam maſſa, ſiue moles, ſeſe proderet, inſuperabiles dolores atque cruciatus ſuſtinuit, quibus tandem d. 10 Iunii 1757 mortem oppetiens ſuccubuit. Diſſecto corpore in medio ventre ſiniſtrum ouarium in rotundam, glabram, et ſolidam maſſam, 170 vnciarum pondere atque ſub eo, paulo ſupra peluim, dextrum ouarium in aliam eiusmodi maſſam, vnciarum pondere duodecim, degenerata deprehendebantur.

p.439. 13) *Exemplum ex duabus epiſtolis* I. DE ZOLLIKOFER, quod mutationem auenae in ſecale noua experientia comprobat. Id, quod Auctor hoc loco ſuggerit, licet experimentis, quae ſuper frumenti in diuerſas ſpecies commutatione facta ſunt, penitus congruat, inprimis aptum eſt, vt res extra dubium ponatur, quam multi inter fallacias phyſicas et vana deliramenta referunt. Cuius rei quamuis poſſibilitatem perſpicere adhuc non datur, exſiſtentiam tamen negare non poſſumus.

14) Vir *Cl.* I. F. DRYFHOUT in quadam ad Societatem epiſtola refert, filiam ſuam aeque ac filiolum, quibus variolae abs ſe inſertae erant, ab hoc morbo annis ſequentibus Hagae Comitum crudeliter graſſante, plane immunes fuiſſe. Et hac occaſione, ſuam repetit ſententiam: non opus eſſe, vt in variolis, ſiue naturalibus, ſiue inplantatis, puſtu-

lae

lae aut alia in cute viſibilia ſeſe exanthemata prodeænt, ſed poſſe morbum hunc, per inſenſibilem tranſpirationem aliasque ſecretiones naturales, viam ſibi quaerere atque ſic ex aegroti corpore ſine exanthematibus egredi.

14) *Obſeruationes meteorologicae Swanenburgenſes.*

Iam ad ſecundam huius tomi ſectionem accedimus, quae ſequentis tractationes ſuccincte nobis commemorandas, continet. Sect.II.

1) *De diſcrimine ſeri in hydrope, et curatione pro illius ratione inſtituenda, obſeruationes* G. A. KLOEKHOF. p.451.
Serum, quod in anaſarca caua celluloſa replet, vel aquoſum eſt, vel glutinoſum, nempe per ignem et calorem fluiditate exutum ſua, in gelatinam concreſcens, id quod experientia et rationibus probari poteſt. Pariter in aſcite ſerum eſt vel aquoſum, vel gelatinoſum; prius obtinet, ſi renes atque veſicam tranſiit, aut per ventriculum inteſtinaque in abdomen delatum eſt. Poſterius per rem ipſam euincitur, quando ſerum ex abdomine detractum, igni aut aquae ebullienti admotum, in gelatinoſam ſubſtantiam abit. Hoc ſerum, ex ventre detractum, colore eſt liuido, cinereo aut fuſco, valde ſpumas agens, viſcoſum et paulo tenacius ſaponaceo, praeſertim quando ſub finem detractionis effluit. Attamen vtriusque ſpeciei ſerum tam in tunica adipoſa, quam in abdomine et veſica ſimul, atque ita ſibi iuncta, adeſt, vt aliqua eius particula per ignem concreta, in reliqua maſſa fluida hinc inde circumnatet. Serum aquoſum hydropi tunicae adipoſae proprium eſſe ſolet et per ventriculum, renes, inteſtina immo per poros cutis educi poteſt; cum e contrario Auctor ſeri gluti-

noſi, per haſce vias educti, nullum vnquam exemplum viderit, licet experientia docuerit, iſtud ſerum ex aliquibus contextus celluloſi partibus affectis in aliam propinquam partem, externa preſſione aut medicamentis, non ſine aegrotorum incommodo deduci

p.455. quidem, ex ſanguine autem, per eius attenuationem et in ſubſtantiam tenuiorem commutationem, abduci vix ac ne vix quidem poſſe. Namque ſerum glutinoſum in abdomine neque per orificia vaſorum ſanguiferorum abſorbetur, neque, ſi vel maxime attenuatur et diluitur, per vaſa iſta ad ſanguinem regreditur, ſed integro anno in abdomine incluſum manet gelatinoſum et ad corruptionem putredinemque inteſtinorum multum confert.

p.458. Circa aſcitem auctor ſequentia obſeruat: 1) ſerum aquoſum ex contextu cellulari generatim, et 2) ſpeciatim ex contextu circa abdomen, immo forte 3) ſubtilior ſeri gelatinoſi pars aquoſa per vias antea dictas educi poſſunt; 4) primae viae euacuari et 5) totum corpus marcidum reddi poſſunt. Hoc modo aliquod mali alleuamentum, ventris extenuatio, et apparens correctio quidem emerguntur, ſed ſerum glutinoſum nihilominus in abdomine eadem quantitate et qualitate remanet. Ex dictis Auctor colligit in hydrope celluloſi contextus a ſero glutinoſo profecta, remedia diuretica, purgantia, frictionem fomentationemque, non aeque eſſe proficua, quam in hydrope, quae ab ſero aquoſo ibidem producitur. Horum enim remediorum ope hydrops ex parte cutis infecta in nobiliorem aliquam corporis partem maiori cum periculo ſaepe defertur. Similiter omnia purgantia atque diuretica, ſicuti omnia ea remedia, quae ad euacuationem per renes et inteſtina tendunt, in aſcite inutilia, quin imo periculi plena ſunt.

p.460. Quo in loco ſententiam MEADII, inciſionem ſupra os malleoli vsque ad contextum cellularem hydropicum, ad ſanandum ipſum aſcitem commen-

dan-

dantis, eatenus tantum, quatenus aſcites ab ſeri prorſus aquoſi extrauaſatione dependet, veram iudicat. Namque ſerum glutinoſum ex pinguedine cutis, aut ex abdomine non aliter, niſi illic per naturalia aut artificialia cutis orificia, hic per detractionem ipſam, abduci poteſt. E quibus nunc concludit Auctor, ſerum ventris aquoſum ab humoribus aquoſis oriri, qui ex orificiis vaſorum arterioſorum debilitatorum egreſſi atque ſeparati, per venas rurſus abſorberi nequeunt; quorum quidem vaſorum debilitas medicaminibus internis interdum tollitur: ſerum autem ventris glutinoſum ex ruptis vaſis ſeroſis prouenire, quae ſtillare nunquam deſinunt, proſus vt in fundo vlceris externi, vaſis ſeroſis disruptis et continuo ſtillantibus remedia applicari non poſſunt.

Cum igitur cognitio ſeri in hydrope tanti ſit momenti, neceſſe eſt, vt in ea curanda qualitas ſeri primo loco diſpiciatur. Quod quo rectius fiat, Auctor praeuios quosdam characteres hydropis explicat, quos repetere non ingratum erit. Examinato ſero, vel ex adipoſis ductibus vel ex abdomine detracto, facilis coniectura eſt, reliquum, mox de nouo in partibus infectis collectum, eiusdem qualitatis fore atque naturae. Porro, ſi ſerum remediis purgantibus et diureticis ſiue per ventriculum, ſiue per inteſtina, ſiue per renes abduci poteſt, probabile eſt, eſſe aquoſum; id vero, quod his remediis haud quaquam cedit, ſed ſola detractione tollitur, videtur gelatinoſum eſſe: modo caueatur, ne tumoris in parte affecta ſenſibilis ſubſidentia, aut apparens aliqua extenuatio pro vera habeatur ſanatione. Si ſerum in aliqua membranae adipoſae parte tam fluida eſt, vt cutis leui preſſioni cedat, vtque tumor tenui frictione ſenſim ſenſimque aut omnis aut maxima ex parte euaneſcat, colore cutis interim p. 462.

 ſano

ſano et calore naturali exſiſtente, id recte pro aquoſo habetur; his autem remediis adhibitis, quando durities quaedam in membrana adipoſa obſeruatur, cum colore cutis liuido et lurido, ſerum, ſaltim hinc inde, gelatinoſum eſſe coniicitur. Collectio ſeri in abdomine lenta, ſine praecedente membranae adipoſae generali aut ſpeciali pedum tumore, ſine mutatione vrinae, ſine ſiti et coloris in facie mutatione, ſerum
p.466. glutinoſum indicat. Addit Auctor, eadem ſigna, quo ſerum in aſcite diſcernitur, valere etiam ad illud in reliquis corporis cauitatibus, vt in hydrocephalo, in hydrocele, diſcernendum atque ſanationem inde pro diuerſa ſeri qualitate dictis modis inſtituendam eſſe.

p.469. 2) *De aetate variolarum inſertioni maxime conuenienti* ſecundum diſſerit, Cl. MATY, poſtquam ea de re, in prima huius ſcriptionis parte generatim dixerat. Hoc loco ſuaſor eſt, vt inſertio primis ſtatim a natiuitate menſibus, ſi nihil impedit, ſaltim ante dentitionem ſuſcipiatur. Namque, cum Cl. TISSOT atque KIRKPATRIK, infantes cum certa quantitate huius per ſanguinem diſperſi veneni naſci ſtatuit, cuius vis cum aetate et ſanguinis aucta maſſa continuo ingraueſcit. Itaque inſertionem in infantili aetate inſtituendam conſtitutio ſanguinis ipſa, ſimplicitas victus, humorum minor corruptio, aptitudo et procliuitas ad quietem et ſomnum, abſentia imaginationis adeoque timoris, multum iuuant. Si praeparationem corporis ſpectamus, optime ea ab natura ipſa iam eſt inſtituta et arte faciliime perfici ſic poteſt, vt ex inſitione nullum ſit metuendum malum. Cutis nempe mollis eſt et tenuis, fluiditas humorum optima per aequabilem et puriſſimum victum adiuta; adeſt ſimplicitas in vitae operationibus; per vaſa, quibus humores ad extremas corporis partes apte et celerrime deuehuntur, libera via; et ſic porro. Quando infantem iam per ſe innumeris periculis et cruciati-

bus

bus ſubiectum, neque nouis opus eſſe, obiicitur: reſpondet Auctor, eam ipſam ob cauſam, vt periculorum multitudo aeque ac grauitas auertatur, inſertionem nimis accelerari maturarique nunquam poſſe. Ceteras difficultates hoc ipſo in loco ſimiliter remouet p.482. v. c. debilitatem et ſenſibilitatem ſyſtematis neruei inſertioni non obſtare, neque motibus conuulſiuis occaſionem dare; item in infantibus ante dentitionem morborum accidentia timenda eſſe, quae inſertionem ſine dubio comitantur; item infantibus, ſi forte mali quidquam per inſitionem acciderit, remedia nec commode applicari nec dari poſſe; refellit item obiectionem, qua inſertionem non ante, ſed poſt primum vitae quinquennium, inſtituendam eſſe, immo illam, qua vnam partem familiae, alterius ſeruandae cauſa, data opera periculis ipſiue neci obiici, ſtatuitur; atque ſub finem concludit infantilem aetatem variolarum inſertioni maxime conuenire.

3) Eiusdem *examen ad determinandam aetatem eorum, qui Londini quotannis a variolis correpti, moriuntur.* Haec Auctoris diſſertatio, vt p.500. antecedens, ex gallico in belgicum conuerſa ſermonem eſt, eodem, quo illa, dicendi genere graui et ornato conſpicua. Nempe in ea vlterius confirmat, quae in priori de infantili aetate, inſertioni conuenientiſſima, dixerat. Si ex mortuorum morborumque allato indice ſumma eorum, qui, cuiuslibet aetatis homines, variolis annuatim Londini correpti et mortui ſunt, in vnam colligatur, perſpicitur inde 1) quod dimidia eius pars ex infantibus nondum p.508. quinque annos natis, octaua ex pueris quinque ad decem vsque annorum, quarta circiter ex hominibus viceſimum vsque ad triceſimum annum agentibus; et decima pars ex ſexagenariis conſtet; 2) quod tertii vitae decennii homines, videlicet qui annum viceſi-

mum vsque ad triceſimum agunt, per variolas in multo maius vitae diſcrimen adducti fuerint, quam qui aut ſecundum aut quartum decennium vixerunt; 3) quod, qui quartum decennium egerunt, ab variolis plerumque immunes fuerint: ſiue quod variolae hac aetate minus malignae ſunt, ſiue quod homines tricennales eorum infectionem magis cauent et proſpiciunt. Praeter ea Auctor Cl. multas obſeruationes practicas immiſcet, quae neceſſitatem inſitionis, prima ſtatim infantia ſuſcipiendae, omni dubio maiorem faciunt.

p.516. 4) *De interſectionibus murorum* (profil) *tractatio* N. YPEY.

p.543. 5) *De hydrope ouarii apud feminas*, *Auct.* I. VAN DER HAAR. Diſſertatio haec, quae ſatis ampla eſt, in quatuor partes eſt diſtributa: primum de ouario, vbi hoc morborum genus quandoque reperitur, breuis occurrit deſcriptio; deinde ortus, progreſſus, ſymptomata et ab aliis huius morbi diſcrimen enarratur; poſt ea de eis, quae ex hoc morbo conſequuntur, exponitur; tandemque remedia inſtaurandae valetudinis cauſa adhibita indicantur.

Vtrum cauſa hydropis nominati, vt quidam exiſtimant, in corruptione aliqua l. ouulorum l. hydatidum quaerenda ſit, adhuc dubitatione non caret. Coniunctam tamen eſſe cum ouuulorum cor-
p.551. ruptione degenerationem hydatidum et ſubſtantiae ſpongioſae, largiendum eſt. Nec indubia res eſt, ſi in ortum et originem huius mali inquiramus. Quod in ouario contingat perpetuo ingreſſus, ſecretio et regreſſus humorum, a nemine in dubium vocatur. Ingreſſus, regreſſusque humorum ouarii partes conſeruant; in ſecretis itaque humoribus, quorum regreſſus cauſa quadam incognita impeditus eſt, hydro-

hydropis origo et ortus quaerendus erit. Sunt quo- p.553.
que indicia et ſymptomata nominati morbi ſaepe incerta et non ſatis definita. Plerumque eius praeſentiam durities aliqua, cum dolore pungente interdum coniuncta, paullo ſupra os pubis ſiniſtro aut dextro latere indicat. Mox difficilis eſt vrinae miſſio, mox veſica vrinaria a tumore valde creſcente ita premitur, vt aegrota paucis interuallis vrinam mittere cogatur. Quarundam feminarum hoc morbo laborantium menſes continuant, apud alias vero ceſſant.

Haec prima quaſi eſt morbi periodus, in altera p.559.
morbus longe difficilior apparet. Creſcente enim tumore non ſine dolore adiacentia inteſtina et veſica vrinaria magis magisque comprimuntur, inde impeditus motus periſtalticus, diſpepſia, extenuatio, reſpiratio anxia et difficilis, ſitis cet. Membrana tumoris initio tenuis eſt, poſtea vero ſenſim craſſior euadit. Diſſecto eiusmodi feminae corpore, caute tamen, ne tumor laedatur, ſitus et cohaeſio eius cum aliis partibus, inprimis vtero, et expanſio eius diuerſimode in conſpectum venit. Diuerſus quoque p.567.
eſt humor ipſe, qui tenax, glutinoſus, interdum albus, viſcidus, purulentus; quo maior eſt tumor et antiquior, eo limpidior conſpicitur materies illa, quae tumorem implet. Cl. Auctor aperuit eiusmodi tumorem atque centum prope libras materiei limpidae obtinuit, hydatides vero paucas l. plane nullas inuenit. Tumor plerumque ſiniſtro vteri latere annexus eſt. Quandoque plures in ouario tumores conſpiciuntur. Sunt docti viri, qui hoc p.570.
morborum genus hydropem peritonaei, alii hydropem tubarum appellent; maxime tamen vt et tympanitis et hydrops vteri a hydrope ouarii differunt.

Quae interne aduerſus hunc morbum adhiben- p.578.
tur remedia, raro curandi aliquam vim habent; ſic

reſol-

reſoluentia, purgantia quaeque nullam vtilititatem praeſtare ſolent. Quae in vniuerſum omnia, de quibus hactenus dictum eſt, exemplis maximam partem ex aliis praeſtantiſſimis auctoribus ſumtis declarantur. Nec paracenteſis indicationi medicorum aliquo modo ſatisfecit, quoties enim adhibita fuit, mors vel ſubitanea vel lenta eſt conſecuta, vt ex exemplis conſtat, quae Cl. Auctor mira ſedulitate collegit, morbum eſſe inſanabilem confirmantibus; e quibus conſecutiones aliquas deduxit.

p.628. 6) *Diſſertatio de fractionum dignitatibus diſtinguendis, vtrum finitae, an infinite magnae aut paruae ſint, quando eorum ſiue numerator ſiue denominator ſub certa determinatione euaneſcant; Auct.* I. F. HENNERT, *e latino ſermone translata per* I. I. BLASSIERE.

p.676. 7) *Obſeruationes ſuper morbis chronicis eorumque remediis, quibus nigri Guineenſes vtuntur, Auct.* D. H. GALLANDAT. Vrbs, cui nomen *la Hoe*, *Hau* ſ. *How*, facile princeps in terris Guineenſibus, partim ob incolarum multitudinem, partim ob mercaturam, quae in his terris ſuo genere florentiſſima eſt, minus tamen Europaeis cognita, piratarum cauſa, qui nauigantibus inſidiari vehementer ſolent. Accidit tamen, vt Cl. Auctor velut primarius in naue aliqua Hollandica chirurgus conſtitutus, littora petendi nactus fuerit opportunam occaſionem, viſendique vrbem atque confabulandi cum medicis iſtis gentilibus. Nil magis, quam eorum modum curandi morbos chronicos v. c. maraſmum, morbum hypochondriacum, rheumatiſmum cet- miratus eſt. Remedium inſtaurandae valetudinis in operationis genere, quod *emphyſema*
p.681. dicitur conſiſtit. Medici enim illi adhibitis, quae poterant, remediis ſine optato tamen effectu, incidunt

dunt cultello per cutem ad membranam celluloſam vsque, inſinuant fiſtulam, tantumque aeris in cellulas paniculi adipoſi, quantum neceſſarium eſſe putatur, inflant; vulnus emplaſtro ex reſinoſis et gummoſis conſtante, clauditur. Aegroto potionis genus porrigitur ex pipere Guineenſi, ſucco limonii, frumenti ſpiritu et alio ſucco quarundam plantarum parato; tum ad currendum ita cogitur, vt ſudor magna copia ſtillet. Quiete poſtea per aliquot dies fruitur, vbi ſingulis diebus nominatae potionis doſin accipit. Inflatio aeris, quae facta erat, ſenſim euaneſcit et aegrotus euadit.

8) *Summa epiſtolae ad Secretarium ſocietatis miſſae, vbi de eadem apud nigritas curandi ratione diſſeritur. Auct. eodem.* In hac epiſtola omnia confirmantur, quae ſupra de aeris inflatione in membranam celluloſam apud nigritas iam tradita ſunt. Accedunt obſeruationes, a viro Cl. NEGRE, medico Middelburgenſi, cum canibus ſuper hac re ex voto inſtitutae. p.688.

9) *Relatio de ſuffocato, in aqua ſectione venae iugularis reſtituto, Auct.* G. TEN HAAFF. Vir quidam, e naue in aquam delapſus, iam ſubmergere incipiebat, aqua tamen explorata, corpus ſine laeſione aliqua externa extractum et in malo nauis pedibus ſuſpenſum eſt. Aqua e ventriculo profluebat, nullum tamen vitae indicium fuit conſpicuum, fragmentum fiſtulae ad ſugendum tabaci fumum in anum inſeritur, aer intruditur, ſine effectu tamen. Vena tandem iugularis ſecatur. Sanguis primum p.702. guttatim egreditur, deinde maiori copia proſilit. Vitae indicia ſcil. reſpiratio et pulſus ſe manifeſtant, ac poſt aliquot temporis momenta vir clamando vitam eſſe reſtauratam indicat. Apertura venae agarico obtecta, exutisque veſtibus, corpus fricatur, p.696.

veſtes aliis mutantur ſiccis, atque adhibentur roborantia. Aegrotus conualuit. Cauendum tamen eſt, ne in eiusmodi venae ſectione nimia ſanguinis copia profluat.

p.706. 10) *De motu corporum in virium attrahentium centro conſtitutorum, Auct.* I. F. HENNERT. *e latina lingua translata diſputatio a* I. I. BLASSIERE.

p.746. 11) *De integumentis animantium et imprimis piſcium ſquamis, Auct.* IOB BASTER *).

p.767. 12) *Literae ſuper polyſarcia, Auct.* IOB BASTER. Duae inprimis quaeſtiones ſoluuntur, prima eſt, cur vnius hominis corpus ad polyſarciam magis, quam alterius inclinet; deinde, quibus remediis polyſarcia absque periculo poſſit diminui. Ad primam quaeſtionem ſoluendam, in cauſas polyſarciae inquirendum eſt, quae potiſſimum ſunt: nimia oleoſarum particularum copia in corpore humano, indoles aeris, cibi nutrientes, quique facile coqui in ventriculo poſſunt, cibi alii glutinoſae naturae difficulter diluendi v. c. oryza cocta lacte, oſtreae cet. flatulenta, potus linguam blande afficientes ſine acrimonia. Quae ſumta ſunt alimenta, leniter ſoluenda ſunt, nulla in ventriculo remaneat a ſumtis cibis acrimonia, nec mucus inteſtinorum; ſanguis tenuis eſto, ſecretiones in corpore nimis abundantiores, motus lentus, abſentia vehementium animi commotionum, ſomnus per multas, contra leges diaeteticas, horas. Hae ſunt generatim polyſarciae cauſae.

p.777. Sequitur ſolutio, cur alterutrius corpus magis ad polyſarciam ſit diſpoſitum? Praecipuae

*) vid. Commentt. noſtri Vol. XI. Part. II. p. 312.

puae rationes hae ſunt: vitae genus, roboris diſcrimen fibrarum, diuerſa tranſpiratio, ampli ſeu anguſti ad membranam adipoſam ductus. De remediis ad diminuendam polyſarciam p.779.
haec praecipit Cl. Auctor: eligatur ad tempus vita ruſtica, vbi aer purior et ad valetudinem accommodatior; motio corporis paullulum vehementior inſtituatur, ipſa enim natura motum quouis modo commendat; diaeteticae praeceptiones ſancte ſeruentur; ea potionum genera, quae nimis nutriant, caute euitentur; quodſi tamen vinum ſit commendandum, in laude erit rhenanum et moſellanum; ſomnus ſit circumſcriptus et modicus; relegentur vehementes animi commotiones.

Remediorum aduerſus hanc polyſarciam, quae vulgo domeſtica dicuntur, commendat inprimis amarulenta, acida, diluentia ſanguinem, induſia e goſſipii lana texta, pediluuia, frictiones corporis panniculo factas, ſuctionem fumi herbae nicotianae.

13) *Super remediis annotationes, Auct.* I. HOVIUS. p.788.
Magna omni tempore fuit remediorum multitudo, tantum tamen abfuit, vt ſufficientia eſſe putarentur, vt potius noua eis, quae iam cognita eſſent, adderentur; partim, quod multa ab antiquis commendata ſuperflua eſſe dicerent, partim famam et gloriam excogitatis aliis nouis ſibi comparare anniterentur. Quae remediorum viciſſitudines apud alios contemptum et nauſeam artis medicae excitarunt. Verum in eo vehementer falluntur; nam ſi nulla arti medicae fides habenda ſit, largiendum eſt omnino vniuerſam phyſicam eſſe incertam nec dignam vllo aſſenſu. Mortalibus non ita, vt beſtiis, quae, quod ſalubre ſit, ſua natura internoſcere valent, innata quaſi eſt remediorum intelligentia; opus itaque eſt meditatione, ſedulitate, expe-

experientia cet. Saepe caſu quodam et fortuito optima aduerſus morbos remedia ſunt detecta; ſaepe etiam valetudinis iactura et in adhibendis remediis error doctos viros, periculoſa eſſe et opinata adminicula, docuit; qui error ſaepe inde originem duxit, quod rerum naturalium veram indolem non intelligerent. Nimia diuerſorum remediorum copia
p.816. quodammodo eſt ſuſpecta, et incommoda. Atque quanta cum in eligendis remediis, tum applicandis diuerſitas? Quaedam omni laude celebrabantur, quod ab arte (neſcio an) peritis, dum viuerent, maxime commendarentur. Sic auctoritate et fama vnius hominis, remedium quoddam, quaſi de coelo delapſum, in magno fuit pretio. Saepe remedia aduerſus morbos adhibebantur, quibus tamen nulla ad tollendum vel minuendum morbum vis inerat. Sunt multi quoque morborum genera, quae noſtro etiam aeuo adeo difficilia eſſe putantur, vt nullum ad reſtaurandam valetudinem remedium poſſit adhiberi v. c. peſtis, epilepſia cet. nam quae plerumque commendantur remedia aduerſus hos morbos, ita comparata ſunt, vt vim ſuam in vniuerſum non exſerant.

p.866. *Obſeruatio eclipſeos Lunae a.* I. LULOF *inſtituta anno* 1761 *d.* 18 *Mai.*

p.869. *Obſeruatio tranſitus Veneris per Solem, Auct.* I. LULOF *an.* 1761 *d.* 6 *Iunii.*

p.874. *Annotationes ſuper diuerſis tranſitus Veneris per Solem obſeruationibus, Auct.* D. KLINKENBERG.

p.923. *Obſeruatio in locum Ioh.* 19, 34. *Auct.* I. VAN DER HAAR.

De

De praeſtantia chriſtianae religionis ex eius contemptu, Auct. C. C. H. VAN DER AA. p. 931.

De contagio boum obſeruationes Auct. I. ENGELMANN. Obſeruationes hae annis 1756 et 1759 collectae ſunt et in ordinem hoc modo redactae, vt prima claſſis eas contineat, de bobus, contagio mortuis, et aliis, ad ſanitatem reſtitutis; altera de bobus, qui ſine vllo adhibito remedio euaſerunt; tertia de bobus contagio infectis, qui adhibitis remediis optimis etiam mortui ſunt. Ex his varia momenta deriuat, v. c. ceſſante ruminatione medicamentorum vſum eſſe ſine effectu; quandoque venae ſectionem, opportuno tempore factam, praebere adiumentum quoddam, ſaepe etiam nihil in reſtauranda et praecauenda beſtiae ſanitate efficere. Quum aluus in hoc contagio plerumque ſit adſtricta, commendat Cl. Auctor iniectionem olei ſ. ſebi in inteſtinum rectum. Initio morbi corpus beſtiae aegrotae vel aceto vel vrina ex boue reſtituto ſedulo abluatur. Remedia, quae adhibentur, ne ſint nimis acria. Frequens ſternutamentum ſaepe indicio eſt reſtaurandae valetudinis, ſic enim foetidi vapores e corpore expelluntur. Interim deſcriptiones omnes ſymptomatum, ortus, progreſſus morbi et corruptionum in partibus corporis cum eis conueniunt, quae iam aliis libris ſuper hoc contagio, in noſtris terris graſſante, ſunt tradita. p. 955.

Relationes ad Societatem.

Scorbuti caſus ſingularis deſcriptus ab Auct. A. V. GHERT. Femina 56 annorum, cum iuuenis eſſet, ſcorbuto ſaepe laborauit, ſed naturae et virium corporis benificio ab eo liberata fuit. Poſtea febris quartana eam ita affecit, vt veteris mali indicia, ſcil. p. 3.

maculae, ſcorbutum indicantes, in ore iterum apparerent. Malum continuat. Decem annos poſt maxilla inferior carie corripitur et poſt alios quinque annos adeo deſtructa eſt, vt dimidia eius pars ex ore ſumta atque ambae cum oſſe temporum iuncturae ſeparatae ſint. Nunc mentum ſiniſtro latere clauſum; attamen loquela diſtincta, ſed quodammodo difficilis et incommoda. Ceſſantibus menſibus maculae ſcorbuti remanentes in capite ſunt exulceratae. Os frontis inprimis carie infectum atque ſenſim in minutas partes fractum fuit; quibus deſumtis pulſus ſubiacentium arteriarum in conſpectum venit. Denudatio haec frontis primum aegrotae valde moleſta fuit, ſed ob cutem nouam, qua denudata pars obtegebatur, dolor paullatim euanuit. Nunc, quae aegrota erat, valet.

p. 9. *Obſeruationes meteorologicae Batauiae inſtitutae annis* 1758 *et* 1759 *ab Auct.* KRIEL M. D.

p. 61. *Obſeruationes meteorologicae Petropoli factae a* D. DE GORTER pro an. 1760.

p. 70. *Aliae obſeruationes meteorologicae in itinere ad Groenlandiam collectae a* PETR. CRAMER, an. 1760.

p. 78. *Obſeruationes meteorologicae in itinere ad fretum Dauiſianum a* PETR. CRAMER an. 1760.

p. 87. *De Muraena, Conger dicta* (Drilviſch) *Auct.* FRANS VAN DER LOTT *ſubſcript.* RIO ESSEQUEBO *d. 7 Iun.* 1761 *et a membro cum ſocietate communicatum.* Genus hoc piſcium mirandae eſt naturae, cogitur enim reſpirationis cauſa ſuperficiem aquae petere, praeter alias proprietates ſingulares, de quibus mox dicemus. Plerumque duae

ſpecies

ſpecies (num potius varietates ſint?) inueniuntur, differunt non modo colore, nam aliae muraenae nigricantes, aliae rubeſcentes, ſed etiam vi percutiendi. A nigritis, incolis gentilibus et Europaeis comeduntur. Locis in mari, quae ſaxoſa et arenoſa ſunt, vehementer delectantur, vbi raro alii piſces habitare ſolent, nam ſi piſcis alius generis ad has muraenas accedat, vi earum percutiendi adeo corripitur, vt neceſſario pereat. Vis percutiendi horum piſcium magnam cum vi electrica habet affinitatem, ſi modo ſcintillas e corporibus electriſatis eliciendas excipias. Maior quoque eſt piſcis percutiendi vis tempeſtate humida. Cl. Auctor eius- p. 89.
modi piſcem in vas aqua repletum iniicere curauit, eumque virgula ferrea attingens, vehementem corporis tremorem ſenſit; verum panniculi fragmento eandem virgulam manu apprehendens, piſcemque attingens nullam percutiendi vim percepit. Idem eſt ſentiendi genus, ſi bacillo vel alia re ex aere paratis piſcis attingatur, hoc tamen diſcrimine, vt non ſimilis ſemper ſit experimenti effectus. Cum ſtanno Anglicano puro percuſſio paullo vehementior eſt, idem contingit cum argento, longe vehementiſſima tamen cum auro. Admotis v. c. oſſibus, panno, plumbo, cera, cute cet. nulla ſubſequitur percuſſio. Quodſi ſupra nominatis rebus piſcis caput, vel quod melius eſt, eius gula attingatur, percuſſio omnium vehementiſſima exiſtit. Plures homines, quorum ſingulus alteri manum praebet, ſi primus piſcem tangit, omnes momento percutiuntur.

Ineſt quoque huic piſcium generi poteſtas p. 91.
aliqua curandi morbos. Sic gallinarum pedes conuulſione laborantes attactu huius piſcis reſtaurati ſunt. Sic gentilis quidam paralyſi extremitatum inferiorum correptus piſceter ad genua admoto con-

ualuit. Sic denique pueri febre grauiter affecti eodem adminiculo valetudinem recuperarunt.

p. 96. *Obſeruationes ſuper copia pluuiae et niuis ann.* 1760. 1761 *collectae Petropoli a* DAV. DE GORTER.

Supplementa ad diſſertationem de tranſitu Veneris per Solem, quae extat Vol. VI. P. II. p. 875-922. *Auct. D.* KLINKENBERG.

Obſeruationes meteorologicae Swanenburgenſes pro an. 1743.

X.

Elementa phyſiologiae corporis humani: Auctore ALBERTO V. HALLER, Praeſide Societatis Reg. Scient. Gotting. etc. Tomus Quintus. Senſus externi, interni. Lauſannae. ſumptibus Franciſci Graſſet. 1763. 4. Alph. 3. pl. 13.

Ex ſex libris hic tomus componitur, quorum primus, ordine duodecimus, de fabrica organi tactus, ſudore, exhalatione, inhalatione et tactu ipſo agit. Qui hunc ſequitur decimus tertius liber organum guſtus et guſtum ipſum recenſet. Decimus quartus organum olfactus, corpuſcula odora ipſumque ſenſum olfactus explicat. Decimus quintus fabricam organi auditus deſcribit, ſoni theoriam phyſicam tradit, vtque fiat auditus, oſtendit. Decimus ſextus in deſcribendis partibus, ad oculum ſitis, ipſoque oculo verſatur, ſimulque lucis et colorum doctrinam illuminat, ipſamque viſionem exponit. Tandem decimus ſeptimus, qui internos ſenſus com-

commemorat, difficilem de intellectu, voluntate et ſomno doctrinam communicat.

Tactus, ſi amplo ſenſu ſumitur, idem ſignificat, p. 1.
quod ſentire; id genus tactus vbique in corpore humano regnat, isque multus eſt, vbi nerui plurimi, vt in oculo, lingua, pene extremo; paucus, vbi pauci nerui, vt in nonnullis ſedibus cutis, viſceribus et corde; nullus, vbi nerui nulli, vt in epidermide, pilo, vngue, oſſe, cartilagine, ligamento, tendine, membrana neruis nuda. Maior etiam ſenſus eſt magisque exquiſitus, vbi aut neruus nudior organis ambeuntibus exponitur, vt in cute denudata; aut tenuioribus inuolucris tegitur, vt in glande virili. Sin vero alio ſenſu tactus ſumitur, ita, vt de induſtria corporis oblati facultates explorentur, tunc ſola cute et potiſſimum digitis manuum extremis vtimur. Haec, cutis nimirum, vndique extremitatem corporis tegit, inque oculis, auribus, naribus, ore, vmbilico, genitalibus partibus et ano perforari videtur, non reſcinditur tamen in iis, ſed introrſum tracta paullatim mutatur. Ex filis ea, vt membranis ſolemne eſt, laminisque breuibus, intricatis et arcte cohaerentibus conſtat, variaeque denſitatis et duritiei, miraeque ad extenſionem patiendam aptitudinis eſt, neque vero tendines, vt dixerunt aliqui, ab ea recipiuntur. Arteriae ſub cute nunquam longae ſunt, earum trunculi in celluloſa tela diuiduntur, et rami primi cutem, iam ab ea tela ſecedentem, adeunt. Venae per celluloſam telam ſubcutaneam plurimae et maximae incedunt, ramosque in cutem dant non valde notos. Vaſa minorum generum in cute eſſe, perſpirabilis humoris excretio ſuadere videtur. Nerui totam quidem cutem non conſtituunt, adeo autem numeroſi, vt nulla pars cutis non ſentiat. In homine aliqui, non numeroſi, muſculi in cutem ſe immittunt, in ipſa vero

cute fibrae muſculares nullae adparent, neque eiusdem naturae vis eſt in cute irritabilis, licet a frigore rigeat et contrahatur. Papillae, cuti adſcriptae, aliquae ſub vnguibus, in vola et digitorum interna facie, in labiis, buccis et facie, in glande penis et in mamma muliebri adparent et in plerisque aliis cutis locis minimae, arenula minores ſunt. Papillarum particulas easdem, quae cuti ſint, eſſe, Noſtro probabile videtur, easdemque et neruos et vaſcula rubra per baſin recipere, in apice eas perforari et pilum dimittere, pilumque tamen verum papillae hoſpitem non eſſe, ſed ex cellulóſa tela naſci atque papillarum vaſcula tenuem vaporem exhalare, oſtendit. Vniuerſam cutim obducit cuticula, inuolucrum ſingularis indolis, ſiccum, ab aere immutabile, in aqua difficulter colliqueſcens, neque in celluloſam telam intumeſcens, aequabile vbique et eiusdem naturae, inſenſile. Continuari eam et ſubire in anum, vuluamque et vrethram, et os, et nares et aures, et eſſe viloſam membranam inteſtinorum, ventriculi, oeſophagi, palati, atque membranae tympani exteriorem quaſi vaginam, membranae pituitariae, aſperae arteriae, et bronchiorum tunicam extremam, Noſter aſſerit. Praeter ſulcos in epidermide partes diſtinguuntur nullae, in ſulcis autem foraminula ſunt, in quibus cuticula reticulo et cuti adhaeret, cum qua, cute nimirum, filis exiguis cohaeret. Epidermis praeterea ſimplex et plana, absque ſquamis eſt. Vaſa ea nulla habet, nec etiam neruos, conſtatque ex laminis, quae tritu et vſu in callum abeunt. In nigritis cuticula in duas laminas ſeparari poteſt, ſub quibus inuolucrum ex fuſco nigrum reperitur, reticulum alias dictum, in quo ſedes iſtius coloris cum MALPIGHIO quaerenda eſt. Cumque cuticula reticuli exterior lamina et reticulum coagulatus mucus ſit, idemque reticulum in membranam cogi, atque epidermis in

eius-

eiusmodi mucum reduci poſſit, et reticulum vna regeneretur, quando cuticula renaſcitur, cuticulam ex eo muco per aeris actionem aliamque cauſam in membranae ſpeciem coire, ſicque generari, Noſter putat. In nigri coloris cauſam poſthac inquirens, ad ſolis ardorem, ſudorem flauum, ſanguinem nigrum, et propagationem nigredinis aut albedinis reticuli per parentes ad filios attendendum quidem eſſe, innuit, per morbos tamen cauſasque ignotas vtrumque colorem ſubnaſci absque ſeminali principio, neque vel clima ſolum, licet multum ad vtrumque colorem producendum poſſit, vel ſeminale principium cauſam eſſe, quae de colore definiat, monet. Epidermidi vehementer adhaerent vngues, qui in hominibus plani et tenues ſunt, absque ſenſu et vaſis, faciemque ſuperiorem planam et inferiorem ſulcatam habent, et a corpore reticulari indurato effici videntur, cauſa autem, cur reticulum hic induretur, ignoratur. Vtilitas eorum in eo conſiſtit, vt tactus papillis, in pulpa extremorum digitorum per ſpirales lineas diſpoſitis, exerceatur, quae, ſi nihil eſſet in parte dorſali digitorum, quod papillis reſiſtat, preſſioni cederent, et in ſe ipſas redirent. Caeterum ad fortiorem quoque adprehenſionem inſeruiunt, et in animalibus armorum locum tenent.

Homo hirſutum animal dicitur; in plerisque p. 31.
enim corporis locis pili ſunt, quorum vera ſedes adeps eſt. Reperiuntur ſub cute in celluloſa tela bulbi, fere ouales, interdum rotundi. Medio ventri bulbi circumponitur ſplendidum, durum inuolucrum, quo aperto ſanguis effluit, quo educto alter interior bulbus adparet, quo aperto pilus nudus cernitur, qui cum vagina interiori et exteriori ad porum cutis venit, vbi exterior vagina definit, interior vero filum comitatur. Tranſit per iſtud foramen pilus, dumque epidermidem adtingit, eam

non perforat, ſed in ſpeciem infundibuli impellens ex ea ſibi vaginam facit corneam, inſeparabili nexu alteri vaginae adnatam, ſummoque elatere et duritia donatam. Pili humani cylindrici ſunt, fine conico: craſſities eorum diuerſa eſt et firmitas ſumma; natura eorum indeſtructibilis; color eſt a ſucco, qui celluloſam telam internam replet, quae medulla vocatur, qua exhauſta pili caneſcunt. Incrementum pilorum perpetuum eſt; reſecti recreſcunt vt epidermis, atque cauſa et materies incrementi a medulla deriuatur, quae per ſuas cauſas ex bulbo ſequitur in capillum perque eius ſpongioſam naturam adſcendit. Pili ſenſu nullo ſunt, eique chemice explorati eadem fere elementa ſuppeditant, quae aliae corporis humani partes, vt tamen minus aquae plurimumque ſalis habeant.

p. 39. Cum ſiccitatem non ferat cutis, viſcidi ſucci eam perungunt et primo liquor oleoſus inflammabilis, blandus et lentus, in folliculis membranaceis, rotundis, ſimplicibus capillatae cutis capitis natus, perque longos ductus atque cutis porum effuſus, qui ab arteriis, in cryptam hanc ſe aperientibus, prouenit, ipſosque capillos oblinit, inque aere in ſquamas ſiccatur. Aliud deinde vnguen lentius, ſiccius, album, paſtaceum, in vermiculos figurabile ex glandulis, pleriſque ſimplicibus, aliquando compoſitis, vbique, ſi plantas pedum, manuum volas, digitorumque pulpam exceperis, reperiundis naſcitur. De glandulis ſudoriferis Noſter dubitat, pinguedinis autem partem aliquam ex cute penetrare, piloſque cingentem cum eis per idem foramen exire eoſque obungere, immo ipſos pilos exhalare, aſſerit. Caeterum cuticulam interdum humore, per arterias in cutis poros veniente, madeſcere, haecque vaſa verum ſudoris fontem eſſe, Ill. Auctor oſtendit, materiem tamen ſudoris, ſi ad partem aliquam corporis vberius

rius confluat, etiam in glandulas illas deponi, et per earum ductus excretorios prodire, non negat.

Organis his deſcriptis ad ſudorem, exhalationem et inhalationem tranſit Ill. Auctor et ſudoris quidem cauſam in calore quaerit, materiem autem ſudoris indolis aquoſae eſſe et coloris, minus quam aqua, pellucidi, ab admiſto tamen ſebo et oleo folliculorum et pororum ſudoris colorem varie mutari, oſtendit. Ad odorem eius multum facere cibum et remedia et morbos, cumque ſudore exhalare per poros adipem ſubcutaneum, ſanguinemque et bilem interdum per ſudoris vias exire, arenulasque in nonnullis hominibus cum ſudore prodiiſſe, perhibet, ipſeque ſalem in vitriariorum facie in cryſtallum collectum vidit, ſudorem autem a ſaniſſimo homine abeſſe, pro morbi genere habendum, maioremque quam perſpirationem humorum humanorum iacturam facere, copiam vero non facile definiri, autumat. Minus perſpicua eſt altera per cutem exhalatio, quae perſpiratio inſenſibilis vocatur, vere tamen non inuiſibilis. Exhalat autem primo aqua, quae vario modo manifeſtatur; ſic obuerſa glaciei manus fumat: exhalat deinde materies electrica, quae ſcintillarum ſpecie de excuſſis capillis, veſtibusue nuper de corpore tractis exit: exhalant porro partes foetidae, quas animalia ſagacia facile ſagiunt: exhalant demum cibi potusque particulae, vt allii odore aut vini colore probatur. Differt materies haec perſpirabilis a ſudore, quod ab illa omne genus olei cutanei ſebique abſit; quod ea nec flaua, nec oleoſa, nec viſcida ſit; quod ſit fluidi tenuioris et aquoſi magis; quod ex natura perpetuo exhalet, ſudor vero morbi genus ſit, via autem, per quam exit, eadem quae ſudoris eſt, argumento iniectorum humorum, qui vndique de cute per minimos poros exeunt. Exit vero is halitus ex arteriis. Copia tranſpirationis a p. 46.

variis varie iudicatur, vt experimenta SANCTORII, DODARTI, KEILII, RYE, LININGI et HOME probant, quae a Noſtro recenſentur, ſimulque modus, vt accurate ea fiant, traditur. Cum autem non adeo promtum ſit, ab experimentis his concludere, perſpirationem in regione boreali itidemque calida obſeruatam conſiderat, hisque omnibus comparatis notat, dubium omnino videri, num exhalatio, quae tamen plerumque vberrima aeſtimatur excretio, vrinam ſuperet, eſſeque copiam perſpirationis multum infra numeros *Sanctorianos*. Augent perſpirationem primo omnia, quae calefaciunt efficiuntque, vt plures et fortiores intra datum tempus pulſus ſint; ſic motus muſculorum, torrens electricus, quo corpus cingitur, ira, frictio et aer calidus perſpirationem intendunt. Augent deinde hanc excretionem omnia, quae humoris tenuis et meabilis in corpore noſtro copiam augent; ſic potus et cibi, bene tamen digeſti, huc multum faciunt. Augent tandem perſpirationem, quae laxitatem cutis et vaſorum perſpirantium augent; ſic ſtragula et balnea perſpirationem auctam reddunt. Summa dicitur perſpiratio, quando trium harum cauſarum vires vniuntur. Contraria priorum minuunt perſpirationem; ſic quies et vita iners, frigus, aer humidus, ciborum vel defectus vel mala coctio, auctus vrinae aluique fluxus, aliaque aucta ſecretio, tandem cutis dura et denſa perſpirationem minuunt. Quod ad perſpirationis vtilitatem attinet, mollitiem ea et neceſſariam in papillis teneritudinem conſeruare et epidermidem, ne nimis ſiccetur, humectare, immo vniuerſo corpori multam vtilitatem praeſtare dicitur, quae cuncta variorum teſtimoniis Noſter probat, ſimul autem alia teſtimonia adfert, quae prioribus aduerſantur, et perſpirationem abſque morbo minui, contra cum incommodo augeri, oſtendunt. Eadem quo-

quoque ratione in cute inhalantes dari poros, exempla applicatorum et reſorptorum corporum, vt mercurii affricti, vaporum venenatorum aeque ac ſalubrium et augmentum vrinae, potum multum ſuperantis, probare, et inhalationem contrarias cum exhalatione habere cauſas, hucque pertinere aerem humidum ſimulque frigidum, quietem et deſidiam, adfectum triſtem et metum, Ill. Auctor docet.

Tactus organo deſcripto, ipſum tactum explicat Noſter, quem a pulpa neruea, corporibus cognoſcendis accuratius adplicata, exerceri, monet, et apicibus digitorum, cum pulpa eorum neruis ſit pleniſſima, priuilegium hoc inprimis datum eſſe, innuit. Papillas has digitorum erigi et quaſi de ſuis ſpecubus prodire, vt accuratius obiectum corpus explorent, dicunt; ſed eminentes et erectas papillas et maiorem ſuperficiem corpori tangendo praebere, et, longitudinem aliquam nactas, facilius ab eodem compelli et moueri, Noſter monet. Qualitates corporum, figuras nimirum varias, aſperitates, ad quas etiam colores tactu dignoti referuntur, duritiem aeque ac mollitiem corporis, et calorem, quem a comparatione cum calore noſtri ſanguinis et potiſſimum cutis metimur, tactu dignoſci, oſtendit. Tactum non fallere, caeteroſque ſenſus et viſum inprimis corrigere, multi aſſerunt, ſed reliquos ſenſus minus multo, quam vulgo ſcribant, falli, tactumque perinde errare, Noſter aſſerit. Nunquam enim notas illas conditiones ex tactu diſci, quales ſint in corpore, ſed quales per media a natura interpoſita velamenta poſſint a Noſtris papillis percipi, monet, tactumque in aliis nimis ſubtilem in aliis nimis obtuſum eſſe, et conſuetudinem multum eum immutare, docet. Praeter relationes de corporum conditionibus alii a tactu in mente excitantur effectus, vt voluptas, quae, quoad tactum, is corporis partisue alicu-

p. 91.

alicuius corporis ſtatus dicitur, quem velis durare, contrarius vero dolor eſt, quem eſſe nolis. Vt tandem tactus violentia moderata euadat, epidermidem a natura factam, et vt papillae molles teneraeque conſeruentur, mucum *Malpighianum*, oleum cum pilis exſudans et perſpirabile ſub cute adfuſum, praeſto eſſe, Noſter dicit.

p. 99. Ad guſtum cum Ill. Auctore accedimus, cuius ſedes praecipua in lingua et in apice quidem eius inque proximo margine eſt. Molliores ſapores ſola lingua percipit, alii ſapores, magis efficaces, alia, praeter linguam, organa, labia, palatum, vuulam, oeſophagum, imum os fauceſque adficiunt. In lingua papillas truncatas fungiformes, conicas aliasque multo minores, rugas etiam transuerſas in lateribus poſtremae linguae reperiri, Noſter aſſerit, fierique papillas colliculo non vno, ſed multa quaſi tubercula in vnum coaceruari, tela celluloſa alba connexa, hancque telam arterias et venas et neruos ſubire, oſtendit. Linguae inuolucrum epidermis eſt, quae craſſior quam in reliquo corpore, leuis membranae ſimilis, viſcoſa, alba, ſimilaris pariterque vt epidermis, absque vaſculis absque ſenſu et reparabilis deprehenditur. Aliter ſe habet papillarum fabrica in pleriſque animalibus quadrupedibus quam in homine, ſiquidem in illis magis conſpicuae ſunt, reticulum perforatum eſt et epidermis in cauas vaginas producta. Lingua ſuas habet glandulas variae figurae et magnitudinis; ſunt etiam linguae arteriae et venae, et vaſa lymphatica et nerui, qui ab octauo pare et a nouo et a quinti paris ramo proueniunt. Ab vltimo hoc neruo guſtus expectatur, *niſi forte*, ait Noſter, *et a nono et a quinto pare guſtum perfici malueris.*

p. 114. Guſtum nunc explicat Ill. Auctor, et inſignes neruoſaſque papillas, quas deſcripſit, duplici ſenſu de-

defungi, notat, tactu nempe acriori, quam qui in digitis eſſe ſolet, et vario ſenſu, quem cutis ignorat. Vt guſtus exerceatur, inuolucrum linguae neque nimis craſſum, neque ſiccum neque nimis tenue mollene eſſe debet; ſaliuam dein naturali modo ſe habere oportet; corpus tandem ipſum, cuius ſaporem guſtus diſtinguit, in fluidum ſtatum reducatur, neceſſe eſt. Verum non ſufficere ſolui in aqua fluidumue eſſe corpus, quod guſtetur, ſed ſalſum quid continere debere, Noſter monet. In ſapidis corporibus ſapores diſtinguit lingua, quorum diſcrimina ignotas cauſas habent. Saporum alii aliis manifeſtius ſe offerunt, vt acidus, dulcis, amarus, ſalſus et acris, qui varii generis, cui ſpirituoſus accenſetur. Alii minus manifeſta diſcrimina habent, cum priorum aliquo coniungi poſſe videntur, vt acerbus et auſterus, qui ad acidum, vrinoſus, qui ad ſalſum, et aromaticus, qui ad ſpirituoſum pertinet. Alii relatiui ſunt, et ſaporum legitimorum diminutiones, vt fatuus, aut cum odore complicantur, vt putris et nauſeoſus et forte ipſe ſpirituoſus. Acidus ſapor in vegetabili genere dominatur, parcior deprehenditur in animali, eſtque in rufo animalium partium ſpiritu, in adipe, in acribus nonnullorum animalium ſuccis et in primis in lacte. In minerali regno acidus ſal, per aerem et aquam oberrans cum variis terris acidae naturae ſales facit idemque aquas minerales ſapore ſuo impraegnat. Dulcis ſapor parum ab acido differt, eſtque inprimis in vegetabilibus, in mineralibus dulcedo rara, rarior in animalibus, eſt tamen in lacte. Amarus eſt potiſſimum plantarum, in animalibus, in bile et cerumine inque mineris, in metallorum quorundam ſolutionibus exempla ſunt. Salſus ſapor mineralis eſt proſapiae, exque eo genere in plantas et animalia tranſit, in quibus ſal marinus dominatur. Acre in plantis abundat, tum in animalium

malium minuto genere, inſectis inque venenis animalibus. In minerali claſſe plurimum eſt eius generis, quod ad nullum ſalem referas. Sed eam mineralem acrimoniam potius aliis effectibus, quam guſtu deprehendi, monet Ill. Auctor. *Videtur enim Deus*, inquit, *ad eiusmodi corpora, quaſi arbitrario demum hominum ſtudio in medicamina recepta, noſtrum guſtus organum non contemperaſſe, cui vnica cura data fuerit diſtinguendorum, in animali et vegetabili genere, ſalibusque natiuis, eorum, quae noſtrae naturae conueniunt.* Quaerit poſthac Noſter, num a cryſtallorum ſalinarum figuris ſaporum diſcrimina? *Sapores*, inquit, *qui ſunt a ſalibus, non ſunt ob diuerſam figuram diuerſi.* A variis igitur inter ſe compoſitis cauſis, figura, denſitate, motu, adtractione, elementis denique, ex quibus corpora ſapida componuntur, pendere Noſtro videntur ſapores. Vtilitatem denique guſtus exponens Ill. Auctor, ſenſum hunc eam ob cauſam animalibus datum eſſe notat, vt ad conſeruandam vitam cibosque, labore parandos, a voluptate grati ſaporis inuitarentur, et plantarum aliorumque ciborum naturae dignoſcerentur, quae mediocri vſu ſalubres eſſent: a reliquis autem alibilem naturam non continentibus, amarore aliisue cauſis abſterrerentur, licet et homines et beſtias in iis dignoſcendis interdum falli, non neget.

p. 125. Organum, quo odores diſtinguuntur, naſus eſt, cuius pars media ſuperior duobus oſſiculis fit; latera fulciuntur proceſſu, quem os maxillae ſurſum emittit; ab oſſis naſi fine imo et a proceſſus naſalis limite interno cartilago producitur, quae in homine non ſimplex eſt et muſculis regitur. Naſus anterius duobus oſtiis in aerem et poſterius in pharyngem itidem duobus oſtiis patet, totaque eius cauea ſepto diſtinguitur. Intus oſſa ſunt, ſpongioſa dicta, aliud vero, ad cerebrum totum perforatum, cribroſum nuncu-

nuncupatur. Multi praeterea et varii deprehenduntur ſinus et cuncta, quae cauam hanc conſtituunt oſſa, ſuum habent perioſteum; praeter id vero cutis a facie nares ſubit, ibidemque naturam mutat, pulpoſa eſt, epidermidem ſuperiectam ſuamque celluloſam telam habet et pituitaria membrana vocatur. In ea glandulae ſunt exiguae, de cryptarum genere, neque ſemper demonſtrari poſſunt, de villis autem, dictae membranae adſcriptis, Noſter dubitat et veretur, ne membranam in floſculos diſſolutam viderint auctores. Arteriae narium a maxillari interna, ab ethmoidea anteriori et poſteriori, ab ophthalmica, a carotide interna, ab infraorbitali, a dentali ſuperiori poſteriori et a palatina proueniunt. Venae ab ophthalmica et trunco temporali alioque, nerui demum a pari primo, ab ophthalmico, quinti paris ramo, a ſecundo ramo quinti, ab infraorbitalibus, palatinis et alueolaribus naſcuntur.

Partibus, organum hoc conſtituentibus, de- p.154. ſcriptis, ad ipſum olfactum propius Noſter accedens de corpuſculis odoris agit et miratur omnino, cur ad corpuſcula, quae odorem excitant, cognoſcenda tam exigua hominum fuerit curioſitas. Ex plerisque corporibus, forte omnibus, effluuia exeunt, quorum plurima odorata ſunt, alia vero inodora. In phlogiſto odoris ſedem poni, Noſter monet, neſcit tamen, *an tutum ſit, omnem praeter phlogiſtum olfactilis materiei ſedem reiicere.* Elementum olfactile ſolum purumque ſiſtere, difficile eſt, ſiquidem vel cum oleo, vel cum ſale acido, vel alcalino volatili, vel cum elemento electrico, vel cum aqua coniunctum eſt, id tamen innotuit, eſſe elementum ſumme tenue, craſſius tamen, quam lumen, calorem, vim magneticam et materiem electricam. Summas id elementum habet vires, tam ſalutares quam noxias, et omnino corporum eorum proprias,

in

in quibus habitat, vt deleto hoc elemento, nulla earum vis peculiaris ſuperſit, atque inſignes et ſubitos effectus ab hocce elemento produci, multis variisque exemplis adductis Noſter probat, tumque varias odorum foetorumque claſſes conſtituit, inque cauſas eorum inquirens, valde exiguum eſſe, quod de hac cauſa teneamus, aſſerit, communemque odorum cauſam eſſe calorem, per alias tamen cauſas, vt per diſſolutionem, denique per commiſtionem odores varie mutari et augeri, non negat. Gratorum odorum cauſam diſquirens, aliquid hic arbitrarii eſſe, aliquid etiam magis ſibi conſtare, et gratiam in quadam mediocritate naturae odoriferae eſſe, nimisque debiles odores nos vix ferire, nimios offendere, notat. Vltimo demum quaerit, num eadem odorifera materies et ſapida? diuerſitatem manifeſtam in vtroque elemento eſſe, et ſaporem a ſale fere vnice pendere, odoris vero elementum exhalabile eſſe, particulasque multo tenuiores, cum ſpiritu rectore et phlogiſto per calorem perque putredinem ſumme attenuato reſpondet.

p. 172. Inſpiratione nos olfacere, particulasque odoratas per vniuerſas nares ſe continuo diffundere, neque vero ad cerebrum venire, organumque in pulpoſa narium membrana inque neruis, per eam membranam diſtributis, eſſe, Ill. Auctor oſtendit, et inprimis in oſſibus ſpongioſis deprehendi, alias tamen partes non excludi, darique alias magis ſentientes, inque aliis debiliorem olfactum exerceri, arbitratur. Primum par aeque ac quintum pro olfactoriis neruis Noſter admittit, cumque nerui in naribus numeroſi, molles omnes et teneri ſint, eos in naribus potius olfactui, quam in ore aut alia parte corporis inſeruire poſſe, et hanc ipſam mollitiem neruorum et nuditatem cauſam eſſe, cur in nullo alio loco corporis corpuſcula acria admota vehementius operentur,

tur, monet. His neruis prouidet exhalans vapor et copioſiſſimus mucus, qui acutiſſima effluuia mitiora reddit, exque variis ſinubus euacuatur. Olfactum denique vtilem cenſebis: hominem enim de noxia deque innocua ciborum poteſtate ex odoratu certiorem reddi, nullumque cibum ſalubrem eſſe, qui foeteat, contra non facile inſalubrem cibum reperiri, cui gratus odor ſit, vireſque medicatas olfactu detegi, omnibusque animalibus olfactum communem eſſe, brutisque inprimis neceſſarium, Auctor credit. Caeterum ad refocillandos homines ſubmerſos aut ſemianimes et ad vocis robur et gratiam olfactum, ſeu potius nares, multum conferre, putandum eſt.

Ad auditum cum Ill. Auctore progredimur, p. 186. qui aeris tremores percipit. Tres ſunt eius organi regiones: extima ſiue auricula et auditorius meatus; media ſiue tympanum; intima ſiue labyrinthus. Auricula pleraque animalia carent, in homine vero nonnullisque animalibus adeſt, figurae tamen diuerſae. Variae in ea deprehenduntur eminentiae et foueae, natura eiusdem cartilaginea eſt, variisque ea muſculis regitur. Auditorium meatum omnia animalia habent, isque partim membranaceus, partim cartilagineus, partim oſſeus eſt, intusque glandulas habet, ex quibus ſuccus flauus, cerumen dictus, per breuem ductum effunditur. Ad finem meatus annulus eſt, in quem tympani membrana adaptatur, quam rectius hoc modo, quam tympanum dici, et in plerisque animalibus reperiri, Auctor perhibet. Sequitur tympanum, cauum illud, in temporum oſſe petroſo inſculptum, in quo labyrinthus cum veſtibulo, duae feneſtrae, tuba oſſea et quatuor oſſicula cernuntur, quae cum partibus ſuis ſubtiliſſime a Noſtro deſcripta deprehendimus. Poſthac varii, qui in tympanum ducunt, deſcri-

ſcribuntur exitus, primoque cellulae maſtoideae nominantur. Sequitur tuba Euſtachiana, quae in tympano oritur, perpetuo patet et meatui narium ita obuertitur, vt aer, ea via adueniens, tubam neceſſario ſubeat. Ex tympano in aurem intimam duplex via eſt, feneſtrarum nomine nota, quarum altera oualis, altera rotunda eſt. Notantur praeterea minora foramina tympani, quae neruulos et vaſa ducunt. Intima pars organi auditus labyrinthus dicitur, cuius ſedem mediam veſtibulum tenet, in quod multa patent foramina, oſtium ſcalae cochleae, oſtia canalium ſemicircularium, foramen ouale aliique ductus exigui. Tandem canales ſemicirculares, cochlea et ſcalae cochleae, veſtibuli et tympani notantur, quibus conſideratis nerui organi auditus deſcribuntur; quorum alii interni alii externi ſunt. Illi et horum non minor numerus a neruo ſeptimi paris ſunt, quorum truncus in ſinu auditorio et antro oſſis petroſi deprehenditur. Ex eo antro molles nerui acuſtici in veſtibulum, cochleam et canales ſemicirculares penetrant, praeterque hos alii etiam nerui notantur, qui extimam auris regionem ad auriculam et meatum auditorium tendunt, et a pare quinto et ceruicali ſecundo et tertio proueniunt. Praeterea partibus his ſua etiam vaſa ſunt, tam arterioſa, quam venoſa; lymphatica autem Noſter non vidit.

p. 249. Organis auditus deſcriptis ſoni theoriam phyſicam exponit Ill. Auctor, quam collectitiam tradit: *vtor*, ait, *diuitiis collectitiis neque in hac theoria proprium habeo inuentum.* In eo corpore, quod ſonum excitat, tremores alterni et vibrationes peraguntur, ſolaque tantum elaſtica corpora ſonum edunt. Vt autem ſonus naſcatur, non ſufficit corporis ſonori in aere oſcillatio, ſed requiruntur elementorum ſolidorum eius corporis tremores, itusque et reditus. Hinc, cum corporum valde ſonorum

rorum particulae facile diuellantur, facile etiam a ſonis ipſis franguntur. Transfertur ſonus per pleraque corpora, per corpora dura; ſic per baculum et loquentis et audientis dentibus correptum bene audiunt ſurdaſtri. Tranſmittuntur ſoni per aquam, debilitantur tamen et aliquot notis grauiores fiunt et vna ſuaues. Propagantur demum ſoni per aerem tenuem vna et ſumme elaſticum, augentur iidem per aerem coercitum, minuuntur vero in aere leuiori et minus elaſtico. Concipit autem aer ſonum, dum corpus ſolidum, quod tremit, aerem impellit, qui in proximam aeris regionem vrgetur; hinc etiam ſonus per aereas has vndas propagatur et cum robore inſigni, ita, vt pullos v. g. canarinos incubationis die 7. 8. in ipſis ouis necet; et in ſatis diſtantes locos, ita, vt e. g. cum Landauia obſideretur, leucis diſtans fere 48, tormentorum fragor Baſileae exauditus eſſe dicatur: vltima tamen diſtantia, quae a ſono percurritur, nondum nota eſt. Rectam lineam itinere ſuo deſcribunt vndae ſonorae neque circa obſtacula ſe flectunt. Minuuntur enim ſoni obſtaculis maioribus, immo ſuffocantur penitus craſſis. In elliptici contra fornicis pariterque ſphaerici cameris inque foco ſpeculi parabolici fortius exauditur ſonus. Ad conſeruationem etiam ſonorum parabola ſpectat, ad tubam ſtentoream adhibita, idemque praeſtat focus tubi parabolici cum elliptico coniuncti. Conſeruatur quoque ſoni robur in cylindris, augentur vero neque conſeruantur vnice ſoni, quando radii ſonori non vnice diſſipantur, ſed in anguſtiorem focum colliguntur, vt in tubis conicis et ſpiralibus obſeruatur. Notandum porro, vim ſoni in immenſum creſcere, quando aeris tremor in dura et elaſtica corpora incidit eaque contremiſcere cogit. Quando autem corpora, ſonum reflectentia, auri noſtrae vicina ſunt, tunc noui illi ſoni, ab ad-

ſtantibus corporibus ſuppeditati cum primigenio ſono confluunt, ſicque echo naſcitur. Quod ad celeritatem ſoni attinet, is ſumma ſane fertur celeritate, quam tamen a variis cauſis variam eſſe, experimenta demonſtrant. Quando corpus ſonorum, ab aere alioue duro corpore percuſſum, tremit, non vnius et indiuiſi quaſi tempuſculi is tremor eſt, ſed omnino diu repetitur, vt alterne corpus increſcat et decreſcat. Aliter autem auris adficitur, quando celeriter corpus ſollicitatum tremit, aliter, quando lente. Hinc grauis et acutus ſonus diſtinguitur; ille eſt, qui a paucis tremoribus, lente ſe conſequentibus, producitur, hic vero, qui a tremoribus numeroſis, intra datum tempus ocyſſime ſe excipientibus, naſcitur. Cur autem toni tam diuerſi ſint, cauſae variae ſunt, primaque earum diuerſa tenſio chordarum, dein corporum ſonantium diuerſa durities et elaſticitas, tum chordarum varia longitudo, tandem earundem varia craſſities. Numeri vibrationum proportiones Ill. Auctor recenſens notat, PYTHAGORAM primum fuiſſe, qui factis numeroſis experimentis rationes diuerſarum harmoniarum et ſeptem diſcrimina vocum compeririet. Quodſi demum tremorum ſympathiam perpendamus, ſimiles et easdem numero vibrationes, quando chorda ſtricta aut aliud inſtrumentum ſonum edit, in omnibus inſtrumentis eiusdem toni, nempe intra idem tempus toties oſcillare apti, quoties corpus primo tremens ſolet vibrare, naſci deprehendimus. Cum autem eiusmodi tremores ſympathici per corpora dura et aerem propagentur, Noſter demum quaerit, an ideo, vt de ſeptem primigeniis lucis radiis notatur, in aere quoque dentur particulae diuerſi elateris, quarum aliae ad hos, aliae ad alios ſonos ſint vniſonae?

p. 278. Praemiſſa hac ſoni theoria ipſum auditum explicat Ill. Auctor. Primo itaque notandum eſt,

auri-

auriculam ſonos fere ab omni parte capitis aduenientes ſuſcipere, radiosque ſonoros, cum lineae auriculae omnes in auditorium meatum conueniant, in eodem coniungi, tuncque membranam tympani, quae in fundo meatus auditorii eſt, inque vmbonem terminatur, a ſonoris radiis in tremores cieri hancque membranam ad tonos debiles tendi, vix vero laxari, Noſter autumat. Tympani membrana percuſſa et introrſum preſſa, mechanica neceſſitate introrſum premitur malleus et vna cum eo connexa incus eiusque crus longius, quod ipſum ſtapedem impellit inque feneſtram oualem altius adigit. Altera, per quam ſoni ad tympanum veniunt, via per nares et os et EUSTACHII tubam eſt, quae ratione aeris, ad internam aurem tendentis, adeo in homine neceſſaria videtur, vt ea obſtructa non minus auditus pereat, quam perit ex vitiis, auditum per meatum auditorium impedientibus. Per eam aerem in grauiſſimis ſonis, tonitru magnorumque tormentorum exploſione cedere poſſe, Noſter oſtendit. Creditur etiam aerem externum ea via ad tympanum venire, calidumque aerem, in tympano rarefactum, aere nouiter per nares tubamque recepto temperari. Tremores porro, qui in feneſtram venerunt, ad veſtibulum continuantur, in quo aquula eſt et ſupenſa membrana molliſſima neruea, quae ab humore veſtibuli impulſa contremiſcit, cum canales ſemicirculares humore ſuo repleantur, etiam iſte humor cedit et impellitur, atque cum cochlea in veſtibulum altera ſua ſcala pateat et perinde aquula ſua plena ſit, etiam in cochleam ex veſtibulo humor premitur. Quod ad auditus ſedem attinet, eam intimam eſſe et in labyrintho poni debere, et auditum a nerui auditorii mollis nata ex tremoribus ſonoris adfectione, naſci, Noſter aſſerit, An vero durus neruus, cum nusquam cum molli trunco miſceatur, ad auditum

 ali-

aliquid faciat, dubium primo videbitur; interim integritatem nerui duri ad auditum requiri, et a tremoribus ſonoris chordam, dum per tympanum tranſit, neruumque, dum per aquae ductum migrat, adfici, putandum eſt. Cur in duabus auribus non duas voces, ſed vnicam audiamus, ſequentem explicationem Noſter tradit: *videtur*, inquit, *ſufficere, vt corpus ſonorum per vtramque aurem tremores in ſolidis auris vtriusque partibus aeque numeroſos excitet: ita ſoni fient ſimiles et anima fortiori ſono magis perculſa, debiliorem non diſtinguet.* Sonorum deinde gratiam et odium exponens, odioſiſſimos tonos acutos eiusque odii cauſam mechanicam eſſe, et grauiſſimorum ſonorum magnum robur et exiguam gratiam eſſe, mechanicam vero cauſam ignorari: certum tamen eſſe, neruos noſtros adfectiones nimis vehementes non ferre et ab iis deſtrui, oſtendit. Quaeſtionem, vnde muſica tonorum ſucceſſio aut placeat, aut ingrato modo aures adficiat, difficiliorem eſſe, et rationem phyſicam ignorari, fatetur. Tandem muſices effectus horumque cauſas recenſens Noſter, celeres et acutiores ſonos laetitiam, graues vero et lentum melos triſtitiam efficere, remque non adeo difficilem eſſe, autumat. *Ex lege* enim, inquit, *adſociationis idearum celeres ſoni et graues pariter animi adfectum reſtituunt, cuius dialectus in grauibus tonis eſt.* Morbos denique varios arte muſica ſanari et in ſonis fortibus mechanicum quid eſſe, vt cerebrum conturbent, ſanguinem exagitent et ſpeciem denique febris faciant, perque oſcillationes a muſica in nerueis fibris ortas, aliter et aliter ſyſtema nerueum adfici, oſtendit.

p.306. Ad viſus organon pergit Ill. Auctor, oculisque pleraque animalia inſtructa reperiri et, ſicut aures ad tremores aereos percipiendos, ita oculos ad aethere-

thereos tremores factos eſſe, notat. Primo itaque oculi tutamina conſiderat, ideoque ſupercilia, membranam epicraniam, muſculos occipitales, frontales, corrugatores ſupercilii, palpebras, tarſos, cilia, inque palpebris reperiundas glandulas, itidemque glandulam lacrumalem deſcribit, ex qua per aliquos ductus excretorios lacrumam parari et ſuper oculum effundi, oſtendit. Verum non omnem humorem, oculos extus oblinientem, ab hac glandula hisue ductibus oriri, ſed ab omni interna ſuperficie coniunctiuae palpebralis et a coniunctiua oculari rorem arterioſum exhalare, monet. Humectant lacrumae exteriorem ſuperficiem oculi, earumque adfluxus cauſae partim in acri, oculos vellicante, partim in ſubita ſanguinis ad caput congeſtione, partim in adfectu tenero quaerendae ſunt, cauſa autem, vt ea ſecretio augeatur, nondum nota eſt, in neruis tamen eſſe videtur. In interno oculi angulo conica et rubella particula ſita eſt, caruncula lacrumalis dicta, ante vel pone quam pallida, lunata plica adparet, quae tertia palpebra dicitur, quaeque in homine exigua inque nonnullis animalibus maior reperitur. Hac deſcripta, puncta lacrumalia, ductum ſaccumque lacrumalem, naſalem ductum, muſculum orbicularem palpebrarum, lacrumarum iter ad nares, muſculos diductores palpebrarum, tandem orbitam deſcribit Ill. Auctor, hisque recenſitis ipſum oculum conſiderat, qui in homine et in omnibus animalibus notis globo pene ſimilis dicitur. Ad globum hunc neruus, in foramen, oſſi ſphenoidi inſculptum, receptus per orbitam accedit, qui duram membranam eiusque laminam internam ſecum ad oculum fert. In hoc etiam neruo pia inprimis membrana manifeſta eſt, vnumque inuolucrum efficit, quo totus neruus, non eius ſinguli funiculi, continetur, et ex quo ſubtilia ſeptula celluloſa prodeunt

et, inter medullam dimiſſa, eam varie diuidunt, neque tamen in conſpicuos funiculos partiuntur. Per medullam plurimae ad oculum feruntur arteriolae, inter quas aliqua maior eſt. Hanc porum dixerunt vel meatum, per quem ſpecies viſiuae ad cerebrum veniant, meatum tamen vtique non eſſe, neque radios tranſmittere poſſe, Noſter innuit. Deſcripto hocce neruo membranae oculi, ſclerotica primo, quae cum dura cerebri membrana continuari Noſtro non videtur, dein cornea tunica, denique iris deſcribuntur. Vltima haec in homine, in lucem edito, circulari foramine ex naturae lege perforatur, quod a reflexa inſpicientis imagine pupilla ſeu pupula dicitur. Conſtringitur ea in luce et ad obiecta proxima accurate videnda; relaxatur vero luce euaneſcente, et ad obiecta remotiora dilatatur. Cauſam huius motus non in iridis irritatione, ſed in quadam retinae adfectione neruoſa quaerendam eſſe, Noſter oſtendit, et videtur ei cauſa eſſe non in voluntate, ſed in irritante luce, quae excitatis viribus iridem introrſum pellat, euolutis plicis ſerpentinis vaſorum et ſtriarum celluloſarum, vt in rectitudinem conuerſae iridem dilatent. Deſcripto poſthac corpore ciliari et annulo mucoſo, retinam tunicam eiusque originem ſequenti modo deſcribit Auctor: oſtendit nimirum, neruum opticum in conum contrahi, dum per ſcleroticam penetrat; deinde in loco anguſtiſſimo membrana tegi tenera, perforata, per cuius foramina medulla exprimi poſſit; nunc medullam hanc, per foramina tranſientem, confluere, inque membranam, craſſam quidem ſed molliſſimam et pellucidam abire, ſicque retinam oriri, tuncque ex ea origine vndique circa choroideae faciem internam et circa vitreum humorem expandi, ab eo tamen et a choroidea liberam partemque globi maiorem amplexam firmiter ad principium

pium proceſſuum ciliarium adhaerere, retinamque membranam, cum nerui optici pulpa continua fiat, ſenſu eminere et rubra vaſa habere. Vitream membranam FALLOPII inuentum dicit, eamque intra retinam ex ſe ipſa oriri, nusquam obſeruabili aliquo vinculo connexam, totam retinae caueam replere, antrorſum pergere eoque loco in homine inque grandioribus animalibus in duas laminas abire, oſtendit. Hacce membrana continetur humor, a pelluciditate vitreus dictus, qui aqua communi ponderoſior et denſior multoque magis, quam ea, viſcoſus eſt. Reperiuntur in eo cellulae, a vitrea membrana factae, quippe quae in eius corporis caueam deſcendit, idque innumerabilibus ſeptulis diuidit. Dictum praeterea humorem renaſci et iacturam in adminiſtratione DAVIELII factam reparari, dicunt. In vitrei corporis foueam, ſibi adaptatam, non perfecte in axi oculi ſed aliquanto prope angulum internum recipitur lens cryſtallina, quae aqua denſior, ſibique permiſſa et capſula deſtituta in radios inque ſpiritu vini aut aceto macerata in laminas et fibras diſſilit. Has laminas tela celluloſa coniungi, Noſter vidit, lentem vero humoribus accenſeri non debere, nec amiſſam renaſci oleumque in eius natura et ſpiritum abunde contineri perhibet. Tandem aqueum humorem commemorat, qui totum ſpatium inter corneae faciem concauam interque lentis cryſtallinae faciem anteriorem et inter liberam ſedem radiorum corporis ciliaris et vueam replet. Humorem hunc naturae eſſe exhalabilis, eumque, vt alios humores, aerem continere et ſalem fixum, in quo etiam marinus ſit, ſponte putreſcere, eundemque perpetuo nouum gigni et intra breue tempus totum reparari, exque arteriis oriri, et eundem in venas reſumi aut per corneam membranam exhalare, Ill. Auctor de-

monſtrat. Tandem de cameris, muſculis, neruis, arteriis et venis oculi diſſerit Noſter, hasque partes omnes egregie et ſubtiliſſime deſcribit; de lymphaticis vero vaſis dubitat; licet enim ſubtiliſſima et pellucidiſſima huius organi natura pellucida fere vaſa promittat, nondum tamen experimento ea confirmata eſſe notat.

P.443. Oculo eiusque partibus deſcriptis, de luce et coloribus agit Ill. Auctor, qua in re propria quidem inuenta ſe non habere, bonos tamen auctores ſecutum eſſe, fatetur. Lucem ad naturam, materiei expertem, propius accedere et penetrari a luce lucem, corpoream tamen eam eſſe, ſtatim Noſter notat. Diſquirit poſtea, num lux eadem ſit cum igne: primo itaque differentiam perpendit, tuncque lucem in lineis rectis, ignem in omni perinde directione progredi, porro lucem intenſiſſimam reperiri absque vllo calore, contra calorem amburentem absque vlla luce deprehendi, et lucem reflecti ad angulos aequales incidentiae, ignem non reflecti; ignem ab adtritu, lucem a ſole excitari; lucem non perinde, vt ignis, omnia corpora penetrare, demum particulas ignis repellere, non ita lucis, monet. Verum alia etiam rerum teſtimonia eſſe, quae ignem et lucem idem eſſe elementum, demonſtrent, notat; ſic lucem ſolam puriſſimam ſolis calorem excitare in aere, et lucere ignem omniaque corpora, quae eius elementi ſatis abſorpſerint, lucida reddere, oſtendit, ſique corpora absque notabili calore luceant, hanc eſſe cauſam autumat, quod lucis denſitas definita requiratur, vt calorem faciat. Vtrumque igitur elementum conſentire, autumat, quod lumen, perinde vt ignis, corporibus adhaereat et ſe aqua aut muco inuiſcari patiatur et ſupprimatur, differre vero vtrumque, quod lux ipſa ſibi, vt luceat, ſufficere videatur, calore vero tum demum naſcatur, quando

ea

ea lux in ſolida corpora agat, quorum particulas in motum ducat vibratorium, vehementem. Ea autem eſt natura lucis, vt ex ſole et ad ſolis imitationem ex omnibus corporibus lucentibus lineae rectae in omnem ambitum exeant tanquam ex centro; cumque eae lineae rectae ſint et ex centro prodeant, adparet, denſiſſimum iubar in eo centro fore, inde lucis denſitatem perpetuo minui, vimque lucis eundo debilitari, licet lux ipſa non debilitetur. Quod ad motum lucis attinet, non torrentem fuiſſe lucis, quem ſol ſubmitteret, vt ſtatuerunt aliqui, ſed, vt alii putarunt, omnino lucis elementum dudum praeſens, nunc capax factum fuiſſe feriendi cum ſenſu neceſſario oculi, et preſſionem aliquam vel percuſſionem eſſe, quam ſol in lucem exerceat, Noſter demonſtrat. Lucem praeterea natura ſolidiſſimam eſſe, ex eo patet, quod radii in anguſtius ſpatium coniuncti, omnia pene corpora deſtruant et perfecta aequalitas anguli reflectionis cum angulo incidentiae et immutabilis per quascunque reflexiones et refractiones natura ſit. Reflexionis dein leges perpendens Noſter notat, eſſe illam vim, qua reflectantur radii, in ratione eius vis, qua refringantur, vt radii magis refrangibiles magis adtrahantur, propiusque ad ſuperficiem corporis inflectantur. De refractione autem dicit, eam ad vim adtrahentem pertinere, quam nullum non corpus in lucem exerceat, eſſeque in ratione denſitatis et naturae inflammabilis, ita, vt adamas v. g. qui omnium corporum pellucidorum ponderoſiſſimus, etiam vim habeat refringentem maximam et ea corpora, quae ad flammam concipiendam aptiora nata ſint, etiam lucem maiori robore adtrahant. In radiorum lucis diuiſionem Noſter inquirens, cum NEWTONO notat, lucis radium quemlibet, etiam ſimpliciſſimum, ex ſeptem aliis diuerſarum proprietatum radiis componi,

poni, hincque colorum elementa naſci, hosque radios immutabiles eſſe, nec in vlla alia elementa reſolui; colores vero differre vibrationum velocitate, cum EULERO notat. Cauſam denique diuerſitatis colorum exponens Noſter, cum NEWTONO, qui experimenta in laminis aeris tenuibus et bullis ſaponaceis inſtituit, oſtendit, laminas diuerſos radios potiſſimum reflectere, vti craſſiores ſint, aut viciſſim denſiores; compoſitos vero et intermediarios colores naſci, quando in eodem corpore et rubrum et colorem reflexurae particulae abundant, et coeruleum; aut praeterea, quae nullam lucem reflectant et nigrorem admiſceant. Tandem oſtendit, reflectentia corpora eſſe minimis poris praedita et ſuperficie valde repellente, valde polita; opaca autem corpora eſſe, quorum pori interni replentur materiae diuerſae denſitatis, vt et reflexiones et refractiones multiplicentur, quae tamen ſuffocant; pellucere contra corpora, quorum pori replentur materie, cuius denſitas et vis refringens non multum a denſitate, aut vi refringente particularum ipſius corporis differunt.

p.464. His praemiſſis ipſum viſum explicat Ill. Auctor, primoque corneae officium exponit. Ita nimirum radii lucis, ex corpore radiante nati, incidunt in corneam membranam, vt conum faciant peracutum, cuius vertex eſt in radiante puncto, baſis in corneae ſuperficie. Qui radii ex aere adueniunt, eorum, qui obliquiores ſunt et ad magnos angulos in corneam incidunt, ii ab ea membrana reflectuntur, neque oculum ſubeunt. Habet enim cornea membrana refringentem vim maiorem quam aqua aut humor aqueus, habet etiam conuexitatem in homine maiorem, quam eſt anterior lentis cryſtallinae, minorem, quam conuexitas poſterior. Qui per corneam membranam penetrarunt radii, ii ſoli ad len-

tem

tem cryſtallinam veniunt, quorum anguli cum cornea 28 gradus non ſuperant. Inueniunt tunc iſti radii in lente cryſtallina materiem refringentem, aqua fortiorem, vitro debiliorem. Conuergunt itaque radii, qui in lentem inciderunt, pauloque poſt in focum coituri per vitreum corpus in retinam incidunt, inque ea tunica imaginem corporis conſpecti depingunt. Eſt autem ea imago ad latus exterius ingredientis nerui optici, qua axis oculi retinam ſecat, et qua radii maxime vicini perpendiculari cum ipſo perpendiculari radio conueniunt et validiſſimi ſunt. Pingitur tamen imago in retina, nec in choroidea tunica viſus organon eſt. Quando imago in fundo retinae depicta eſt, menti ea tunc repraeſentatur. Parua ea creditur, non tamen verum punctum, vt in quo partes non poſſint cogitari, et adparet ea inuerſa, cum ex obiecti conſpicui fine ductae lineae conuergant et in minimam lineolam vniantur, ita, vt ex fine dextro medius radius in ſiniſtrum finem imaginis ducatur, inque dextrum, qui a ſiniſtro fine eius obiecti aduenit. Minime autem anima obiecta inuerſa videt, ſiquidem ea non in retina videt, ſed in eo loco et ſitu, a quo radii adueniunt. Simplex autem eſt ex duplici pictura ſenſatio; primo enim perpendendum eſt, vnum punctum diſtincte nos videre, ſiquidem imago quidem multorum corporum eodem tempore in oculo pingitur, mens tamen vnicum diſtincte percipit. Deinde notandum eſt, nos vnico oculo ad videndum vti alteroque adiuuari; niſi enim vnicus oculus videret, certe viſio duplex eſſet. Tandem ponderandum eſt, ſimiles impreſſiones non diſtingui: vnicum enim obiectum videmus, quoties ſenſationes ſibi ſimiles ſunt, duplex quando diſſimiles et perinde ſiue in vno oculo diſſimiles ſenſationes naſcantur, ſiue in duobus. Vt autem imago, quae nunquam in retina absque confuſio-

fuſione eſt, diſtinctiſſima fiat, requiruntur primo humores perfecte puri et pellucidiſſimi, quibus corneam tunicam adnumerat Noſter. Deinde requiritur perfecta camera obſcura ideoque oculus vndique obſcurus praeter axin, vt nulli radii aduenire queant, niſi in fundum retinae ad exteriora ingreſſus nerui optici. Tandem debet certa eſſe retinae ſenſibilitas, non nimis pruriens neque nimis calloſa eaque ad quodque animal eiusque vitae genus peculiariter definita. Vt demum viſus optimus ſit, requiritur, vt corpus, cuius imago in retina pingi debet, ea ab oculo diſtantia ſit, in qua vires refringentes oculi ſimul ſumtae focum radiorum, ab eo corpore aduenientium faciant cadere in retinae ſedem ſenſibilem: id vocatur punctum viſionis diſtinctae. Quibus punctum hoc valde parum ab oculo diſtat, ii myopes vocantur, ſuntque iis vel oculi prominentes, vel lens cryſtallina gibba magis, vel oculi demum ob incumbens humorum pondus obque ſanguinis in oculos congeſtionem longi. Ex omnibus hiſce cauſis fit, vt remota obſcura videant, proxima diſtincta. Myopis enim oculus plus habet virium refringentium, conuexitatem et denſitatem maiorem; hinc imago, ſiue focus, fit prius, quam in retinam radii proueniunt. Medetur huic malo primo aetas. Per aetatem enim firmis corporis partibus indurantibus, fluidisque diminutis, aqueus etiam humor et vitreus et lens cryſtallina minuuntur, ſicque fibrae ſolidae in arcus magis conuexos prius flexae, nunc breuiores abeunt in arcus, minus conuexos, ideoque et cornea et lens cryſtallina complanatur. Adiuuantur deinde myopes abſtinentia ab artificiis cominus laborioſis et efficiendo, vt radios quam maxime parallelos accipiant. Adiuuantur demum vitris cauis, licet morbum non tollant, et, niſi caute adhibeantur, oculum potius laedant.

Con-

Contrarium experiuntur presbyopes, quibus oculi plani, cornea tunica minus conuexa, lens cryſtallina planior, oculus breuis eſt. In tali enim ſtatu oculi vires refringentes minores ſunt, eſtque ſphaerae maioris portio, cuius focus longius diſtat. Solatium huius mali in conuexis vitris et perſpicillis quaerendum eſt. Verum ad proxima omnes homines presbyopes ſunt ipſique myopes ea confuſe vident. Vt itaque proxima cernantur, valde conuexis lentibus aut ſphaerulis vtendum eſt. Hae enim non magnitudinem augent, ſed faciunt, vt propinquiſſima tamen diſtincte videamus. Vt enim puncti viſionis diſtinctae diſtantia ad longitudinem foci ſeu diſtantiam obiecti per microſcopium viſi ab eius lente, ita diameter obiecti, per microſcopium viſi, eſt ad diametrum oculo nudo adſpecti et cubum diametri, ſi de tota magnitudine quaeratur. Sed naturam eius remedii aliquid ipſi oculo largitam eſſe, oculumque homini, quadrupedi et piſci per ſuas inſitas vires mutabilem feciſſe, dicunt, et ita mutabilem, vt et proxima diſtincte videre et viciſſim ad remotiora videnda ſe accommodare poſſit, organa autem huius mutationis in oculo varii varie quaerunt. Sic alii a corpore ciliari oculum longum, alii ab eodem breuem, alii ab eo lentem conuexam, alii demum eandem planiorem reddi, autumant, immo alii fibras muſculoſas in ipſa lente ideoque cauſam mutationis in ea poſuerunt. Alii deinde in oculo mutando adhibuerunt muſculorum oculi conſpicuorum potentiam. Alii porro imaginarium in vuea ſphincterem adoptarunt, aliique demum pupillae contractionem admiſerunt. His cunctis ſedulo perpenſis Noſter oſtendit, ſolum pupillae motum ſufficere, reliquasque hypotheſes pro excogitatis tantum habendas eſſe. Quod ad animae de imagine retinae iudicia adtinet, non eam imaginem eſſe, quae animae repraeſentetur, inque ea imagine magni-

magnitudinem nihil de vera magnitudine obiecti exprimere et aciculam, quae diſtantem turrim tegat, aeque magnam eſſe ac eam turrim, Noſter cenſet, atque Cl. BERKLEY, qui totum viſionis negotium, pro dialogo arbitrario Deum inter et creaturam habeat, non penitus nimium fuiſſe, putat. De magnitudine, vt iudicetur, aſſerit, aeſtimari eam vno oculo per angulum, quem duo fines obiecti corporis cum retinae puncto vidente intercipiant et aeterna Dei lege ideam magnitudinis cum eo angulo eſſe coniunctam. Sed ſi ex ſolo angulo iudicemus, vel quoties corpora, de quorum magnitudine iudicamus, non aeque diſtent, nos ſaepe falli, monet. Locum obiecti conſpicui, quod vnico oculo intuemur, in linea, quam comprehendunt duae rectae lineae a retinae parte ſentiente ad eius obiecti fines ductae, eſſe, diſtantiae vero in imagine ipſa nullam eſſe diuerſitatem, multoque rerum vſu doctiorem et ſemper tamen imperfecte doctam mentem de diſtantiarum diſcrimine diſcere iudicare, inque motu et quiete multum fallaciae ſubeſſe poſſe, atque conuexitatis et concauitatis arbitrarium et fallax eſſe iudicium, lucemque imaginariam a preſſione, eodemque modo colores imaginarios naſci, cumque tener oculus ab eadem cauſa magis adficiatur oculo calloſo, non omnes homines eosdem colores videre, Noſter demonſtrat.

p. 529. Externis ſenſibus explicatis ad internos ſenſus progreditur Ill. Auctor; ſed exiguum eſſe, quod certo hic ſciamus, multamque partem latere et non exiguam aeternum latituram eſſe, fatetur, quaedam tamen communicare placuit. Primo itaque notat, ſenſationem ad cerebrum venire, hancque motum eſſe, in mollem neruum impreſſum, hasque ſenſuum impreſſiones per elementum fluidum ad eam ſedem, qua menti repreſententur, aduenire, dicit. Neque tamen repraeſentantur imagines rerum in cere-

cerebro, neque in anima, neque nos res ipſas, ſed ſigna rerum percipimus, tuncque diuerſae notantur res; 1) obiecta externa cum ſuis attributis; 2) eorum in ſenſuum organa impreſſiones; 3) harum impreſſionum, in cerebrum translatarum, effectus corporeus; 4) huius effectus in mente repraeſentatio. *Incipimus*, inquit Ill. Auctor, *hic animam a corpore diſtinguere; quod enim in cerebro fit, id motus eſt fibrae medullaris: quod in anima, id eſt idea ab eo motu diuerſiſſima. Eam anima et habet ſibi obuerſantem et omnino appercipit, nempe conſcia eſt ſibi repraeſentari.* Non omnes vero ideae appercipiuntur, ſed eae ſolae, quae paulo fortiores ſunt, neque continuo euaneſcunt ſenſuum impreſſiones, ſed aliquandiu animae manent praeſentes, etiam quando cauſa corporea earum impreſſionum ablata eſt. Quando nunc anima toto eo tempore, quo repraeſentatio durat, ad eam repraeſentationem ſolam ſe adplicat, erit adtentio. Quae cum attentione recepta fuerunt et, quae vehementer hominem percuſſerunt, ea in homine retinentur memoria. In cerebro haec perceptionum quaecunque veſtigia habitare, Noſter vix negat, cumque ex corporis diuerſis conditionibus memoria creſcat, minuatur, pereat et reſtituatur, ſedes veſtigiorum, quae a ſenſationibus ſuperfuerunt et inprimis ſignorum, quae mens noſtra cum ſenſationibus didicit coniungere, in corporeo cerebro eſſe, aſſerit; quid autem ſint rerum veſtigia, inueniri id non poſſe, autumat. Dicitur inde memoria, quando ſigna reuocantur, et imaginatio, quando ipſae ſenſationes renouantur. Id ſumma admiratione dignum habet memoria, quod veſtigia nullo animae labore ſuas in claſſes ſegregentur inque ſuos quaſi vicos per cerebrum diſponantur, quae cognatae ſunt. Sunt autem veſtigia et ſignorum et imaginum connexa vix intelligibili modo, ſed connexa ta-

men, vt vnum excitatum alterum reuocet. Ditiſſima haec penus veſtigiorum eſt, et immenſa, ita, vt reperiantur, qui nihil vnquam eorum, quae ſciuiſſent, obliti eſſe dicantur. Verum et in his feliciſſimae memoriae hominibus, et in vulgo hominum etiam celerius, tamen veſtigia pereunt de cerebro, vt primo debiliora ſint, tunc aegrius et per connexa demum alia veſtigia reuocari poſſint, denique integre intereant. Haec veſtigiorum penus eſt, in qua anima facultates ſuas exercet. Dicitur vero anima ens, quod cum corpore noſtro coniungitur, quod cogitat, iudicat, vult quodque ſui ſuarumque idearum conſcium eſt, idque de natura corporis non eſſe, multa declarant. Facultates animae ſunt primo cogitatio: cogitare eſt ad ſeriem ſignorum, alias et ad ſenſationum ſeriem adtendere. Altera facultas iudicium, tertia ingenium eſt; hoc in vniendis, illud in diſtinguendis ideis ponitur. Naſcuntur autem ſigna, per quae cogitamus, ex ſola adſociatione idearum, eademque per repetitionem memoriae imprimuntur: primo hinc nata eſt loquela, quae ſigna prima dat; vltro progreſſi ſunt homines ad ſigna ſecunda, quae ſonos primorum ſignorum figuris viſibilibus et fixis exprimunt. Non ſubſtitit ibi induſtria, ſed inuenerunt gentes ſigna hieroglyphica, characteres nempe arbitrarie fictos, qui integram notionem exprimunt; cum autem et hi ſummam haberent difficultatem, admirabile inuentum exſtitit Phoenicum, qui characteres mobiles inuenerunt, paucos et faciles, ex quorum compoſitione infinita nomina poſſent componi, rerum quidem minime ſimiles, ſed quos vſus et repetita adſociatio cum rebus coniungeret. His praeſidiis mirifice dilatantur animae vires, ſignorumque ope anima didicit abſtrahere, idque eſt ex multis ideis detrahere id, quod habent commune. Ideae autem ex abſtractionibus natae notiones dicuntur. His expoſitis de

ve-

veritate, errore, delirio et fatuitate agit Noſter, verumque nos tenere dicit, quando ideae noſtrae cum rebus ipſis conueniant, quae ex perceptione natae ſunt; errorem vero vocat, quando alienae ſunt ideae noſtrae a rebus ipſis. *Sani*, ait Noſter, *fallimur, quia falli volumus,* ſed in alia corporis conditione ineuitabile eſſe in errores incidere maximos, exque nimis incitato motu per cerebrum nimisque ſenſili medulla delirium, contra ex nimis debili humorum circuitu minusque ſenſibilibus organis ſenſus fatuitatem naſci, arbitratur.

Cum luce intellectum, cum igne voluntatem p. 574. comparat Ill. Auctor, hancque, de qua nunc agit, eam actionem animae dicit, qua aliquam ſuam conditionem prafert alteri conditioni, bonumque vocat, quod nobiscum eſſe, malum, quod a nobis abeſſe, praeferamus. In corporeis rebus dolor verum et maximum, quod fugimus, malum eſt, diciturque dolor ſenſatio quaecunque ita fortis, vt anima eam malit abeſſe. Dolorem Deus homini fidelem cuſtodem dedit, qui de cauſa corporis deſtructrice moneat. Status, quem malis eſſe, voluptas dicitur, haecque, ſi exigua, corpus ſuſtentat, ſi magna, deſtruit. Multa fere cum voluptate dolori communia ſunt, fortior nempe ſenſus, fortior etiam ſanguinis confluxus ad eam partem, quae voluptate emouetur vel dolore. Circa hos ſtimulos animalium vita verſatur, iique et animalibus et homini communes ſunt; cum vero ei alia ſit deſtinatio, alii etiam ſtimuli, aliae cupidines ſunt, hasque vocabis ſpem, curioſitatem et gloriam, qui ſtimuli omnes in vnico demum vniuntur, felicitatis nempe noſtrae deſiderio ſiue amore proprio. Sunt ergo bona in corpore voluptas, in anima ſpes futuri boni, gloria et idearum nouarum adquiſitio: mala contraria ſunt, deſperatio de bonis cupitis, pudor ex male actis, et maximum malorum, quod ſoli Germani recte nominant, tem-

 poris

poris longitudo, quae eſt idearum animae placentium abſentia. Minime vero vnice haec aut bona aut mala in ſenſatione fundantur, ſed ex notionibus pariter abſtractis oriuntur, qualis eſt ſpes vitae aeternae, Dei amor aut metus. Ideae ergo bonorum, quorum adquiſitionem et conſeruationem, deinde malorum, quorum auerſionem et amolitionem concupimus, excitant eos in anima motus, qui adfectus vocantur, ſuntque bonorum laetitia, huiusque gradus maior, gaudium, ſpes et amor, malorum vero triſtitia, terror, metus, ira, pudor, commiſeratio, deſperatio. Ab hiſce adfectibus animi ſequuntur in corpore motus memorabiles et violenti, qui corpus vel conſeruant vel deſtruunt. Organa, per quae ad occaſionem nati in anima adfectus ii motus in cerebro naſcuntur, nerui ſunt, eſtque his in adfectibus animi poteſtas aliqua, quae in voluntate nulla eſt. Potiſſimum tamen adfectus in corde operantur, pulſumque mutant, quorum alii motum ſanguinis debilitant, vt moeror et metus, alii intendunt, vt ira, gaudium, amor et terror. Aliquid tamen in minimis vaſis eſſe, quod laqueorum nerueorum ſimilitudinem in effectu habeat, ex ſuppreſſo ſanguinis venoſi motu in pene et ex tuberculis cutaneis, a terrore natis, apparere Noſter autumat.

p. 592. Vigiliis deſcriptis, eo nimirum hominis ſtatu, in quo mutationes, in ſenſoriis organis per corpora nobis circumpoſita factae, menti noſtrae repraeſentantur et ab ea apprehenduntur, ſomni nunc tradit hiſtoriam Ill. Auctor. Communes omnibus animalibus vices eſſe videntur, vt partem vitae ſuae inertia per ſoporem tranſigant, et maxime naturalis eſt ſomnus, qui homini poſt toleratos diurnos labores et coenam frugalem blandiſſimus obrepit. Primo veſperi multo motu ſanguis, vehementius incitatus, febriculam quaſi ciet, muſculi laſſi dolent,

ſtupor

ſtupor eſt aliquis circa genua, oſcitationum intercedit neceſſitas pulſusque tardus fit, capitis functiones labaſcunt, omnium ſenſuum externorum impreſſiones elangueſcunt, percipitur blanda quaedam ad ſomnum neceſſitas, caput antrorſum labaſcit et nutat, nunc ideae diſſoluuntur ſpeciesque obuerſatur animo delirii, in quo ſenſationes internae, a memoria redditae, fortiores fiunt, isque ſtatus ſomnolentiae eſt. Proxime ſuccedit ſtatus, qui ſomnus dicitur, in quo corpus eo minus mouetur, quo perfectior iſte eſt; ſtimuli ſenſuum non percipiuntur, niſi validiores fuerint; et interni ſtimuli debilitantur, vt ſitis, fames etc. cordis vires minuuntur, humores tenuiores fere ſtagnant et ſecretiones parcius fiunt, hinc ſomnum in frigus tendere et hominem, qui aerem frigidum facile fert exercitatus, in eodem aere ſi dormiuerit, ſanguine coacto et congelato perire, conſtat. Cauſae ſomni ſunt labor et paſtus, neque tamen preſſa a diſtento ventriculo aorta, porro neque voluntas. Adiuuantes aut minus perpetuae ſomni cauſae ſunt ea omnia, quae ſanguinis et ſpirituum motum moderantur, vt abſentia omnis irritationis, quies, pediluuium aliaque, deinde cauſae, quae ſanguinem in cerebrum congerunt, frigus, funis, venae iugulari circumiectus, phlogiſton varia ſub ſpecie per aerem perque omnia pene corpora nobis nota oberrans, tandem narcotica, exque his inprimis opium, de quo Noſter aſſerit, eo ſentiens principium potenter debilitari et ſopiri, vimque irritabilem minui et nonnunquam deleri, cordis tamen irritabilitatem non deſtrui, idemque eadem ratione, qua vinum, agere, et exigua copia ſumtum indolentiam, tranquillitatem, excitatiorem animum, laetitiam, temulentiam, celeritatem cogitationum et appetitum veneris facere, maiori autem copia ſomnum fortem, turbulentum, pollutiones et prælongum ſoporem producere, ni-

miaque copia ingeſtum praeter alia grauiſſima mala, ante excitata, occidere. Cauſam proximam ſomni in preſſo cerebro quaerit, vtque per contraria propius ad cauſam ſomni Noſter accedat, etiam ea contemplatur, quae ſomnum impediunt. Itaque minus dormire, qui corpus non exerceant, qui cibo deſtituantur, aut quibus quaecunque ſit cauſa motus alicuius perpetui, aut quibus pars aliqua frigeat, quibus ſtrepitus maiores aliaue moleſta ſint, aut quibus contentio aliqua maior animum occupet, aut vbi inflammatio cerebrum infeſtet, quos dolor vexet, eos omnes non dormire, tandemque potus calidos ſomnum arcere, Noſter aſſerit, ideoque cauſam ſomni vel a motu ſanguinis in cerebrum valde diminuto vel ab eodem vehementer aucto dependere, colligit. Cum autem hae cauſae contrariae ſibi videantur, eae quid habeant commune, oſtendit, Noſtroque minus expeditus ſpirituum nerueorum in cerebro motus eſſe videtur. Adductis cauſis effectus ſomni recenſet, primoque oſtendit, ſomnum moderari eam deſtructionem machinae humanae, quae fiat ab animae et corporis motu, ideoque tenuiores humores partim ſtagnare, vt de adipe notum ſit, partim adhaerere ad ſolidas partes corporis, quae ſit nutritio. Deinde motu periſtaltico imminuto cibos longiori tempore retineri locumque dare reſorptioni, inque ſyſtemate neruoſo reparari tantum elementi ſpirituoſi, quantum neceſſe ſit, vt muſculi voluntarii, atque ſenſus ſuis muniis fungi poſſint, quare etiam expergiſcere ſomni videri effectus, monet. Quam primum enim elementum ſpirituoſum libere et debita copia per neruos circumeat, vigiliarum ſtatum reddi, autumat. Expergiſcentes autem oculos aperire digitisque eos detergere, deinde artus omnes extendere, oſcitare aliquoties, ſternutare multos et tuſſire, ſeque muco liberare, vrinam

nam reddere aluumque euacuare, ſicque in pauciſſimis horae minutis plenum vſum rationis et muſculorum voluntati obſequentium redire, inque his phaenomena expergiſcentium conſiſtere, perhibet. De ſomniis poſthac notat Ill. Auctor, mentem perſaepe per ſomnum minime otiari, et in ſomno ſeriei imaginum, ex veſtigiis priorum ſenſationum, cerebro impreſſis, natarum auſcultari, inque harum imaginum ſenſu animam et ſui conſciam eſſe et iudicare, et ratiocinari et voluntate vti et adfectus animi pati omnes, multo, quam in vigiliis, grauiores, ſomniaque nonnunquam ex praeſente ſenſatione, frequentius vero ex praeterita oriri. Porro docet Noſter, ſomnium fortius quam ſenſationem eſſe et vehementius animam percellere, ordinemque tamen ex lege adſociationis idearum ſupereſſe, ſique ſomniorum imagines vulgo confuſe miſceantur, fieri id poſſe, autumat, quod in ſyſtema idearum ex prima ſenſatione natum aliae ideae nouiter ſe admiſceant, quae ſunt de ſyſtemate alterius ſenſationis. Statuendum itaque eſt, ſomnia fieri, quoties ſtimulus aliquis praeſens aut veſtigium praeteritae ſenſationis adeo magnas vires adquirit, vt ſuperare animae quietem ſuamque ei repraeſentationem obtrudere valeat. Nunquam vero tanta eſt in ſomno quies, quin magna pars corporis humani in motu pergat obeundo: ſic cordis motus per ſomnum pergit; pergit reſpiratio, pergit motus periſtalticus motusque ſanguinis, chyli et humorum tenuiorum, perguntque etiam nonnulli motus voluntarii, vt noctambuli teſtantur. Eiusmodi autem homines fortiores adfectus ex ſuo temperamento pati, inque ſenſorii communis parte aliqua validum motum ſupereſſe, in reliqua tota quietem, huncque morbum multa cum delirio communia habere, et facile in maniam tranſire et perinde verberibus ſupprimi, Noſter arbitratur.

XI.

Mélanges de Philoſophie et de Mathématique de la Société Royale de Turin, pour les Années 1760. 1761 a Turin, de l' imprimerie Royale. 4. Alph. 3 plag. 16½ tab. aen. 7.

i. e.

Miſcellanea Taurinenſia. Tomus II.

Societas haec in primo miſcellaneorum ſuorum, 1759 promulgatorum, tomo *priuata* appellabatur, in huius vero indice *regiae* nomen additum videmus, quoinde coniicimus, *Sardiniae* regem clarorum ſocietatis huius virorum ſedulitatem dexteritatemque praemio hoc ornaſſe. Quod cur ſocietas lectores ſuos ignorare voluerit, nec quicquam de eius fatis communicare, miramur. Commonefaciendi etiam ſunt lectores, ne ipſis indicibus confundantur, prior quippe tomus latine, hic vero gallice inſcriptus eſt. Quem nunc euoluimus, continetur vndeuiginti diſſertationibus.

1) ALBERTI HALLER *emendationes et auctaria ad ſtirpium Heleticarum hiſtoriam.* III. Auctor in hac egregia plantarum Helueticarum collectione ea, qua ſemper ſolet, ſubtilitate et accuratione, de plantis ad claſſes naturales tetrapetalarum, ſiliquoſarum, papilionacearum, didynamiarum vtriusque generis dipſacearum, florumque compoſitorum pertinentibus, quae addenda corrigendaque viſa ſunt, breuiter exponit, quuum, quae ex incerta ſpe ſenii ſui pendet, maioris operis editionem ſecundis curis praeparat. Multa emendatiora, quaedam etiam noua et incognita hic reperiuntur. Quum de omnibus et ſin-

ſingulis dicere non poſſimus, liceat nobis exempli cauſa de his emendationibus et auctuariis ſpecimina quaedam excerpere. Clypeolae deſcriptio, quae in Enum. helu. p. 540 n. 2 deeſt, hic additur. p. 5.
Naſturtiolum RAI. p. 826 a Naſturtiolo alp. tenuiſſime diuiſo non eſt diuerſa planta, foliis tamen magis ouatis, petiolo lato. Lepidium 12 LINNAEI p. 675 non eſt diandria, habet enim ſtamina quatuor maiora, duoque parua. Iberis ſaxatilis LINN. ad lepidia addatur. Alyſſon myagri folio omnino a cochlearia differt. Heſperidum tres ſpecies nominantur, de tertia, quae eſt Eryſimum foliis ſerratis lanceolatis LINN. monet Ill. Auctor, hirſutas p. 8.
omnino eſſe ſiliquas, quas tamen LINN. glabras fecit. Siſymbria 11. 12. 13 ob nectaria aut Sinapia erunt aut Braſſicae; huic propiora tamen, qualis a Cl. LINNAEO definitur. Sinapia n. 11 et 12 deſcribuntur, emendantur quoque multae Aſtragalorum ſpecies, quas ob fructus potiſſimum defectum antea ſaepe non ſine errore definiuerat; ad Aſtragalos enim non pertinent Tragacantha alpina ſemperuirens flore purperaſcente, nec Aſtragaloides ſiue phacae, eſt enim aſtragali flos ſtrictus et vexillum praelongum, aſtragaloidi contra breuior flos, vt in viciis. Phacarum in Heluetia ſponte creſcentium tres ſpecies deſcribuntur. Ad aſtralagos veros in Heluetia repertos modo pertinent: Aſtragalus Comment. Gott. 1752, Aſtragalus Enum. p. 567. n. 7 n. 2 n. 5 et 8. Coronillam n. 1 et 4 deſcriptam, quod mireris, neutram in LINN. ſpec. reperies. p. 18.
Orobi caule erecto, ramoſo etc. Enum. helu. n. 2 ex ſpecioſiſſimis papilionacearum ampla traditur deſcriptio. Trifolium pratenſe purpureum minus foliis cordatis coniungendum eſt cum eo, quod a Cl. LACHENAL p. 2 dicitur trifolium caule hirſuto, ſcabro, foliis mollibus, integerrimis ſpicis ſubuilloſis,

ſis, ochroleucis. LINNAEO incognita ſpecies.
p. 21. Sequitur accurata Trifolii floſculis albis in glomerulis aſperis caulinis proxime adnatis VAILL. T. 37 f. 1 deſcriptio. De Anonide n. 5 quoque adiecta eſt emendatio, adfinis puſillae glabrae anguſtifoliae, tamen differt foliis totoque habitu hirſutis. Pedicularibus nullam nouam ſpeciem addidit. Cymbalariam eſſe hybridam, et ex vtraque Elatine adulterio prouenifſe, adhuc dubia res eſt, naſcitur enim vt monet Ill. Auctor, iis ſemper locis, quos nulla Elatine frequentat. Moldauica foliis faſciculatis ellipticis, integerrimis neruo diuiſis omnino conuenit cum Ruyſchiana
p. 27. glabra foliis integris AMMANNI. Cirſium 2 Enum. idem eſt cum cirſio 10 et 9 Enum. Abſinthium 1. Enum. ſ. alpinum candidum humile ab eo differt, quod Ill. Auctor hoc loco ſic deſcribit: Artemiſia foliis ſericeis caulinis pinnatis, radicalibus petiolatis pinnatis, pinnis trifidis et quinquefidis. Gna-
p. 33. phalium 8 Enum. vera eſt et diuerſiſſima planta, erit filago caule ſimplici, floribus cylindricis, fuſcis, in ſummo caule quaternis pappoſis. Alia quoque eſt filago 6 Enum. eadem tamen cum Gnaphalio 29 LINN. etſi talia habet ſynonima. De floſculis vero androgynis nulla dubitatio. Xeranthemum p. 709 deſcriptum omnino ad varietates pertinet. Inter Erigerontis ſpecies duae, quas primo et ſecundo loco poſuit in Enum. coniungendas nunc eſſe exiſtimat. Taraxacon 2 velut varietatem ad primum et n. 6 et 7 ad quintum ita vt verae ſpecies modo ſuperſint 1. 3. 4. 5. 8. Hieracium 10 accepit nomen hieracii foliis ouato lanceolatis, obiter dentatis, viſcidis, caule brachiato multifloro. LINNAEUS non habet, nam eius hieracium praemorſum a dicto differt calyce non hiſpido, odoris et viſcoſitatis abſentia. Emendatur quoque Hieracium n. 10. Expungi poſſe credit Hieracium n. 2. 11. 15. 19 de 24. 25. 28.

28. 30. 31 porro oportet quaerere et de 14 dubitare, an potius ſit varietas.

Haec de emendatis plantarum deſcriptionibus aliisque correctionibus. Indicemus nunc eas, quae quaſi ius ciuitatis in Heluetia, quod olim incognitae erant, obtinuerunt v. c. Alyſſon, foliis pinnatis multiformibus, floribus racemoſis luteis ALLIONII. Arabis, foliis radicalibus ouatis integerrimis ſcabris, caule ſubnudo; Vicia 6 LINNAEI; Geniſta, caule decumbente ramoſo, foliis ouatis, floribus longe petiolatis; Lentibularia minor LINN. in flor. Suec. p. 10; Caſſida procumbens, foliis ouatis crenatis ſubhirſutis, ſpicis folioſis; Saluia, foliis petiolatis cordiformibus obtuſis, verticillis nudis; Valeriana, foliis integerrimis radicalibus ouatis caulinis linearibus obtuſis; Cinara, foliis petiolatis lanceolatis, incognita haec nobilis planta nuperis, etſi ad rem medicinariam praeſtans eſt. Artemiſiae 3 nomine Cl. viri duas coniunxerunt plantas, quae tamen ſeparandae ſunt, nimirum Artemiſia, foliis ſericeis, caulinis pinnatis, radicalibus bis tripartitis; et Artemiſia, foliis ſericeis caulinis pinnatis, radicalibus petiolatis pinnatis, pinnis trifidis et quinquefidis. Aſteribus tres ſpecies additae ſunt nuper in Heluetia inuentae, flauo flore omnes. Planipetalorum claſſis omnium pluribus ciuibus aucta eſt v. c. Hieracium foliis ouatis lanatis; Hieracium caule vnifloro, foliis ad caulem ouato lanceolatis dentatis amplexicaulibus; Hieracium foliis lanceolatis, glaucis, caule brachiato multifloro. Intybi duae ſpecies hirſutae diſtinctae hic traduntur, prima eſt intybus foliis omnibus ellipticis hirſutis ſerratis, LINNAEO incognita; alter eſt foliis inferioribus ellipticis hirſutis ſerratis, ſuperioribus ouato lanceolatis. Scorzoneras, duas Helueticas, quas dubia ex fide Ill. Auctor recenſuerat, nunc abunde lectas confirmauit, quarum prima eſt

Scor-

Scorzonera caule nudo, vnifloro, foliis petiolatis ouato lanceolatis; et altera Scorzonera caule nudo vnifloro foliis linearibus neruoſis.

p. 48. 2) CAROLI ALLIONII *ſynopſis methodica ſtirpium horti Taurinenſis.* Lectu omnino digna eſt haec plantarum recenſio, partim ob plantas illas, in Pedemontanis regionibus, ſponte creſcentes, quas Cl. Auctor in hoc plantarum catalogo ſemper aſteriſco notauit: partim ob alias tanquam nouas ſpecies propoſitas, quas omnes, vt incognitas ſpecies, ſeparatim recenſuit atque deſcripſit. Ceterum quod ad nomina triuialia, vt dicunt. attinet, LINNAEUM ſemper ſecutus eſt, item in diſponendis generibus; quae appellandarum plantarum, ad internoſcendas plantas in poteſtate noſtra conſtitutas ratio ſemper in laude eſt. De plantis ſingulis, quae hic commemorantur, niſi in vniuerſum omnes excerpemus, parum aut nihil dicemus. Non ingratum tamen lectoribus fore arbitramur, nouas illas ſpecies, quas Cl. Auctor accurate deſcripſit, paucis indicare. Saluia cretica anguſtifolia CLUS. hiſt. 343. ſaluiae officinali valde ſimilis, diuerſa tamen ob folia, verticillos decemfloros et nudos; ſaluia cretica LINN. alia omnino eſſe debet, cum calyces diphillos ei tribuat. Saluia villoſa et viſcoſa, foliis lanceolato ouatis verſus petiolum angulatis, exoticae originis planta neque, vt Cl. Auctor exiſtimat, botanicis nota. Folia prima petiolata, deinde ſeſſilia, verſus petiolum ampliora et angulata, vt in ſaluia officinali, ſed minora, non aſpera; calix ſtriatus, bilabiatus. Labii ſuperioris dentes tres minimi approximati, inferioris ariſtati. Flos tubo corollae, calycem aequante, galea villoſa fornicata, truncata, alae ſubrotundae rectae; barba concaua, obuerſe cordata triangulariter emarginata; antherae extra galeam protenſae, ſemi-

ſemina nigra, ſubtrigona oblonga. Deſcribuntur quoque Lamium montanum hirſutum, folio oblongo, flore purpureo Cl. PONTEDERAE; Caſſida caule quadrangulo rubente teucrii ſerrato folio, fl. coeruleo, labro albo. TILLI. piſ. teucrium ſupinum perenne paluſtre glabrum foliis laciniatis fl. albo Cl. MICHELII TILLI. piſ. cum icone. Conuoluulus repens maritimus ſpicaefolius TRIUMF. obſ. p. 91. In chelone hirſuta quintum ſterile villoſiſſimum ſtamen anthera deſtitutum reliquis fertilibus longius eſſe, Cl. Auctor quoque adnotauit. Clypeola perennis incana, foliis ſubrotundis calyce deciduo ſiliculis ouato acutis, noua eſt planta in ſummis Alpibus cottiis habitans, cuius deſcriptionem et iconem in enumeratione ſtirpium Pedemontii promiſit Auctor. Amorpha fruticoſa vnico exemplo habet florem monopetalum, tantummodo vexillum alis et carina deficientibus. Occurrunt etiam deſcriptiones de Silene viſcoſa p. 65.
alpina foliis omnibus planis etc. MANETTI, Spicil. n. 1005; et de Delphinio nectariis diphillis floribus ſolitariis, foliis multipartitis, foliolis lineari acuminatis, Enum. nic. p. 200 vt alias nouas ſpecies ab Auctore non deſcriptas taceamus.

3) IOH. FRANCISCI CIGNA *de motibus electricis* p. 77.
experimentum. Magna contentio inter viros phyſicae peritos fuit, vtrum ad motus electricos ciendos aer ſit neceſſarius necne. Quaeſtionem demum Cl. BECCARIA excogitata noua methodo definiuit, qua per verticem recipientis pneumatici traducta catena electricitatem in vacuo commodius excitaret, et vt taceamus alia ab eo inſtituta tentamina, vnde intellexit, motus electricos in vacuo accurato penitus extingui; in rariori aere languere in ratione ſubducti aeris. Quae, cum a nemine poſſint in dubium vocari, ad aliam quaeſtionem ſoluendam anſam praebuerunt, ſcil. vtrum id vi aeris coercendi, an elaſti-

citati,

citati, an alii ſit proprietati adſcribendum. Quam explorandam rem Cl. Auctor, quae ſequitur, deſcriptione experimenti illuſtrauit:

Inter catenae extremum oleo immerſum et ferreum filum cum ſolo communicans oleo itidem immerſum globulum ferreum ex ſerico filo pendulum ita collocauit, vt globulus etiam intra oleum demergeretur; dein electricitatem excitauit, eiusque vi globulum inter catenae extremum et filum ferreum cum ſolo communicans in oſcillationes perinde adigi obſeruauit, ac in aere contigiſſet. At idem experimentum in aqua, aliisque liquidis, quae paullo minori facilitate, quam ferrum ab electrico fluido permeantur, tentanti, non licuit auctori per mediocrem et conſuetam electricitatis vehementiam vllos motus excitare.

Ex his colligit Cl. Auctor, nullos poſſe in ſpatio aere vacuo motus electricos excitari, porro aeris vim in motibus electricis producendis ex eius elaſticitate non eſſe deducendam, oleum enim elaſticitatis expers easdem non minus efficit.

p. 80. 4) IOH. BAPTISTAE GABER *experimentorum de putrefactione humorum animalium, ſpecimem ſecundum, in quo praecipue agitur de ſedimento ſeri purulento ac membrana pleuritica.* Cl. PRINGLE primum docuit, absque vlla vitae actione digeſtum ſerum, ſedimentum deponere, quod veri puris ſpeciem omnino prae ſe fert. Hoc inuentum Cl. Auctori dignum eſt viſum, in quo confirmando omnem operam nauaret. Quapropter multa inſtituit experimenta, quae confirmant: ſedimentum duplex a putreſcente ſero conſtanter deponi, alterum primis digeſtionis diebus, alterum paullo tardius; porro ſedimentum eſſe opacum, ſpiſſum, in aqua poſſe diſſolui, frigore autem non cogi, neque liberum eſſe a partibus inflammabilibus, quae vt multa alia etiam in pure reperiuntur,

tur, hinc eius ortus ex ſero mirifice confirmatur. Obſeruauit quoque Cl. Auctor, pus a pinguedine potius vitiari, quam ab eadem conſtitui; neque cruorem, licet vaſe hermetice clauſo digeſtum, vnquam ad puris colorem aliasque dotes accedere. Serum igne induratum et digeſtione in vaſe clauſo exploratum, ſenſim paulatimque ſolutum, dimiſſaque aqua, gelatinae ſpeciem induit, quae emollito ſedimento puriformi haud abſimile fuit. Quod in ſero digeſto, id etiam in albumine oui contigit. Quae in cruſta pleuritica obſeruauit Cl. Auctor, haec inprimis ſunt: Cruſta pleuritica in vaſe hermetice clauſo poſt aliquot dies fluida euaſit vel tardius vel citius pro aeris raritate. Ergo molleculas ſanguinis colore depoſito in cruſtae elementa abire probabile eſſe videtur. In dicto vaſe ſoluta cruſta in oleoſum liquorem nunquam aut ſpeciem oleoſi liquoris mutauit aut ſedimentum vllum puri ſimile depoſuit. Ex quibus intelligitur, eam ex aliis ſeri partibus conflari, vt illae ſunt, ex quibus ſedimentum conſtat; porro cruſtam, vt ſupra dictum, ſolutam non calore liquari ſed ingruente putredine. In aqua ſiue pura ſiue nitrata nullum ſolutionis diſcrimen obſeruatum fuit. Cum ſpiritu volatili ſalis ammoniaci calce parato, in vaſe clauſo digeſtam cruſtam, intra horam tremulae gelatinae ſimilem membranam induit; peractis vero aliquot horis in liquorem admodum fluidum abiit. Inde conſtat, verum membranae phlogiſticae menſtruum eſſe alcali volatile.

p. 87. p. 90. p. 92.

6) *Obſeruationes ſuper fluido elaſtico pulueris pyrii continuatae* a Comite SALUCE. Mira eſt ſedulitas perill. Com. in inueſtiganda materie elaſtica, quae pulueri pyrio ineſt, indole tantaque experimentorum copia, vt perdifficile ſit, primas vt dicunt lineas de iis ducere. Vniuerſa diſputatio quinque capitibus p. 94.

bus continetur, quarum ſumma eſt: de efficientia aeris in puluére pyrio, propagatione, inflammatione et exploſione; de caloris ad incendendum pulueremn pyrium gradu neceſſario, cum in ſpatio aeris pleno tum vacuo. De definienda caloris intenſitate, pro diuerſa pulueris pyrii copia eiusque effectu. De vaporibus ſulphuris, pulueris pyrii, et luminis accenſi etc. de puluere pyrio, cui nullum immixtum eſt ſulphur.

p.143. 6) IOH. FRANCISCI CIGNA *de frigore ex euaporatione et affinibus phaenomenis nonnullis.* Iam ſuperiore tomo Cl. Auctor de hac re egregie diſputauit, neſcius tamen eorum experimentorum, quae in eodem argumento Cl. CULLEN in act. Edinburg. an. 1756 *) iam dudum praeſtiterat: nactus tamen legendae diſputationis ab eo elaboratae occaſionem, eandem rem nouis experimentis confirmauit et, quae minus accurate tradita eſſent, noua diſquiſitione aliisque experimentis perfecit. Obſeruauit enim cum Cl. CULLEN, ab oleis quoque eſſentialibus liquorem thermometricum deprimi, minus tamen quam
p.145. ab alio quouis liquore. Calorem thermometri acido minerali adſperſi ex abſorpto humido aereo produci, multa confirmant experimenta, calor ſemper
p.146. minor eſt, quo adhibitum oleum minus eſt concentratum, et quo oleum vitrioli aquoſius, ceteris tamen paribus, eo maior exoritur frigoris gradus; contra ſi ſumme ſit concentratum, non frigidam ſed calidam efferueſcentiam cum ſale ammoniaco efficit; ac in vniuerſum omnes ſales, qui aquam refrigerant, oleum vitrioli dilutum ſimiliter refrigerant, concentratum vero calefaciunt. Verum quaeſtio orta eſt, num liquida vaſis apertis infuſa euaporatione ſuperioris

*) vid. Comment. noſtr. Vol. VII, Part. I. p. 72.

rioris ſuperficiei frigidiora euadant? In vacuo id contingere Cl. CULLEN experimentis confirmauit, non idem in aperto aere; obſeruauit tamen Cl. Auctor, feruentem aquam oleo tectam longe tardius refrigerari, quam nuda et aeri aperto expoſita. Euaporatio in vacuo non ideo ceſſat, quod bullae aereae deficiant, ſed rectius quod ſpatium vaporibus iam refertum ſit, quae res ſub clauſo recipiente aeris pleno experimentum inſtitutum approbauit. Inde intelligitur, cur, humida tempeſtate, corpora aeri expoſita humida propter humoris euaporationem minus, quam ſicca tempeſtate refrigerentur; eadem eſt ratio venti, aerem perpetuo circa corpora euaporantia renouantis, vbi euaporatio et frigus, ex euaporatione ortum, augentur. Inde etiam patet, cur aqua, ſale ſaturata, in vacuo ſpatio non in cryſtallos concreſcat. Verbo euaporationem non ab aere, ſed ab alia quadam cauſa, forſitan a ſolo calore, liquores expandente, eſſe deducendam Cl. Auctor opinatur. p. 153.
Experientia etiam edoctus demonſtrauit, vaporum praeſentiam in vacuo Boyleano non eſſe negandam. Vapores ſalis ammoniaci quoque in vacuo calorem efficere Cl. Auctor experimento, ſimili quidem Muſſchenbroekiano, magis tamen correcto, affirmare annifus eſt. Euaporationem aere cohiberi, in dubium profecto non poteſt vocari, eoque magis, quo denſior eſt, in vacuo vero melius procedit. Extitit quoque quaeſtio, cur corpora ſolida in vacuo tardius, quam in aere; contra vero fluida quaedam vt aqua in aere tardius, quam in vacuo refrigerantur? Ex iis tamen, quae ante dicta ſunt, facile perſpicitur, ſolidorum corporum refrigerationem eſſe in vacuo ex aequabili caloris diffuſione minorem, quam ea eſt liquidorum refrigeratio, quae non modo ex aequabili caloris effuſione, ſed etiam ex euaporatione diiudicanda eſt, inſtitutis enim experimentis p. 161.

 patet,

patet, fluida ſiue fixa ſiue volatilia, dum modo vaſis coercita euaporare non poſſint, ſimili modo vt ſolida corpora tardius in vacuo, quam in aere refrigerari. Euicta etiam eſt Cl. GALEATII experimenti ratio, ſc. liquorem in thermometris, aere ſubducto, nonnihil deſcendere, eiusque phaenomeni cauſam eſſe, quod aer, qui ex omni parte vitrum circumdat, ipſum conſtringat paululum, hac vero conſtrictione nunc ſublata, vitrum relaxetur, vnde efficitur, vt liquor incluſus nonnihil deprimatur.

p. 168. 7) Eiusdem *de cauſa extinctionis flammae et animalium in aere intercluſorum.* In ſuperiore tomo de eodem argumento Cl. Auctor expoſuerat, et idem nunc eo animo repetit, vt propoſita quaeſtio nouis experimentis melius ſolueretur et omnes dubitationes, quantum fieri poſſit, remouerentur. Quo pacto campanam vitream, ſexdecim prope librarum aquae capacem, ita ſuſpendit, vt tres digitos limbo ſuo in aquam vaſis ſubiecti demergeretur, ad internam ſuperioremque campanae partem trochleam adaptauit, per quam funiculus traiiciebatur, cuius alteri extremo exigua cauea erat adnexa, dum extrema altera pars per aquam ſub campanae limbum traductum ita ad manus erat, vt cauea per aquam eleuari poſſit, funiculus alter, caueae fundo adnexus atque ſimili modo ſub campanae limbum traductus caueae deprimendae et e recipiente per aquam educendae cauſa. Hoc modo cauea cum auicula incluſa in aerem ſub recipiens poſitum per aquam induci et deduci commode poterat, ſine aeris mutatione, quoniam aqua, quae campanae limbum vndique circumdabat, impedimento erat. Immiſſus ſic carduelis poſt quatuor horas mortuus eſt, quod itidem, celerius tamen, contigit aliis poſtea immiſſis. Ex his patet, aerem ab animalibus ita vitiari, vt immiſſa animalia alia citiſſime extinguat. Neque ſolum flamma et animantia

in

in aere, ab alia flamma aut animali vitiato, ſuffocantur, ſed ipſae quoque plantae. Idem etiam de ranis ſtatuendum eſt. Dubia tamen res eſt, vtrum ranae in vacuo preſſionis defectu, an reſpirationis pereant? ad definiendam hanc rem Cl. Auctor ex ranis quatuor, vnam in vaſe, quod vncias duodecim capiebat, incluſit, alteram in vaſe alio duplo maiore, tertiam in vaſe quod quadruplum aquae recipere poterat; p.172.
quartam in libero aere reliquit. Tunc thermometrum 20 gradum in ſcala Reaumuriana indicabat. Poſt horas 60 omnes mortuas inuenit; laeſae tamen reſpirationis indicia ante mortem aut nulla aut dubia animaduertit. Pereunt itaque ranae prope modum eodem tempore et in aperto et in intercluſo aere; forſitan aquae defectu? verum alia experimenta cum ranis inſtituta docuerunt, haec animalia, cum aqua in aere intercluſa, vitam fere ducere, quae ſit vt quantitas aeris ſimul incluſi, atque eas, vt cetera animalia, ex reſpirandi difficultate interire, quod eo citius euenire ſolet, quo plures in pari aeris quantitate ſunt incluſae. Aliam quaeſtionem etiam ſoluit, ſcil. quantum pro varia aeris denſitate ſimul p.176.
intercluſorum animalium vita breuior vel diuturnior euaderet? Inſtitutis experimentis, comperit Cl. Auctor, in aere diuerſae denſitatis vitae durationem non reſpondere quantitati aeris; adeoque eandem aeris quantitatem diutius animalium vitam ſuſtentare, dum condenſatus, non rarefactus, fuerit. Porro inde colligit, imminutionem elaſticitatis aeris eſſe maiorem, quando aeris denſitas maior eſt; atque noui aeris admiſſi elaſticitatem, poſt animalium mortem, iterum imminui. Perſpicuum etiam eſt, rariorem aerem ob raritatem animalibus aut flammae nocuum non eſſe. Patet etiam aerem, ſub recipiente pneumatico admodum rarefactum, vitae ac reſpirationi ſuſtentandae eſſe aptum,

 dum

dum modo renouetur; quo inde efficitur, vt animalia maiores mutationes denſitatis tollere valeant, quando denſitas natiua interclufi aeris augetur, quam, cum imminuitur. Verum phaenomenis omnibus immi-
p.183. nutae, ab animalibus inprimis, aeris elaſticitatis conſideratis luculenter apparet, vapores in cauſam ſuffocationis eſſe adducendos. Perperam itaque nonnulli aeris elaterii imminutionem ex abſorpto per pulmones aere et in ſanguinem traducto eſſe repetendam exiſtimant. Elaterii imminutio in flamma producta aeris rarefactioni tribuenda eſt, quae a pari flamma
p.190. aequalis, a maiori in eodem ſcil. recipiente maior, producitur. Quaeritur tamen, num vapores iidem, an diuerſi, et flammam et animalia in interclufo aere ſuffocent? et inſtitutis experimentis, quae Cl. Auctor deſcripſit, omnino patet, diuerſos eſſe. Halitus enim, quibus incluſa in aere animalia pereunt, ad putridorum halituum naturam ſemper accedunt, quibus innumeri alii addi debent, qui animalibus noxam ferunt, v. c. e plantis aliisque corporibus prodeuntes vapores. Flamma vero in aere interclufo ſuffocatur, quod aer, flammae vaporibus ſemel ſaturatus, nouorum vaporum, in quos per combuſtionem ignis pabulum fuiſſet ſoluendum, eruptionem cohibeat. Eadem fere eſt ratio, cur ſtirpes quoque in interclufo aere pereant; aeris enim elaterium infringunt paullatim minus et pari paſſu langueſcunt, adeo vt noua poſtea eiusdem generis planta cito pereat et aeris elaterium amplius infringere non poſſit. Sic quoque vapores ex interclufione non ideo animalibus nocent, quod vt ſupra iam monitum eſt, aeris ela-
p.198. ſticitatem imminuant. Quodſi in phyſicas cauſas inquiramus, quibus inquinatus aer animalia ſuffocet, prima erit imminuta et ſuppreſſa a ſimilibus vaporibus reſpiratio, quibus aer iam refertus et ſaturatus

ſit,

ſit, cum eius elaſticitas ab aliis animalibus immiſſis infringi amplius non poſſit. Aliam eſſe cauſam in neruoſi ſyſtematis, a deleteriis in aere congeſtis vaporibus, irritatione et perturbatione quaerendam, Cl. Auctor opinatur, vnde bronchia et pulmones contrahantur et aeris expanſioni negent cedere.

8) FELICIS VALLE Taurinenſis *Florula Corſicae*, edita a CAROLO ALLIONO. Scripſit olim Cl. ALLIONE in rar. pedem. ſpec. hanc herbarum collectionem a Cl. VALLE in inſula Corſica factam periiſſe, faſciculumque maritimarum ſtirpium, quas acceperat, ad Sauonae territorium pertinere. Poſtea vero certior factus, has ſtirpes omnes etiam in inſula Corſica dicta a nominato auctore circa *S. Fiorenzo* eſſe collectas. In botanicorum commodum igitur eas additis rariorum icone et deſcriptione recenſuit. Quae profecto rariores ſunt plantae, quasque depingere curauit Cl. ALLIONE, eas modo indicabimus, niſi tota florula ſit tradenda. Antirrhinum procumbens ramoſum foliis alternis ouatis, acuminatis integerrimis floribus axillaribus; huius amplior deſcriptio occurrit Miſc. Taurin. tom. I p. 88, icon vero hoc tomo exhibita eſt. Chryſanthemum latifolium BAUH. hiſt. 3. p. 105 tota planta leuiter piloſa, folia amplexicaulia cum auriculis, inferiora ſpatulata, ſuperiora fere linearia, omnia breuibus et acutis dentibus ſimplicibus ſecta, ſquamae calycis membranaceae ſubhirſutae, ſemifloſculi lutei longiores et graciliores in chryſanthemo ſegetum, viginti circiter. Ciſtus ſuffruticoſus ſtipulatus erectus, foliis oblongo ouatis acuminatis ſubtus incanis minime ciliatis, cuius icon tab. II. traditur, ad Helianthemum vulgare flore luteo C. B. plurimum accedit, differt tamen foliis ex ouato ſenſim acuminatis, nec ellipticis obſcure virentibus, breuiſſime piloſis, nul-

p. 204. p. 107.

lis ciliatis; caules duri, lignoſi, rotundi, ſubrubentes, ſubincani, aliquantulum piloſi. Euphorbia vmbella quadrifida: bifida, foliis cuneiformi linearibus tridentatis. In tab. III icon eius extat. Procumbere videtur haec Euphorbiae ſpecies, folia habet glabra ſeſſilia ſublinearia et fine ampliora et tridentata. Vmbella quadrifida. Inuolucri vniuerſalis folia quatuor ex cordato ampliori principio, deinde linearia apice tridentato. Vmbellula bifida, inuolucra minora diphilla foliis amplioribus; fructus glabri. Gnaphalium caule ſimpliciſſimo, foliis amplexicaulibus lanceolatis denticulatis, corymbo compoſito terminali. Miſc. Taur. tom. I. p. 95 cum deſcriptione; huius iconem exhibet tab. IV. Hae ſunt ſpecies illae rariores. Monendum quoque eſt, hanc plantarum collectionem ad rationem alphabeticam eſſe redactam.

p. 219. 9) *Supplementa ad diſputationem ſuper fluido elaſtico* Auct. DE SALUCE.

p. 1. 10) *Litterae* Cl. EULERI ad Nob. DE LA GRANGE, *quae continent obſeruationes de propagatione ſoni in medio elaſtico.*

p. 11. 11) *Nouae diſquiſitiones in naturam et propagationem ſoni* Auct. DE LA GRANGE.

p. 173. 12) *Noua methodus determinandorum maximorum et minimorum foro formulis integralibus indefinitis.* Auct. DE LA GRANGE.

p. 196. 13) *Huius methodi applicatio ad ſoluendas dynamicas quaeſtiones elaborata a* DE LA GRANGE.

Super

14) *Super principiis fundamentalibus ad mechanicam pertinentibus diſſ.* ab Equ. DAVIET DE FONCENEX. p. 299.

15) *Supplementa ad diſputationem de propagatione ſoni* Auct. DE LA GRANGE. p. 323.

16) *Illuſtrationes quaedam, ad quantitates imaginarias pertinentes* Auct. DE FONCENEX. p. 337.

17) *De infinito abſolute conſiderato in quantitate* Auct. GERDIL. p. 1.

18) *Algebrae philoſophicae in uſum artis inueniendi ſpecimen primum* LUDOVICI RICHERI. p. 46.

19) *Obſeruationes in curſum fluuii Padi* (Po) Auct. CARENA. p. 64.

XII.

Diſſertation ſur ce, qu'il convient faire pour diminuer, ou ſupprimer le lait des femmes, cet. Ouvrage couronné par la Société Hollandoiſe des Sciences a Harlem, le 2 May 1762 par M. DAVID. a Paris, chez Vallat Lachapelle 1763. 12 maj. pl. 7½.

h e.

Diſſ. de imminuendo aut ſupprimendo foeminarum lacte. Auctore Cl. DAVID.

Poſtquam Cl. Auctor diſſeruit de menſtruis, ſecretione lactis in mammis, eiusque natura, diſputationem in duas diſtribuit partes, quarum prior

 docet,

docet, quae conueniant ad augendum, diminuendum vel ſupprimendum lac in feminis, poſterior explicat ſymptomata, quae lac vt plurimum excitat, et quo modo his proſpiciatur, tandem nonnullas ad-
p. 6. dit annotationes. Cum vterus feminarum non grauidarum ſit viſcus cauum, cuius vaſa ſatis longa copioſos flexus faciunt: ſanguis ibi lentius progrediens vaſa ſenſim diſtendit, obſtruit, et plethoram ibi excitat, vt ſenſim arteriae lymphaticae ſanguinem ipſum recipere poſſint, tandem rumpantur et ſanguinem cum lympha in vteri cauum immittant, atque ſic euacuatae, ob elaſticam vim parietum priorem diametrum recipiant, denuoque intra menſis ſpatium nimis diſtendantur et rumpantur; atque ſic peragitur mechaniſmus menſtruorum. Cum vero in grauidis vteri parietes diſtendantur et flexus vaſorum imminuantur, ſanguinique minus reſiſtant, in nutricibus autem tantum in mammis plethora locum habeat: in
p. 13. vtrisque menſtrua ſupprimuntur. Ratio ſecretionis lactis in mammis haec eſſe videtur. Vltimo nimirum grauiditatis tempore refluxus humorum producitur ab vtero expanſo, qui, comprimens vaſa inferiora, circulum ſanguinis in arteriis paululum retardat, eiusque regreſſum in venis imminuit. Sic ſanguinis diſtributio in vtraque aorta inaequalis redditur, quod 1) refluxus ſanguinis, ab inferioribus arteriis factus, efficit, vt aorta inferior minorem ſanguinis copiam a ventriculo ſiniſtro accipiat, aorta ſuperior iuſto maiorem; 2) quod difficilior regreſſus ſanguinis in venis facit, vt vena caua, quae aliqua ſanguinis regredientis copia deſtituitur, etiam aliqua vi pulſatiua priuetur. Tum vaſa ſuperiora, inprimis mammaria ad plethoram, ob copioſum, quem perreptant, contextum celluloſum, maxime diſpoſita, magis extenduntur, atque ſic via ad ſecernendum lac praeparatur. Cum vero poſt partum

tum ſubitanea c   ſtrictio vaſorum vteri alterum efficiat refluxum ſanguinis in aorta inferiori, et inaequalem diſtributionem ſanguinis in vtraque aorta ſuſtineat: vaſa mammaria ſic expanduntur, vt arteriae lymphaticae globulos lacteos recipiant, hos vnacum lympha per glandulas mammarum ducant et lac ad ductus excretorios, in papillam deſinentes, deferant. Igitur, anaſtomoſis arteriarum epigaſtricarum cum arteriis mammariis parum confert ad lactis in mammis ſecretionem.

Pars Ima. Omnia, quae 1) fouent plethoram vaſorum mammariorum, 2) magnam chyli copiam producunt, 3) exitumque lactis facilitant: ſecretionem lactis augent. *Prius* oritur plethora vel vniuerſali, vel partiali; illam efficiunt bona et copioſa alimenta, intermiſſio exercitationum nimiarum vel tranſpirationis nimiae, euitatio haemorrhagiae, diarrhoeae, fluoris albi; hanc excitamus, ſi partes ſuperiores magis foueantur, inferioribus, brachia in aquam calidam immergantur, et ligaturae arctius his applicentur. Ligaturae enim, cum ſanguinis refluxum retardent, efficiunt, vt vena caua ſuperior difficilius ſanguinem mittat in auriculam dextram. Igitur venae cauae ſuperioris rami venoſi, adeoque ipſae venae mammariae magis diſtenduntur, arteriis capillaribus magis reſiſtunt, atque his expanſis plethora vaſorum mammariorum oritur, quam balnea calida brachiorum augent, ob rarefactionem humorum et venarum diſtentionem. His adiici poteſt vſus ſeminum aniſi, foeniculi, carui et anethi, quibus foueantur mammae decoctis emollientibus calidis, et leniter fricentur. *Secundum* praeſtant alimenta farinacea, fermentata, lac, olera cocta, cet. fugiant feminae nimiam exercitationem et nimiam quietem, ne chylus citius diſſipetur, nec digeſtio laeda-

p. 30. p. 40.

laedatur; euitent animi perturbationes, inprimis
p. 44. venerem. *Tertium* optime iuuat ſuctio infantis, cum
conſtet, etiam viros ſibi, a repetita ſuctione infantum, produxiſſe in mammis ſecretionem humoris, lacti analogi, et ſatis copioſi ad nutriendos infantes lactantes. Femina, quae, infante orbata, lac augere cupit, vel permittat ſuctionem adulti hominis, vel ſibi lac educat inſtrumento idoneo, *tetiere* dicto. Si venaeſectio requiritur, haec fiat in brachio, abſint pediluuia calida et immerſio brachiorum in
p. 49. aquam frigidam. Supprimitur lac 1) imminuendo
plethoram generalem, 2) partialem mammarum, 3) chyli copiam. Plethora generalis imminuatur ſtatim poſt partum, dum lochia fluunt, quae augeantur leni calore partium inferiorum, fomentis emollientibus, frictione, pediluuiis calidis, clyſmatibus lenientibus, venaeſectione pedis. Tranſpiratio iuuetur temperato calore conclauis, potuque diaphoretico. Primis diebus poſt partum praeterlapſis, ſi lac nondum ſatis ſuppreſſum eſt, repetatur venaeſectio pedis ac pediluuia calida cum ligatura pedum interea ſuſtinenda, alimenta parum nutrientia exhibeantur, purgantia, inprimis hydragoga, aliquoties ſumantur, vt et diaphoretica. Quae quidem omnia in iis vix ſufficiunt, quae iam per aliquot tempus lactarunt, in quibus potius diminuatur plethora partialis mammarum topicis, adſtringentibus ſcilicet et leniter diſcutientibus, vt v. c. linteis, aqua plantaginis vel decocto centinodiae imbutis, terra in aqua ferrariorum reperiunda, cataplaſmatibus frigidis ex roſis prouincialibus in vino rubro coctis, mammis impoſitis, ſtillicidio aquae frigidae in brachia et mammas, foliis cucumeris ſatiuae vulgaris, quae trita mammis applicentur. Inprimis menſtrua excitentur emmenagogis, vt vſu rutae, abſinthii, artemiſiae, croci, aloes, martis eiusque, praeparatorum,

rum, cet. Ad imminuendam chyli copiam femina fugiat iuſcula, eaque cum pane cocta, lac, alimenta farinacea, ſucculenta; potius ſiccis vtatur.

Pars IIda. Symptomata, quae ſaepe excitat lac, duplicis generis ſunt, et oriuntur vel a nimis copioſo, ſtagnante et inſpiſſato lacte in mammis, vel, ſi lac non ſeparatur a ſanguine. *Priora* ſunt inflammatio mammarum, a nimia lactis copia, abſceſſus ab eius decompoſitione, ſcirrhus ab inſpiſſato lacte, et cancer, ſaepe inde oriundus. His proſpicit ſuctio infantis robuſti et ſtrictior diaeta. Si femina non vult lactare et mammae ſunt inflammatae: lochia augeantur clyſmatibus emollientibus, pediluuiis calidis, frictione, venaeſectione pedis, cui, ſi vteri inflammatio ſimul adeſt cum lochiorum ſuppreſſione, venaeſectio brachii praeferatur. Imponantur mammis cataplaſmata e quatuor farinis coctis in decocto ſaluiae et menthae, adiecto oleo camomillae, vel cataplaſma calidum mellis puri et foliorum betae rubrae ſiccatorum. Applicetur deinde linimentum ex vna parte aceti et tribus olei roſati. *Poſteriora* ſunt febris lactea, tertio vel quarto die, in iis, quae non lactant, ſuperueniens, ad quatuor viginti horas perdurans, in quo tempore mammae intumeſcentes lac recipiunt, eaque vt plurimum ſudore finitur, qui odorem lactis habet. Haec febris, nutrici minus moleſta, ſi lochia et tranſpiratio augentur, non diu durat, diutius, ſi humor ſuperfluus hac via non exit, et periculoſa fit atque deliria, phrenitidem, conuulſiones, cet. excitat, ſi lochia et tranſpiratio imminuuntur. Tunc dicitur lac effuſum eſſe, cuius pars oleoſa ranceſcit, humores diſſoluit et, niſi mortem inducat, tamen rheumatiſmi et artuum relinquuntur dolores, cum tenuiſſima pars materiae lacteae exeat, et caſeoſa canales, in apo-

p. 57.
p. 65.

neuro-

p. 72. neurotico contextu excurrentes, obſtruat. Haec
praecauet diminutio plethorae et lactis excretio. Id
initio optime praeſtat lactatio infantis, ſi vero lac
iam aliam ſibi elegit viam, lochia augeantur, et
ſtrictior ſit diaeta. Si ex ſudore, ingratam dulcedi-
nem ſpirante, puerperarum concludimus, lac per
hanc viam excerni: tranſpiratio calore modico, dia-
phoreticisque foueatur; ſin lochia et ſudor his non
augentur: venaeſectio pedis et diaeta ſuadenda eſt.
Cum ſaepe materia lactea eiiciatur vrina: arcanum
duplicatum naturam in hoc conatu iuuet. In pri-
mis diebus puerperii purgantia non exhibeantur,
cum lochia imminuant. Si vero primae viae non
liberae ſunt, lene purgans primis diebus condu-
cit; ſin humor lacteus deiectiones efficiat: purgan-
p. 84. tia etiam repetita conueniunt. Si femina, lacte ef-
fuſo laborans, dolores ſentit in variis partibus, vt
femore, faſcia lata, cruribus, pedibus, adeoque
oedemata oriuntur, et aegra inciſionem non per-
mittit: veſicatorium magnum parti dolenti applice-
p. 87. tur et ſuppuratio ſuſtineatur. Annotationes adie-
ctae nonnulla huius libelli conſilia, a nobis iam in-
dicata, vlterius explicant.

XIII.

XIII.

Flora Ingrica, ex ſchedis STEPHANI KRASHENINNIKOW Botan. et Hiſt. natur. Prof. quondam Petropolitani confecta et propriis obſeruationibus aucta a DAVIDE DE GORTER Ph. et M. D. Auguſt. Ruſſorum Imperatricis Medico etc. Petropoli typ. Academiae ſcientiarum, 1761. 8 mai. plag. 12½.

BUXBAUMIUS, AMMANNUS, GMELINUS aliique botanici licet Ruſſici imperii plantas, etiamque cum Petropoli degerent, Ingriae proprias collegerint, et in ſuis ſcriptis notauerint, nullus tamen ex profeſſo Ingricae Florae exercitum inſtruxit. Cl. KRASCHENINNIKOW itaque, qui primus ex gente Ruſſica eſt botanicus, et qui in Commentariis Petropolitanis nonnulla dedit ſpecimina, decemque per annos per Sibiriam botanices cauſa itinera inſtituit, omnem quoque Ingriam peragrauit, plantas obuias ſtudioſe examinauit, ad methodum ROYENI diſpoſuit, nomina vernacula plantis addidit, rariores accurate deſcripſit, obſeruationibusque illuſtrauit. Multo autem labore ſtudioque feliciter inceptum opus, praematura morte ereptus, ad vmbilicum perducere non potuit Cl. Auctor. Praeſtitit vero idem DE GORTER. Hic namque iam an. 1754 Petropolin adueniens ſummo capiebatur deſiderio, plantas ibidem obuias, in patria nondum viſas, accuratius perſcrutari, et cum KRASCHENINNIKOW breui ante mortem Academiae tradidiſſet ſuum de Ingricis plantis Manuſcriptum, hoc ex Archiuo communicatum laetabundus obtinuit, plantas in eodem 506 recenſitas inuenit, dubiis notulas dein adſcripſit, differentias ſpecificas ex LINNAEI ſpecie-

bus

bus addidit, numerum ex BUXBAUMII et AMMANNI operibus auxit, omnesque ad methodum ſexualem ordinauit; ſequentibus porro annis Cl. KRASCHENINNIKOW veſtigia legit DE GORTER, plantas diligenter obſeruauit, loca natalia quarundam auxit, nonnullas ab anteceſſoribus omiſſas adiecit, differentias ſpecificas ex Florae Suecicae ſecunda, et Syſtematis naturae LINN. decima editione, nominaque triuialia adpoſuit, et ſic praeſens natum eſſe opuſculum, in praefatione docuit DE GORTER. Ne autem praeter neceſſitatem molem libelli augeret, pleraſque varietates ſtudio praetermiſit, nullasque eſculentas, niſi fuerint indigenae, neque exoticas adiecit, et in ſynonymis parcus admodum fuit.

Poſſent haec ſufficere, inprimis cum et plantae hic nominatae fere omnes ab aliis iam ſint enarratae atque deſcriptae, rariusque obſeruationes interſperſae; attamen quo KRASCHENINNIKOW in rem herbariam merita luculentius cognoſcamus, nonnulla ſpeciatim notemus. *Veronicam maritimam* in ſicciori ſolo foliis non ternatis, ſed coniugatis, et *ſpicatae* ſpicam ſemper inflexam; in *Eriphoro polyſtachio* quatuor conſtantes ſpicas, quarum tres pedunculatae et vna ſeſſilis eſt; in *Potamogetone criſpo*, folia minime criſpa obſeruauit. In *Hottonia* lacinias calicis patentiſſimas aliquando, deorſumque flexas, et verticillis florum folia linearia, numero florum reſpondentia, ſubiecta eſſe; in *Caro* inuolucrum vniuerſale nunquam deeſſe, et ex vno aut duobus foliolis conſtare; *Tormentillam erectam* ſaepiſſime caulibus declinatis, frequentiusque corollis pentapetalis quam tetrapetalis inſtructam; *Ranunculi auricomi* petala colore nonnunquam vix a calice differre, nectariumque modo paruum eſſe, notauit. *Subulariae aquaticae* corollam breuiorem, calice conniuente comprehenſam et ſtamina quatuor

vidit,

vidit, duo minora autem, quae ex obſeruatione LINNAEI denticulis carent, ne microſcopio quidem diſcernere potuit. In *Cardamine pratenſi* vngues petalorum ſinguli dentibus ſunt aucti, ita vt duo oppoſita dentes habeant ex ea parte, quae iuxta motum ſolis, reliqua duo ex ea, quae contra motum ſolis eſt, in *amara* autem ſpecie dentes illi vel non adſunt, vel in ſenſum vix cadunt. In *Eupatorio cannabino* tria ſaepiſſime ſtigmata vidit, feminumque coronam plumoſam neutiquam dici poſſe, ſed potius piloſam notauit. Nonnullas etiam ſpecies accuratius pleniusque deſcripſit; vt ſunt: *Auena pratenſis*, in cuius gluma interiori denticulos, a GMELINO notatos, inuenire non potuit, *Arundo auenaria*, *Iuncus bufonius*, *Cucubalus tartaricus*, *Auenaria trineruia*, *Geranium paluſtre*, *Trifolium ſpadiceum*, *Leontodon hiſpidum*, *Hieracium piloſella*, *Salix foliis lanceolato linearibus ſubtus villoſis ſplendentibus*, quae a Cl. Auctore ab aliis diſtinguitur.

Deprehendimus quoque hinc inde obſeruationes, quae virtutem plantarum concernunt, easdemque fere omnes Cl. DE GORTER debemus. *Gentianae campeſtris* decocto, cum cereuiſia ſecundaria facto, vtuntur Ruſſorum aniculae contra alui tormina; *Droſerae* ſyrupus contra catarrhos inueteratos laudatur; *Polygonati* radicis ſucco feminae ad faciei conciliandam gratiam, et *Polygono*, *hydropiper* dicto, Aſtrachanenſes in angina, et exulceratione cancroque narium et gulae vtuntur. Ex *Rubi ſaxatilis* baccis, cum melle fermentatis, optimus, ipſo cremato gallico praeſtantior, ſpiritus deſtillatur; ex *Callae* paluſtris radice Finni, Ingriae vicini, tempore anonae caritatis panem conficiunt; Medicaſtri decoctum *Lycopodii*, *Selago* dicti, cum lacte praeparatum, ad ſanandam haemoptoen laudant, quo aſſumto aeger per totam diem temulentus per-

manet,

manet, et interea per ſuperiora et inferiora purgatur; *Spongia fluuiatilis* ſalem continet acrem, vnde externe ad oculorum ſugillationes cutisque exanthemata, et interne pro vulnerario adhibetur; ex *Xyloſtei* ligno oleum deſtillatur, quod interne in cardialgia, cephalalgia aliisque affectibus, ac extrinſecus ad artus dolentes adhiberi ſolet.

Ingricam hanc Floram omni ex parte haud abſolutam eſſe, ſed plures forſan reſtare indigenas ſtirpes, ipſe Cl. DE GORTER concedit, ideoque cum altera vice patrios lares reliquiſſet, et Petropolin iterum ſalutaret, regiones illas peragrauit, nouasque diuitias collegit; has itaque plantas, nunc lectas, aliasque ab amicis communicatas, et praecipue illas, quas ERICUS LAXMANNUS, Suecus, apud Kolywanenſes in Sibiria Eccleſiae Lutheranae Paſtor, Botanices admodum peritus, prope Petropolin legerat, ſupplementi loco exhibuit, et an. 1764 *appendicem ad Floram Ingricam* edidit, quae vnica tantum plaga conſtat; quod bene animaduertendum, ſine hac enim incompletum venditur opuſculum.

XIV.

IOH. GOTTLIEB GLEDITSCH Ph. et Med. D. Med. et Botan. Prof. Reg. Acad. Reg. Scient. Imper. Nat. Cur. Reg. Suec. Sodalis. Elect. Mog. Scient. vtil. Aſſeſſoris Syſtema plantarum a ſtaminum ſitu, ſecundum claſſes, ordines et genera cum characteribus eſſentialibus. Berolini ap. Haude et Spener 1764. 8. Alph. 1. pl. 4.

Variis methodicis tentaminibus, fructificationi plantarum ſuperſtructis, a Cl. Auctore ſuſceptis, illud prae reliquis placuit, quod a ſitu ſtaminum deſumtum erat; ſitum enim partium fructificationis indemonſtrabili ſua certitudine et vniuerſalitate atque conſtantia longiſſime ſuperare numerum, figuram et proportionem, omnibus inter ſe collatis, abunde cognouit, et cum ſtamina nunc receptaculo fructificationis, nunc corollae, nunc calyci, nunc piſtillo inſerta inueniantur, inde ſyſtema artificiale nouum condidit, idque prae reliquis, ab Auctore antea conſtructis, optimum viſum fuit. Huius ſyſtematis primam ideam an. 1749 cum Academia Regia Scient. Berolinenſi, et an. 1751 in Actis Academiae cum Botanophilis communicauit, eiusdemque in Commentariis hiſce ſuo tempore commemorationem fecimus *). Aſt licet hoc ita ſit, operae pretium tamen nobis eſſe videtur, denuo, prolixiusque de hoc ſyſtemate agere, atque ea breuiter repetere, quae Cl. Auctor in praefatione nos edocuit.

Cum

*) Vol. I. Part. III p. 402.

Cum ſtamina nunquam ſecundum naturae leges deficiant, nec ſine imperfectione deficere poſſint, eademque luxuriei minus expoſita ſint, quam reliquae florum partes, praeterea ſitum obtineant ſemper proprium atque conſtantem in certa quadam fructificationis parte: his optime methodum ſuperſtrui poſſe, recte exiſtimauit Cl. Auctor; ad ſtaminum autem ſitum primario reſpexit, qui ſcil. eorundem ſemper exortum atque inſertionem inuoluit, licet aliquando cum aliis partibus ſub ipſa inſertione, aut extra eandem in progreſſu varie coaleſcant. Omnem itaque coaleſcentiam ſtaminum cum corolla, calice, aut piſtillo, extra locum originis contingentem, longiſſime differre a ſitu vero et proprio, ſyſtematis fundamento, monuit Cl. Auctor, eandemque rem et *Mirabilis* et *Nerii* exemplo illuſtrauit. In *Mirabili* filamenta baſi ſua intra nectarium thalamicum ſunt inſerta, nectarium vero vix egreſſa, cum tubo corollae interius coaleſcunt, cum quo etiam defluente decidunt, hinc ob originem ſtaminum ad *Thalamoſtemones*, non, vt quidem videtur, ad *Petaloſtemones* pertinet. In corolla *Nerii* filamenta diſtincta oriuntur, antheris in apice ſupra ſtigma conniuentibus, ac cum eodem coalitis; eſt itaque *petalo*- minime *ſtyloſtemon* planta. Quando ſtamina partibus piſtilli aperte inſeruntur, ſpeciem fructificationis conſtituunt ſingularem, quae *ſtyloſtemonis* vocatur, et quae in receptaculo fructificationis tantum proprio contingit, et hinc deficiente piſtillo in thalamo, ideoque etiam in floribus relatiuis eiusmodi non dantur. *Andrachne* propterea *monoica*, et *Clutia dioica* aptius ad plantos *ſtylothalamicas* reduxit. Thalamus enim fructificationis, aut floris proprius columnaris, ſtyliformis, linearis et ſ. p. vel potius ſingularis illa productio, quae e centro thalami interdum aſſurgit ſub varia forma

et

et facie aut ſolo germine terminatur, ſtaminibus in ambitu et fundo relictis, aut ſtamina tantum ſuſtinet impoſita vel circumpoſita; haec autem pars non ſtylus eſt ſub germine poſitus, ſed portio thalami, in ſtylum producta; hinc et *Paſſiflora* eſt *ſtylothalamica* et ad *Thalamoſtemones* pertinet. Thalamum autem in omni flore adeſſe, recte ſtatuit, eundemque receptaculum fructificationis et floris proprium dixit, quod partes flores, aut omnes ac ſingulas, tanquam baſis aut fulcrum officinae foecundationis coniungit, aut ſaltem neceſſarias et potiores ſuſtinet. Itaque ſingularem claſſem conſtituunt *Thalamoſtemones*. Quo vero et hic omnis error euitetur, nonnulla ſpeciatim monuit, claſſisque huius characterem egregie illuſtrauit Cl. Auctor. Pro varia quandoque filamentorum aut corollae inſertione thalami margo in annulum eleuatur, plus minus craſſum, membranaceum, integerrimum, vel eminentiis atque denticulis coronatum; et ſi v. gr. corolla pentapetala cum decem ſtaminibus adeſt, quorum quinque alterna et a petalis diſtincta cum denticulis annuli thalamici cohaerent, reliqua vero ſtamina, quae petalis oppoſita ſunt, atque cum vnguibus connexa, aliis denticulis alternis inſeruntur, eiusmodi inſertio ſtaminum a coaleſcentia illa alterna vnguium petalorum, quae ſub inſertione, et circa locum inſertionis communem contingit, ſollicite debet diſtingui. Nectaria etiam aliquando diſtincta ſunt, aliquando calicina, corollacea, piſtillacea et ſtaminea, hisque filamenta aut antherae quandoque adhaerent. Quodſi igitur ſtamina e nectario diſtincto huius vel illius partis ortum habeant, plantam ad eam ſyſtematis claſſem reduxit, cuius fundamentum pars iſta fructificationis conſtituit, in cuius ſcil. nectario proprio ſtamina ſitum obtinent. Stamina etiam extra ſitum connectuntur, ſuntque vel filamentis vel antheris connata, haecque coa-

 leſcen-

leſcentia non claſſes ſed ordines conſtituit, et prior ſiſtit *Symphyoſtemones*, poſterior *Symphyantheras*.

Totum itaque ſyſtema duabus componitur partibus, claſſibusque octo. *Pars prior* plantas continet, quarum fructificatio patens atque aperta eſt, dicitur *Phaenoſtemonis*. Huius *primae claſſis*, quae *Thalamoſtemonis* audit, fructificatio ſtaminibus gaudet in receptaculo fructificationis et floris proprio et diſtincto, aut eius nectario diſtincto, exortis, generaque determinata 610 continet. *Secunda claſſis* ab inſertione ſtaminum in corollam petaloideam, aut eius nectarium proprium, *Petaloſtemonis* vocata, genera 467 exhibet. Hae duae claſſes reliquis ampliores exiſtunt, attamen ordinibus aptis ita diuiduntur, vt diſcentes facili via ad genera ipſa perducantur. *Quatuordecim* namque conſtant *ordinibus*, a numero atque coaleſcentia antherarum filamentorumque conſtitutis, ita vt in *prioribus decem* numeretur *monanthera* vsque ad *decantheram*, dein *dodecanthera* et *polyanthera*, ſequuntur tandem *ſymphyoſtemones* et *ſymphyantherae*. Vlteriores autem ſubdiuiſiones, pro variante characteris naturalis conditione et numero generum, ſub eodem ordine ſubdiuidendorum, nunc a modo florendi, nunc florum natura et ſitu, calice, fructu aliisque partibus deſumuntur, et plantae floribus glumoſis, amentaceis, aggregatis, in ſpadicem digeſtis, ſimplicibus, apetalis, monopetalis etc. hypocarpiiset epicarpiis calice monophyllo etc. fructu leguminoſo, capſulari, carnoſo, et ſ. p. ſymphyoſtemones papilionaceae ſtaminibus vel omnibus connexis, vel nouem modo coalitis, porro et ſtigmate imberbi et pateſcente apte inter ſe diſponuntur. *Claſſis III* exhibet *Calycoſtemones*, continetque illas plantas, quarum ſtamina ſitum verum in calyce fructificationis et floris, vel nectario eiusdem proprio atque diſtincto habent. Ad hanc claſſem genera

modo

modo pauca, circiter 77, relata deprehendimus, monuit vero ipſe Cl. Auctor, plura fortaſſis ex Thalamio- et Petaloſtemonum claſſibus huic inſerenda eſſe, ſed in exoticis plantis hunc characterem ſaepius dubie ac imperfecte ſaltim cognoſcere potuit, cum botanici non eadem induſtria in eundem inquiſiuerint, hinc et prae aliis laudauit OSBECKIUM, qui in omnibus, ab ipſo datis, florum deſcriptionibus ſitum et inſertionem ſtaminum accuratiſſime ſemper annotauit. Huius claſſis *octo* conſtituit *ordines*, et *tetra- penta- hexa- octa- deca- dodeca-* et *polyantheras*, denique *ſymphyantheras* ſeparauit *Claſſis IV* fructificationis ſtructura ſingulari et peregrina a reliquis prorſus recedit, continetque plantas, quarum ſtamina vero ſtylo adhaerent, et eiusmodi *ſtyloſtemonum* tredecim modo commemorauit genera, eademque a numero ſtaminum in ſuos ordines diſpoſuit. Reliquae quatuor claſſes, quae in methodis aliorum plerumque vnicam modo conſtituunt, exhibent *ſecunda parte* imperfectas ſiue eas plantas, quarum fructificatio occulta, obſcura, et ſaepius dubia eſt, et *Cryptoſtemonis* vocatur; Hinc *Claſſis V Filicinas* ſecundum ordines vel *amentaceas*, vel *ſpicatas*, vel *frondoſas*, vel *radicales*, *VI Muſcoſas* et *nudas* et *calyptratas* atque *calyculatas*, *VII Algaceas* nunc *nudas*, nunc *veſiculares*, nunc *fibroſas*, *VIII Fungoſas* denique *ſuperficiales*, *receptaculaceas*, *obuelatas*, et *occultatas* comprehendit.

Praemiſſa nunc diſpoſitione eiusque fundamento cognito, moneri adhuc debet, characteres generum plerumque quidem cum Linnaeanis conuenire, ſaepius tamen aliter eſſe conſtructos, magisque determinatos; praecipue autem nobis arridet compendioſa cuiuscunque generis definitio, dum ſcilicet, omiſſis multis aliis communibus notis, eas modo commemorauit, quae conſtantes generique propriae

 ſunt.

ſunt. Ad ſexum in ipſo ſyſtemate quidem, vt eiusdem diſpoſitio expoſita iam docuit, nunquam reſpexit, in generum vero deſcriptione fructificationem monoclinam, diclinam et ſ. p. ſedulo notauit. Differentes etiam, in ſpeciebus quandoque inueniendos, characteres, qui diſquirentem ſaepe dubium incertumque relinquunt, fere ſemper commemorauit, easque ſpecies illis, quorſum charactere ſuo pertinerent, claſſibus ordinibusque adduxit, licet non ibidem, ſed ſuo tandem loco, genus deſcripſerit. Ita e. gr. inter Thalamoſtemones tetrantheras *Lepidium*, *Cardaminem*, *Corchorum* nominauit, priora autem duo genera inter hexantheras, tertiumque inter polyantheras definiuit; in eadem claſſe pentantheris adpoſuit *Caſſiam*, *Violam*, *Ranunculum hederaceum*, *Holoſteum vmbellatum* et ſ. p. priorem autem inter decantheras, ſecundam ſymphyantheras, tertiam polyantheras, quartam triantheras deſcripſit. Huius certe diſcriminis commemoratio multum vtilitatis affert, ac ab omnibus obſeruanda eſſet, inque commodum diſquirentium ſuo loco in ſyſtemate annotanda. Hac enim ratione optime euitantur anomaliae. Quid autem porro noui atque ſingularis in hoc libro exhibuerit Cl. Auctor, difficile eruendum videtur; nullibi enim proprias ab aliorum obſeruationibus ſeparauit, immo nomina generica ſine auctorum commemoratione aſſumſit. Quo tamen vel aliqua ratione eluceſcat, in quibusnam Cl. Auctor ab Ill. LINNAEO inprimis ſeceſſerit, ſequentia notemus, quae certe primaria erunt.

Inter phaenoſtemones ſex notauimus genera a Cl. Auctore condita, quorum vnum iam antea, reliqua nunc primum ſtabiliuit. Eas enim *Gentianae* ſpecies, quarum antherae in cylindrum coalitae ſunt, ſeparaſſe, atque ex iisdem peculiare genus, *Pneumonanthe* dictum, conſtituiſſe, ex Academiae

Bero-

Berolinenſis Actis ad An. 1751 pertinentibus, cognitum habemus *), hoc itaque genus denuo hic recenſuit inter petaloſtemones ſymphyantheras. *Rüſſelia*, nouum genus, planta eſt petaloſtemon, tetranthera, monoſtyla, calice pentaphyllo, corolla hypocrateriformi, quadrifida, tubo longiſſimo, ore piloſo, et capſula vniloculari polyſperma praedita. Inter petaloſtemones tetrantheras, quae didynamias LINN. continet, *Zietenia* occurrat, quae habet calicem quinquepartitum, corollam ringentem, labii inferioris lacinias laterales reflexas, mediamque complicatam emarginatam, ſtylum vnum, ſtamina deflorata verſus latera inflexa, et ſemen vnicum. *Thyrſine*, inter petaloſtemones dodecantheras adducta, gerit calicem exteriorem diphyllum interiorem campanulatum, quadrifidum, obtuſum, perſiſtentem, filamenta nulla, antheras ſedecim, ſtigmati octofido adnatas, ſtylum vnum, capſulam octolocularem, polyſpermam. Thalamoſtemones hexantherae, quae Tetradynamias LINN. continent, *Veſicariae* Tournefortiano nomine derelictum iterum offerunt genus, ſilicula tetragono inflata vniloculari, membrana ſuturam ambiente ſeminaque diſtinguente, ac petalis integris praeditum. In his enim generibus plerumque ex ſolo fructu genera diſtinxit, eundemque, reliquis partibus plerumque omiſſis, ſolum deſcripſit. *Origanum, Maioranam* et *Dictamnum* ſeparauit denuo, et quum *Fraxinellam* cum LINNAEO *Dictamnum* dixerit, hoc genus *Amaracum* nominauit, eidemque faucem poſtice gibbam, aut calcaratam nectariferam tribuit. *Filicinarum* vtplurimum nouam et ſingularem, microſcopio factam, definitionem **) propoſuit, et hinc inde in generibus conſtitu-

*) Conf. Comment. Vol. III. Part. II. p. 251.

**) Nonnullorum generum definitiones Cl. Auctor aliquan-

ſtituendis a LINNAEO receſſit. *Pteridem* et *Polypodium* e. gr. ſeparauit ſequentibus notis: *Polypodii* glomeres nudi ſunt, nullo inuolucro cincti, et hinc capſulae globoſae vniloculares, biualues, annulo quoque deſtitutae, pedicellatae, polyſpermae: *Pteridis* autem glomeres tecti, inuolucrum centrale peltatum, reniforme, in ambitu dehiſcens, capſulae oblongae, vniloculares, biualues, pedicellatae, baſi petioli inuolucri inſertae, ſemen vnum vel pauca. *Trichomanes* TOURNEFORTII, quam ad *Aſplenium* reduxerat LINNAEUS, ſeparatim conſeruauit Cl. Auctor, eidemque tribuit glomeres, per paginam inferiorem frondis digeſtos, et pro inuolucro ſquamam vniualuem, margine dehiſcentem ac perſiſtentem, capſulasque globoſas vniloculares, biualues, longitudinaliter dehiſcentes, ſemen vnum vel pauca continentes. *Aſplenii* autem fructificatio ſiſtit glomeres lineares parallelos, in pagina inferiore frondis, inuolucrum ſquama eſt linearis biualuis, longitudinaliter dehiſcens, et capſulae globoſae acuminatae vniloculares ſemen vnum ſeu pauca continent. In Filicinis duo praeterea noua occurrunt nomina; *Pyxidaria*, cuius fructificationes ſolitariae ex ipſo folii margine prodeunt, turbinato erectoque inuolucro cinctae, et in capſulam vnilocularem, ſtylo ſetaceo terminatam mutantur, conuenire videtur cum eo genere, quod *Trichomanes* ab Ill. LINNAEO dictum fuit. *Cincinalis* autem nouum forſan genus eſt, huius fructificatio lineam ſiſtit, marginem totius frondis ſubtus cingentem, inuolucro deſtitutam, praebetque capſulas globoſas vniloculares, vniualues, et ſemina ſolitaria ſ. pauca. Reliqua huius claſſis genera, et *Equiſeti*, *Ophiogloſſi*, *Blechni*, *Hemioni-*

quando cum BOEHMERO communicauit, qui easdem in Flora Lipſiae indigena tradidit.

mionitidis, *Lonchitidis*, *Adianthi*, *Acroſtichi*, *Oſmundae*, nec non *Marſileae*, *Pilulariae* et *Iſoetis* definitiones cum Linnaeanis proxime conueniunt, *Onocleam* autem memoratam non inuenimus. In *Fungis* ſuam ſecutus fuit methodum, duo autem notanda animaduertimus; *Eluelae* nomen nunc in *Heluellam* commutauit, nouumque condidit genus *Poronia*, cuius fructificationes minutiſſimae intra ſubſtantiam ſpongioſam corporis turbinato patuli hærent, et ſemina per poros diſtinctos diſci eiaculantur. De reliquo in toto ſyſtemate nomina generica, a LINNAEO aſſumta, retinuit, modo *Microcnemum* in *Macrocnemum* mutauit, et *Diantheram*, forte cum inter petaloſtemones diantherarum ordinem ingrediatur, *Diplantheram* adpellauit. Ea quoque genera, quae in LINNAEI ſexta generum editione inuenimus, adduxit atque definitionibus expoſuit omnia, ſi excipiantur *Ambroſinia*, *Auicennia*, *Broſſaea*, *Bucephalon*, *Cycas*, *Cytinus*, *Dais*, *Elliſia*, *Grielum*, *Hydnum*, *Hydrolea*, *Kleinhouia*, *Limonia*, *Matthiola*, *Menais*, *Moraea*, *Pterocarpus*, *Quiſqualis*, *Rhodora*, *Rumpfia*, *Stratiotes*, *Thryallis* et *Zamia*. Summa itaque generum, a Cl. Auctore ſtabilitorum, eſt 1221.

XV.

Noua phyſico - medica.

Facultatis Medicae Vindobonenſis

Praeſes perpetuus.

GERARDUS L. B. VAN SWIETEN S. M. Conſiliarius, Archiatrorum comes, Bibliothecae Imp. Praefectus et plur. Acadd. Socius.

Director Vicarius.

IOANNES ANDREAS KESTLER Conſiliarius aulicus et Archiater.

Decanus p. t.

(*Munus ambulatorium*).

Profeſſores.

ANTONIUS DE HAEN Conſiliarius aulicus, Archiater, Profeſſor Praxeos.

ROBERTUS LAUGIER S. M. Conſiliarius Profeſſor Chemiae et Botanicae.

IOANNES LAURENTIUS GASSER S. M. Conſiliarius Profeſſor Anatomes.

HENRICUS NEPOMUCENUS CRANTZ S. M. Conſil. Profeſſor Inſtit. et Mat. Med.

FERDINANDUS LEBER S. M. Conſiliarius Profeſſor Chirurgiae.

VALENTINUS FERDINANDUS LEBMACHER, M. D. Artis Obſtetriciae Lector.

Noſocomiorum Medici et Chirurgi.

1) *In Noſocomio Ciuico.*

LUDOVICUS SCHREIBERS M. D.

FERDINANDUS LEBER Chirurgiae Doctor

2) *In Noſocomio Pauperum.*

ALEXANDER MEYER, M. D.

IOANNES MICK, Chirurgus.

3) *In Noſocomio St. Marci.*

MAXIMIL. IOSEPHUS LOCHER. M. D.

— RECHBERGER, Chirurgus.

4) *In*

4) *In Noſocomio Sanctiſſimae Trinitatis.*

FRANCISCUS IOSEPHUS HOLSBAUER, Medicus primarius.

BENEDICTUS LEOPOLDUS RHEIN, Med. Secundarius.

IACOBUS RETTER, Chirurgus Primarius.

ANDREAS SARTORI Chirurg. Secundarius,

5) *In Noſocomio Nationali Hiſpanico.*

FERDINANDUS RIEDHAMER, Nationaliſtarum Phyſicus.

IOANNES KOLLMANN Phyſicus Militaris.

IOANNES NEPOMUCENUS AB HOUMBOURG Chirurgus primarius.

ANDREAS SARTORI, Chirurgus Secundarius.

6) *In Noſocomio F. F. Miſericordiae.*

IOSEPHUS QUARIN, M. D.

F. Miſericordiae VERECONDUS, Chirurgus.

7) *In Noſocomio St. Eliſabethae.*

GEORGIUS PÖSMAIR, M. D.

8) *In Noſocomio Pazmariano.*

ANTONIUS STÖRCK, S. M. Conſil. et Archiater.

HENRICUS IOSEPHUS COLLIN, Med. Doct.

LEOPOLDUS WALNER, Chirurgus.

9) *In Noſocomio Practico.*

ANTONIUS DE HAEN, Medicus Archiater Prof.

2 Aſſiſtentes, vnus Medicinae alter Chirurgiae.

Regia Scientiarum Societas *Gottingenſis* celebrauit nuper inaugurationis ſuae memoriam publice habito conuentu, praemia vero, tum ſuper quaeſtione *de attractione montium ingentium*, cum *de artificiali pratorum irroratione* *) eo tempore diſtribuenda, nemini adiudicare potuit.

Nouam

*) v. Comment. noſtr. Vol. XI. P. II. p. 354.

Nouam e contrario phyſici argumenti quaeſtionem *illa* propoſuit praemio ad annum 1766 referendo, quae ita ſe habet: *Quum quasdam plantarum varietates credant botanici a diuerſorum generum commixtione (vt animalia hybrida) naſci; optat Societas, vt ea quaeſtio experimentis, non coniecturis, decidatur; et, ſi confirmetur veritas ſuſpicionis huius, ad leges ſimul, quas ſequuntur illae varietates, attendatur.* Praemium, vti conſtat, in aureo numo quinque et viginti ducatorum conſiſtit, commentarii autem ideo conſcribendi ante initium menſis octobris eiusdem anni, ſub conditionibus iam ſatis notis, ad Ill. Societatem mitti debent.

Burdigalenſis ſcientiarum Academia praemium iam ante tres annos propoſitum *) *de veris, quibus ars ſurculos inſerendi, innitatur, principiis*, ſuperiore anno tradidit Viro Cl. CABANIS DE SALAGNAC, cauſarum patrono.

Alterum vero praemium, quod eodem tempore ſe exhibituram eſſe *illa* promiſerat, nemo autem mereri viſus fuerat, ad annum 1766 diſtulit. Quaenam obſeruari nimirum debeant principia in miſcendis terris, vt reddantur fertiles? (*Quels principes on doit ſuivre dans le mêlange des terres pour les rendre fertiles?*) Ill. Academia quaeſiuerat.

De aliis autem quaeſtionibus ad eundem annum quoque relatis iam ſupra diximus *).

Rothomagenſem ſcientiarum Academiam praemio, quod anno 1764 daret merentibus, *reſpirationis mechaniſmum atque vſum* propoſuiſſe explicandum, alio tem-

*) v. Comment. noſtr. Vol. IX. P. I. p. 172.

*) In hoc ipſo volum. p. 165.

tempore iam retulimus *). Ex illis vero, quos ſuper hac materie conſcriptos accepit, commentariis, nulli quidem palmam ea tribuit, vnum tamen, cui ſymbolum fuerat additum: *Te ſine nil altum mens inchoat*, prae reliquis fini ipſius ſatis feciſſe, cenſuit. Vt illius igitur auctori, vel aliis viris doctis, longius ad enucleandas quaeſtiones propoſitas tempus concedatur, idem argumentum denuo offert Ill. Academia ad annum 1766, vltima tantum ex illis quaeſtionibus paululum immutata **), quippe nunc ita ſe habet: *Num denique duobus hiſce interuallis* (inſpirationis nimirum et exſpirationis) *aliqua mutatio fiat in quantitate motuque ſanguinis in vaſis maioribus, tum ad cordis auriculas abeuntibus, tum ex corde egredientibus, contenti? Et talis, ſi qua detur, quanam in re conſiſtat? Numque cerebri eiusque meningum motus inde mutetur, nec ne; idque ſi fiat, cuius mechaniſmi ope?* Rogat in primis viros doctos Academia, vt experimentis potiſſimum ſuam, quam declarare velint, ſententiam ſuperſtruant.

Praeter praemium conſuetum, cuius argumentum ſupra iam commemorauimus ***), anno 1766 a Regia Chirurgiae Academia *Pariſienſi* oblatum, aliud ducentorum pondo gallicorum eadem adhuc promittit illi, qui chirurgicam aliquam materiem, quaecumque demum libuerit, optime explicatam ipſi tradet.

LUDOVICUM DURETUM medicum ſuo tempore celeberrimum et de medicina Hippocratica meritiſſimum, poſt fata adhuc reperiſſe virum, qui memoriam ipſius conſeruare vellet, ante aliquod tempus

*) v. Comment. noſtr. Vol. XI. P. III. p. 551.
**) ibidem.
***) In hoc ipſo volum. p. 167.

pus recenſuimus *). Nunc autem praemium, elogio illius viri dicatum, ex iudicio ordinis Medicorum *Pariſienſium* reportatum eſſe legimus a Viro Cl. IOANNE BAPTISTA LUDOVICO CHOMEL, M. D. Conſiliario et Medico regio, Ordinis Medicorum Pariſienſium olim Decano, Regiique Nanceienſis Medicorum collegii Socio honorario dicto, quod elogium typis quoque iam expreſſum prodiit Pariſiis ſub titulo: *Eloge de* LOUIS DURET, *Medicin celebre ſous* CHARLES *IX et* HENRI *III, etc.* in forma, quam dicunt duodecimam, paginarum 64, cuius forte alio tempore dabimus epitomen.

Ex illis argumentis, quae contra variolarum inſitionem afferre ſolent iſtius operationis oſores, illud in primis eſſe conſtat, quod homines, variolas artificiales experti, tamen a naturalibus nondum tuti eſſe videantur, vel tales certe putentur. Fuerunt itaque nuperrime *Pariſiis*, qui indagandae confirmandaeque veritatis cupidi et ſtudioſi praemii loco pretium mille et ducentorum pondo gallicorum apud virum Ill. DE BATAILHE DE FRANCES, in vrbis parte *de Louis le Grand* dicta habitantem, deponerent, illi ſoluendum, qui verum aliquod exemplum hominis, poſt variolas per inſitionem olim ſuperatas, poſtea naturalibus affecti, docere poſſit. Certitudinis autem demonſtrandae ſumma haberi debet cura, ita vt indoles et artificialium, et ſubſecutarum quoque naturalium, hae num diſcretae, an naturales fuerint? probe ſimul omnique ſtudio obſeruata ſit. Viri Cl. PETIT, Ser. Aurelianenſis ducis Medicus, TRONCHIN, Geneuenſis Medicus, GATTI, Pot. Gallorum Regis Medicus, et HOSTY, Ordinis Medicorum Pariſienſis Socius, electi ſunt, qui de reportando praemio iudicent. Praeter horum autem medicorum iudicium ille, qui ope-

*) v. Comment. noſtr. Vol. XI. P. II. 356.

operationem ſuſcepit, aliud de ſua dexteritate teſtimonium, a ſex Pariſinae Facultatis dictae medicis ſubſcriptum, producat neceſſe eſt. Inſuper, vt omnis alicuius forte commiſſi erroris ſuſpicio euitetur, illum aegrum, qui altera vice variolis iisque confluentibus decubuiſſe dicitur, a quatuor medicis illo morbi tempore, iis autem diſcretis exiſtentibus, ab octo medicis viſum fuiſſe, comprobari debet. Quid? quod idem 1200 librarum pretium illi quoque promittitur, qui per ipſam inſitionem ſecunda vice variolas excitare valebit Temporis, quo illud praemium offertur, terminus ſex annorum eſto, ſi ab initio anni 1765 numeraueris; quod ſpatium omnino ad eruendam veritatem ſufficere videtur.

Regia tandem ſcientiarum Academia *Berolinenſis* in publico nuperrime habito conuentu praemium, a Supremo regiorum redituum Collegio olim propoſitum *), vt vtiliſſimus fornaces exſtruendi modus traderetur, Viro Cl. IOANNI GUILIELM. BAUMER, M. D. nuncque in Gieſſenſi Academia Medicinae Profeſſori adiudicauit. Commentarium ipſius cum duobus aliis, hanc materiem bene explicantibus, quam proxime typis expreſſum iri legimus.

Eundem quoque Cl. BAUMER Profeſſoris Medicinae Primarii munus in iam dicta Academia *Gieſſenſi*, publice dicta oratione, nuper die februarii viceſimo octauo auſpicatum fuiſſe, accipimus.

In Academia vero *Gryphiswaldenſi* ſuperiore iam anno die menſis ſextilis viceſimo Profeſſoris Medicinae Ordinarii munus ſuſcepiſſe Virum Cl. CAROLUM FRIDERICUM REHFELD, M. D. legimus publice

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XI. P. I. p. 164.

publice habita oratione de erroribus praecipuis in formandis ſibi regulis diaeteticis.

Superiore quoque iam anno in Academia *Gottingenſi* Profeſſoris Medicinae Extraordinarii dicti munus delatum fuit in Virum Cl. HENRICUM AUGUSTUM WRISBERG, M.D. quem alio iam tempore laudandi habuimus occaſionem *).

In Academia porro *Aboenſi* Profeſſorem Medicinae nominatum eſſe legimus Virum Cl. IOANNEM HARTMANN, M. D. prouinciae Aboenſis huc vsque medicum prouincialem dictum.

In Academiam *Marburgenſem*, vt Profeſſoris Medicinae Ordinarii munus ibi vacuum factum capeſſeret, Brunſuiga euocatus fuit Vir Cl. FRIDERICUS IOSEPHUS GUILIELMUS SCHROEDER, M. D. quam prouinciam quoque ſuperiore iam anno ſuſcepit.

Hagae Comitum vero ab officio Profeſſoris Anatomiae et Chirurgiae, cui per quadraginta duos annos cum laude praefuerat, ſub initium huius anni ſponte ſe abdicauit Vir Cl. THOMAS SCHWENCKE.

Nuperrime autem ab Academia Imperiali Naturae Curioſorum in ſociorum numerum receptus fuit Vir Cl. GEORGIUS CHRISTIANUS REICHEL, Med. D. et Ordinis Medicorum Lipſienſium Aſſeſſor.

Baruthi e contrario die menſis octobris octauo 1764 ex hac vita diſceſſit Vir Cl. PETRUS CHRISTIANUS WAGNER, Med. D. Ser. Principi Brandenburgico Culmbacenſi a conſiliis intimis et Archia-

*) v. Comment. noſtr. Vol. XI. P. II. p. 355.

chiater, Medicorum Senatus director et ciuitatis Baruthinae Phyſicus Primarius, cuius vitam alio tempore expoſituri ſumus.

Erfordiae porro diem ſuum obiit die nouembris octauo 1764 Vir Cl. HIERONYMUS DE LUDOLF, Med. D. et Profeſſor Ordinar. Principis Electoris Moguntini Conſiliarius Aulicus et Archiater, variis iisque potiſſimum chemicis ſcriptis inter viros doctos clarus factus.

Altorfienſis tandem Academia virum meritiſſimum amiſit obitu Viri Cl. IO. IACOBI KIRSTEN Med. D. Phyſiologiae et Chemiae Profeſſoris Ordin. qui hoc anno 1765 die ianuarii quarto forti apoplexia extinctus fuit.

Memoria IOHANNIS GEORGII ROEDERERI Philoſ. et Med. Doctoris, Archiatri Regis Britanniae, Med. Chirurg. et Artis obſtetriciae Prof. Ord. in Academia Gottingenſi, Academiae Imper. Petropol. Societatis Reg. Scient. Gottingenſis, Holmienſis, Pariſinae Chirurgorum Socii, Principatus Gottingenſis Phyſici, Soc. Reg. Teuton. Gotting. Sodalis, Collegii Chirurgorum Gottingenſis Praeſidis.

Quo ſenſu quondam fuimus, quoties in his commentariis praeſtantiſſima ingenii ROEDERERIANI monumenta laudauimus, eodem amoris, reuerentiae et admirationis motu pleni hanc de vita eius narrationem ſcripſimus. Vna tamen eſt, proh dolor! eademque permagna eiusdem ſenſus diuerſitas tempore diuerſo, quod antea ab hac vrbe non longe remotum, nunc humanis rebus exemtum, olim

 luben-

lubentes, nunc inuiti commendare inſtituimus, nuper ingenii imaginem propoſuimus, nunc exactae vitae velut tabulam edimus. Quid ergo? Si, quod inuito ſcribentibus accidere ſolet, res quidem appareat, cultus tamen dignus abſit, nec praeter rem ipſam aliquid magni occurrat, non illa tenuitas narrandi a mentis dolore repetenda ſit? Praeterea rerum multitudo eam poſtulat orationis copiam, quae et commentariorum anguſtias excedit, et a ſimplicitate narrationis aliena eſt, etiamſi tantum communia narrentur. Tum ſingularia, vt integrum decennium diſcendo conſumtum, exiguum vitae in literis occupatae ſpatium, quod multis fortaſſe ad ea examinanda non ſuffecerit, quae ille hoc interuallo inuenit, examinauit, ſcripſit et perdidicit, notabilis denique e vita diſceſſus, quam laudabilia, miranda et lugenda ſunt, quam vberem pulcerrimae orationis materiam praebent! Rurſus ingenii aciem et celeritatem, ſtudii aſſiduitatem, quaerendi diligentiam, examinandi cautionem, inueniendique felicitatem, nominare magis, quam explicare hoc loco licet, quamquam indubitatis librorum documentis virtutum harum fides facta eſt. Morum quoque elegantia, facundia, humanitas in docendo, perſpicuitatis et ſtudii comes, aeque longam merentur ſcriptionem, ac illa peculiaris et profecto admirabilis obſtetriciae artis ſcientia, cuius fructus per multas aetates cupide grateque ſeruabuntur. Dicetur ergo, quantum aegritudo concedet legi noſtrae et officio; quantum autem ROEDERERUS meruit, nullo modo: meruit enim tantum, vt, quemadmodum omnia magna, ſentiri verius, quam dici poſſit, meruitque eo modo, quem libris eius legendis ingenioque intuendo intelligimus, non e partibus vitae, aut tenui librorum indice.

Credimus Argentoratenſibus, qui ROEDERERI mortem academico programmate condecorarunt, acer-

acerbiſſime iis Viri huius funus accidiſſe, quo ſeruari quidem apud ſe cineres ciuis cariſſimi, ſed vitam amitti viderunt, et multo maluiſſe non videre, non colloqui et amplecti, quam vix viſum efferre. Natus erat Argentorati d. 15 Maii a. 1726, patre IOANNE FRIDERICO, gemmarum venditore, et ſenatui maiori adſcripto, matre MARIA VRSULA FROEREISENIA, quorum voluntate ab a. 1732 in gymnaſio patriae vrbis, et ab a. 1740 in eiusdem academia adoleuit: in quo celeritas eius ingenii, quod aetatis anno 14 academiae maturum fuit, vel verbo demonſtranda eſt. Transmiſſis quatuor annis earum rerum diſciplina, quae vel neceſſariae ſunt viris doctis, vel Chriſtiano homine dignae, vt hebraicae linguae cum STOEBERO ac LORENZIO, graecarum literarum cum HEUPELIO et SHERERO, philoſophiae et in primis phyſices cum WITTERO, BOEHMIO et GRAUELIO, matheſeos cum SCHERZIO, hiſtoriae et reliquae humanioris doctrinae cum SCHOEPFLINO, ſic igitur animo per quadriennium praeparato, propius ſe medicinae adiunxit, et ab EISENMANNO anatomiam cum chirurgia, a IOANNE BOECLERO phyſiologiam, botanicen, chymiam et materiae medicae cognitionem, a SACHSIO pathologiam et therapiam didicit. Simul GRAUELIUS et BEHRIUS viſendorum aegrorum poteſtatem ei fecerunt, vt RICHIUS, noſodochii militaris primarius chirurgus, tractandorum vulnerum. Sed haec neceſſaria ſunt et communia: ſequuntur alia, quae, ſi cui fortuna concedat, beata conditione vtitur: ſi non deſidioſe negligantur, et cupiditatis honeſtae diſcendi indicium faciunt, et plerumque ſpem magnam exquiſitae doctrinae: itinera volumus, per Galliam, Angliam et Batauos a ROEDERERO facta. Ergo Pariſiis denuo tractauit phyſica, botanica, et cum anatomia atque chirurgia obſtetriciam artem coniunxit, nec vſus eſt

tantum doctrina NOLLETI, FERRANII, IUSSIEI vtriusque, GREGORII, FAGETI et DIDIERII, verum et praecipue in noſodochiis omnem hanc ſcientiam auxit. Et haec quidem anni 1747 laudabilis opera fuit. Sequentem annum Londini et Oxonii egit, quamquam Oxonium tantum adiit, vt eius loci notabilia ſpectaret: Londini diutius haeſit, vbi multa erat opportunitas anatomiae et artis obſtetriciae e ſcholis et familiaritate MEADII, HUNTERI, SMELLII et MOBBII diſcendae. Tertius itineris annus occupauit eum Lugduni Batauorum, doctum iam diſcipulum, magisque amicum GAUBII, ROYENII, WINTERI, MUSCHENBROEKII et ALBINI. In ipſo reditu in patriam, eodem anno exeunte, Germaniae quaedam celebriora loca vidit, in his Gottingam, vt cum HALLERO neceſſitudinis cauſas necteret, et ipſe, quamquam inſcius, futurae ſedis amorem conciperet, qua illo quidem tempore relicta, hoc conſilio ſe Argentoratum recepit, vt, quamdiu non alia oblata eſſet conditio, ibi in poſterum viueret. Primum quidem RICHIO chirurgo, et FRIDIO, obſtetricio medico, aliquamdiu operam dedit, inque noſocomio parturientibus opem tulit: ſed a. 1750 tandem ſatis diſcendo exercitatus, ſuſcepta *Miſcellarum Theſium* cum EISENMANNO defenſione, velut augurium proximi honoris fecit, eodemque anno edita diſſertatione *de foetu perfecto*, iure meritoque Doctor medicinae creatus eſt, per quam occaſionem in ſolemni inauguratione ſermonem *de variolis, morbo nouo*, recitauit. Quem ergo altior humanis conſiliis diuina voluntas felicitati ſplendorique Gottingenſis academiae deſtinarat, eum, etſi ſua voluntate patriae ſe conſecrantem, Gottingae, HALLERI ſuaſu vocanti, anatomiae chirurgiae et artis obſtetriciae Profeſſorem a. 1751 largita eſt, et cum eo gloriae magnam acceſſionem: quod quidem academia

demia ſic remunerauit, vt a. 1754 munus Profeſſoris Ordinarii in eum conferretur. Malumus hic intelligi, et poteſt facillime, quam dici bona tanti doctoris, et vtilitatem huiusmodi diſciplinae, quoniam ipſa eius doctrina et auditorum praedicatio orationem reddit ſuperuacuam, praeſertim cum reſtent, quae nemo ſuſpicari poteſt. Mandato ei a. 1760 Rectoratus honore, qui annus in bellica tempora, Gottingae praeſidii hoſtilis adſiduitate moleſta, incidit, cum tanta eſſet humanitate et vrbanitate, vt ad hoſtilia, tamen Gallica ingenia accommodatiſſimos mores habere videretur, decretum eſt, vt idem honor nouo modo ROEDERERO per duo ſemeſtria continuaretur: quod onus et imponi ſibi paſſus eſt, et feliciter atque e re academiae pertulit. Accidit ei tamen per haec acerba tempora res laetior, cum a. 1761 philoſophiae doctor crearetur, quod ii, quibus familiariter vſus eſt, adeo libenter ab eo acceptum dicunt, vt multum laetaretur, quod et ſuorum honorum exemplo neceſſitatem philoſophiae et medicinae coniungendae poſſet commendare. Praeterea Gottingenſi Societati ſcientiarum placuit, eum inter collegas cooptare, a quo medicam ſcientiam ſciret illuſtrari poſſe et multis modis amplificari. Sed dum de amore academiae erga ROEDERERUM loquimur, venit nobis in mentem eius iudicii, quod et alii de eo fecerunt. Praeterquam quod a Petropolitana et Holmienſi Scientiarum, a Pariſina chirurgorum academia Socii honorem accepit, creatus eſt a. 1756 principatus Gottingenſis Phyſicus, et tribus annis poſt Archiater Regis Britanniae. Difficile eſt, vt antea confeſſi ſumus, amplecti hoc loco omnem eius doctrinam, multoque difficilius, in omni illo ambitu praeſtantiſſima quaeque acute animaduertere, difficillimum denique, laudare. Sed duo praetermittere ſilentio non poſſumus, etiamſi multa his ſimilia habeamus: alterum,

 quod

quod a tam multis tractatam zoologiam in iis commentariis Societatis Gottingenſis, qui nondum prodierunt, ipſe quoque auxit, et nominatim vermium inteſtinalium nouum genus obſeruauit, a caudae figura nouo nomine trichuridum inſignitum: alterum, quod quaeſtionem, a Petropolitana academia de vi maternae imaginationis propoſitam, ſic diiudicauit, vt eius ſcriptio, quae omnem illam vim grauiſſimis argumentis ſuſtulit, princeps earum iudicaretur, quae rem refutaſſent. Inter haec omnia, quae permagni laboris et indefeſſae induſtriae fuiſſe, quisque videt, citius contracta eſt aduerſa valetudo, quae aliquot annis ante eius obitum, ſicut nonnunquam grauior fuit, vt etiam decumberet, ita crebriori febriculae ſub veſperam acceſſu aucta, in dies moleſtior eſſe coepit ROEDERERO, non ſolum magna omnium membrorum laſſitudine, ſed et ideo, quod paulo aliter inſtituere vitam coegit, nec niſi matutinas horas legendo et cogitando reliquit, reliquam diei partem inter munera docendi et ſanandi diuiſit, veſperam vel eripuit, vel a literarum ſeueriori tractatione vacare voluit. Et toleraſſet forte his inſtitutis vitam diutius, multum ille ſubleuatus iucunda duarum filiarum conſuetudine, quas e matrimonio cum ELISABETHA CLARA WAHLIA procrearat, niſi Pariſinum iter interueniſſet, imbecillo et aegrotanti corpori circa vernum aequinoctium nimis graue. Iam quamquam his de cauſis diu reſtiterat precibus nobilis feminae Pariſinae, quae ab eo potiſſimum voluerat morbi grauioris remedia accipere, tandem tamen adductus vltra Argentoratum pergere non potuit. Nimia vis febris, maius periculum minata, eum quieſcendo ſaluti ſuae conſulere, iuſſit. Tum medici Argentoratenſes accurrere in medium conſulere, cum morbi incremento curam et ſtudium augere, adhibere lectiſſima medicamenta: frater et reliqui-

liqui conſanguinei adſtare, amplecti, et omnem opem ferre: tota ciuitas ei vires, morbo pares, ac ſuperiores adeo apprecari. Sed Deus eum voluit hac vita, iam ſatis moleſta, excedere, liberauitque hoc corpore d. 4 Apr. 1763. Sepultus eſt Argentorati, cum eadem luctus, qua honoris ſignificatione.

Scripta ROEDERERI, ſeorſim edita.

Programmata.

De axi peluis. Gott. 1751.
Obſeruationum medicarum de ſuffocatis ſatura. ib. 1755.
Obſeruationes de genitalibus virorum ib. 1758.
— — de cadaueribus infantum morboſis. ib. eod.
— — de foetu ib. eod.
— — de animalium calore. ib. eod.
— — de vlceribus vtero moleſtis. ib. eod.
— — de cerebro, ib. eod.
— — de oſſium vitiis, ib. 1760.
Animaduerſiones de taenia, ib. eod.
— — de arcubus tendineis muſculorum originibus, ib. eod.
Continuatio animaduerſ. de arcubus tendineis etc. ib. eod.
Obſeruationes de morſu canis rabidi ſanati, ib. eod.
Animaduerſiones de febre ex intermittente continua, ib. eod.
Obſeruationes de infantibus in partu ſuffocatis, ib. eod.
— — de ſubmerſis aqua, ib. eod.
— — de phthiſi infantum neruoſa, ib. 1762.
— — de cerebri ſcirrho, ib. eod.
— — de hydrope ouarii, ib. eod.

Oratio.

De artis obſtetriciae praeſtantia, quae omnino eruditum decet quin imo requirit, Gott. 1751.

Diſſertationes.

a) *ab ipſo elaboratae eoque Praeſide habitae.*

Theſium medicarum decas dupla. Praeſide GEO. HENR. EISENMANN. Arg. 1750.

Diſſ. inaug. de foetu perfecto, ib. eod. c. f. aen.

— — de ictero illoque ſpeciatim, quo infantes recens nati laborant; habita a *Io. Iac. Vaetterli.* Gott. 1753.

— — de vteri ſcirrho. Reſp. *I. G. C. Hirſchfeld.* ib. 1755. c. f.

— — exhibens nonnulla muſcularis motus momenta. Reſp. *I. Fr. Kühn*, ib. 1755.

Diſſ. de vi imaginationis in foetum negata, quando grauidae mens a cauſa quacunque violentiore commouetur, publici iuris facta Petropoli 1756.

Diſſ. inaug. vtrum naturalibus praeſtent variolae artificiales? Reſp. *H. A. Niſſen*, Gott. 1757.

— — de temporum in grauiditate et partu aeſtimatione. Reſp. *I. Fr. Dietz.* ib. eod.

— — de ſecretione, habita a *I. Fr. Grund*, ib. 1758.

— — de non damnando vſu perforatorii in paragomphoſi ob capitis molem. Reſp. *H. D. Winicker.* ib. eod.

— — de oſcitatione in enixu. Reſp. *I. D. Lapehn.* ib. eod.

— — ſiſtens paralipomena de vomitoriorum vſu. Reſp. *D. P. Roſenbach.* ib. eod.

— — de catarrho phthiſin mentiente Reſp. *C. D. Sternberg.* ib. eod.

— — de pathologia phyſiologiam informante ſiue de morboſa hominis natura. Reſp. *G. W. Witte.* ib. 1759.

Diſſ.

Diſſ. inaug. de raucitate. Reſp. *Iac. Samuel.* ib. eod.
— — de partu laborioſo. ib. 1760. *Cuius unica autem ſolummodo obſeruatio typis expreſſa eſt.* Reſp. *D. Muller.*
— — de rhachitide. Reſp. *G. L. Hanſen.* ib. 1762.
— — de cauſis frequentiae morborum et mortium inter ciues in ſedibus bellorum. Reſp. *I. Th. Glaue.* ib. eod.
— — Tentaminum et obſeruationum de morbo varioloſo ſatura. Reſp. *Ph. G. Hensler,* ib. eod.
— — de morbo mucoſo. Reſp. *I. H. C. G. Wagler.* ib eod.

b) *Quae illo ſuaſore aut moderatore enatae ſunt:*

Diſſ. inaug. de partu praeternaturali, quem ſine matris aut foetus ſectione abſoluere non licet operatori, habita ab *Andr. Lindemann.* Gott. 1755.
— — de funiculi vmbilicalis deligatione non abſolute neceſſaria. *C. L. Schael.* ib. eod.
— — de ſignis foetus viui et mortui. *W. L. Chuden.* ib. 1756.
— — de cauſis neceſſario mortem in partu inferentibus. *B. L. Zeis.* ib. eod.
— — de verſionis in extrahendo partu praeſtantia et adminiculis. *H. N. Kienmann.* ib. 1757.
— — de ſignorum grauiditatis aeſtimatione. *G. W. Stein.* ib. 1760.

Opera.

Elementa artis obſtetriciae. Gott. 1753. 8. denuo aucta edita. ib. 1759. 8.
Obſeruationum medicarum de partu laborioſo decades duae, I et II ib. 1756. 4to.
Icones vteri humani. ib. 1759 c. f. aen. fol. *Alter faſciculus ſ. auctuarium dicas, aeri itidem iam inſculptus eſt.*

Opuſculorum medicorum Tomus I et II ib. 1763. 4to. *Continent minora et partim iam indicata ſcripta* ROEDERERI, *una cum commentario de vi imaginationis in foetum negata.*

Extant porro in Commentariis Societatis Regiae Scientiarum Gottingenſis

Comm. de mola. 1752 T. II p. 354.

- - de communicatione vteri grauidi et placentae, 1753 T. III p. 397.

- - de pondere et longitudine infantum recens natorum, 1754 T. III p. 410.

Foetus paraſitici deſcriptio, 1754 T. IV p. 136.

Sequentia ob interruptam commentariorum editionem nondum impreſſa ſunt; eorum tamen in indicibus Gottingenſibus facta eſt mentio:

Monſtri deſcriptio, 1755 Num. 58.

Abdomen et cerebrum vrſi deſcripta, 1755 n. 123.

Capitis vitulini monſtroſi deſcriptio, 1756 n. 58.

Vrſi anatome anni praecedentis continuata.

Renis ſingularis ex duplici deſcriptio.

Monſtrum ouinum ſex pedum, 1756. n. 152.

Inoculatio variolarum Gottingae inſtituta impenſis Soc. Reg. Scient. et lecta diſſertatio de variolarum inoculatione, 1757 n. 20. 137.

Trichuridum, vermium in hominis inteſtinis ante non obſeruatorum deſcriptio, 1761 n. 25.

Faſciola truttae inteſtinalis et muris hepatica, 1762 n. 61.

De acubus, ventriculis anſerino et gallinaceo ſine noxa infixis, 1763.

XVI.

XVI.

Index ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1762 prodierunt.

Auserleſene medicinisch- chirurgiſch- anatomiſch- chymiſch- und botaniſche Abhandlungen der Römiſch Kayſerl. Academie der Naturforſcher, 11ter Theil. Nürnberg. 4. m. K.

Hiſtoire de l' Academie Royale des Sciences pour les années 1756 et 1757; avec les Memoires de Mathematique et de Phyſique pour les même années, tires des Regiſtres de cette Academie, a Paris, 4. c. tab. aen. Voll. 2.

Hiſtoire et Memoires de l' Academie Roy. des Scienc. pour l' année 1753 Vol. IV. V. VI de la Nouvelle Centurie, a Amſterd. 12. c. tab. aen. Voll. 3.

Hiſtoire de la Société Royale des Sciences établie a Montpellier en 1706 avec les Mémoires de Mathematique et de Phyſique, tirés des Regiſtres de cette Société. Tome Premier. a Montpellier, 4.

Philoſophical Transactions giving ſome Account of the preſent Undertakings, Studies, and Labours of the Ingenious in many conſiderables Parts of the World. Vol. LII. Part. I for the Year 1761. London, 4. c. tab. aen.

Medical Obſervations and Inquiries; by a Society of Phyſicians in London. Vol. II. London, 8. c. tab. aen.

Neue Zuſätze zu den mediciniſchen Verſuchen und Bemerkungen der Edinburgiſchen Geſellſchaft. Siebender Band. Altenburg, 8. (In altero huius diarii ſupplemento collecta ſunt ſequentia ſcripta 1. THOMAE GATAKER obſeruationes de ſolani interno uſu. 2. GEORGII YOUNG de opio. 3. ROBERTI WHYTT de virtute aquae calcis viuae in curando calculo tentamen).

Kongl.

Kongl. Vetenskaps Academiens Handlingar för År 1762. Vol. XXIII. Stockholm. 8 mai. c. tab. aen

Der Königl. Schwediſchen Akademie der Wiſſenſchaften Abhandlungen aus der Naturlehre, Haushaltungskunſt und Mechanik auf das Iahr 1759. *Aus dem Schwediſchen überſetzt von* ABR. GOTTHELF KAESTNER, 21*ter Band. Hamburg u. Leipz.* 8. *m. K.*

Ebenderſelben 22*ter Band auf das Iahr* 1760. *ibid.* 8. *m. K.*

Analecta Transalpina, Tomus I et II. Venetiis 8. c. tab. aen. (*Continetur in his epitome commentariorum phyſicorum, qui Actis Academiae Reg. Scient. Holmienſis fuerunt inſerti*).

Miſcellanea Taurinenſia Tomus II. ſ. Melanges de Philoſophie et Mathematique de la Société Royale de Turin pour les années. 1760. 1761 à Turin, 4. c. tab. aen.

Acta Heluetica phyſico - mathematico - anatomico-botanico- medica, figuris aeneis illuſtrata et in vſus publicos exarata. Volumen Vtum. Baſileae, 4. *Hoc* 1762 *anno incoepta horum Actorum impreſſio, variis impedimentis poſtea impedita, anno* 1764 *demum abſoluta fuit*).

Excerptum totius Italicae nec non Helueticae literaturae pro anno 1762 T. I. II. Bernae 8. (*Ex menſe iulio huius anni deſiit hoc diarium* .

Recueil de Planches ſur les Sciences, les Arts liberaux et les Arts Mechaniques avec leur explication, a Paris, fol. (*Hac collectione, quae ſupplementum eſt ingentis illius operis*, Dictionnaire Encyclopedique *dicti, continentur tabulae* 269: *quarum* 83 *ad agriculturam et oeconomiam ruſticam*; 33 *ad anatomiam*; 12 *ad antiquitates*; 81 *ad agriculturam et eas partes, quae hanc concernunt*; 38 *ad rem militarem et reliquae ad varias artes pertinent. Hoc volumen ſequutura ſunt tria alia*).

Colle-

Collection d'obſervations ſur l'Anatomie, la Chirurgie et la Medecine pratique extraites principalement des Ouvrages etrangers, Tome III. IV. a Paris 12.

Gazette Salutaire compoſée de tout ce, que contiennent d'intereſſant pour l'humanité des Livres nouveaux les Iourneaux et autres Ecrits publics concernant la Medecine, la Chirurgie, la Botanique, la Chymie Année 1762. a Bouillon. 4.

Giornale di Medicina - - in Venezia, 4. (*Auctore* D. PETRO ORTESCHI).

Mediciniſche und phyſiſche Nachrichten 1 *u.* 2*tes Stück. Dresd. u. Warſch.* 8.

Bremiſches Magazin zur Ausbreitung der Wiſſenſchaften, Künſte und Tugend, 5*ten Bandes* 2*tes Stück. Bremen*, 8.

Dreſsdniſches Magazin oder Ausarbeitungen und Nachrichten zum Behuf der Naturlehre, der Arzneykunſt, Sitten und ſchönen Wiſſenſchften, 2*ten Bandes* 4 *und* 5*tes Stück. Dresd.* 8.

Hamburgiſches Magazin der geſammleten Schriften aus der Naturforſchung und den angenehmen Wiſſenſchaften überhaupt. Des 25*ſten Bandes* 5 *und* 6*tes St. Hamburg.* 8.

Fränkiſche Sammlungen von Anmerkungen aus der Naturlehre, Oekonomie, Arzneygelahrheit, 35 *u.* 36*ſtes Stück, womit der* 6*te Band beſchloſſen. Nürnberg.* 8.

Allgemeines hiſtoriſches Magazin zur Beförderung der Erdbeſchreibung und der Natur-Staats- und Kirchengeſchichte. Erſtes Stück. Gotha.

Sammlung auserleſener Schriften von Staats- und Landwirthſchaftlichen Innhalte: mit Beyfall einer löblichen oeconomiſchen Geſellſchaft zu Bern herausgegeben. Des 1*ſten Bandes* 1 *und* 2*tes Stück. Bern*, 8.

Sammlung Schleſiſch- oeconomiſcher Nachrichten, 24 *Stück. Breslau*, 8.

Leip-

Leipziger Sammlung von allerhand zum Land- und Stadt-Wirthſchaftlichen Policey- Finanz - und Kammerweſen dienlichen. Nachrichten 183 *Stück. Leipzig*, 8.

Phyſicaliſch - oeconomiſche Auszüge aus den neueſten und beſten Schriften, die zur Naturlehre, Haushaltungskunſt und andern Wiſſenſchaften gehören, 4*ten Bandes* 1 *u.* 2*tes Stück. Stuttgard*, 8.

Corps complet de l'Agriculture, du Commerce et des Arts et Metiers de France, dedie au Roi, ſous le titre de *l'Agronomie* et de *l'Induſtrie*, ou les vrais principes de l'Agriculture, du Commerce et des Arts reduits en pratique par une Société d'Agriculture, de Commerçans et d'Artiſtes, Tome VI, a Paris, 8.

Iournal Oeconomique, ou Memoires, Notes et Avis ſur les Arts, l'Agriculture, Commerce et tout ce, qui peut y avoir Rapport pour l'année 1762 a Paris, 8.

Corps d'Obſervations de la Société d'Agriculture, de Commerce et des Arts, établie par les Etats de Bretagne. Années 1759 et 1760. a Paris, 8.

Recueil des Memoires concernant l'Oeconomie rurale par une Société établié a Berne, pour l'année 1762. Partie I. II. III. IV a Berne, 8.

Idem liber germanice quoque prodiit.

Oeconomiſche Gedanken zu weiterem Nachdenken eröffnet; Aus dem Däniſchen überſetzt von C. G. MENGEL, 9 *u.* 10*ter Theil.* (Praemiſſus eſt his partibus communis titulus: *Kopenhagener Magazin von Oeconomiſchen - Cameral - Policey - Handlungs- Manufactur- Mechaniſchen und Bergwerksgeſetzen, Schriften und kleinen Abhandlungen, welche die Königl. Däniſche Reiche una Länder betreffen. Zweyter Band. Geſammlet und überſetzt von* CHRIST. GOTTL. MENGEL. *Kopenhagen u. Leipz.* 8 mai.

Eius-

Ebendeſſelben Buches dritten Bandes 1, 2 u. 3ter Theil. ibid. 8 mai.

Oeconomiſche Nachrichten 168 *Stück, Leipzig* 8.

Dictionnaire Domeſtique Portatif, concernant toutes les connoiſſances relatives á l'Economie domeſtique et rurale, ou l'on détaille les differentes branches de l'Agriculture; la maniere de ſoigner les Chevaux; celle de les nourrir et de conſerver toutes ſortes des beſtiaux; celle d'elever les Abeilles, les vers a ſoie et dans la quelle on trouve les inſtructions neceſſaires ſur la Chaſſe, la Pêche, les Arts, le Commerce, la Procedure, l'Office, la Cuiſine etc. Ouvrage également utile a ceux, qui vivent de leurs Rentes, ou qui ont des Terres, comme aux Fermiers, aux Iardiniers, aux Commerçans et aux Artiſtes; par une Société de Gens de Lettres. Tome Premier, a Paris, 8.

Preſervatif contre l'Agromanie, ou l'Agriculture reduite a ſes vrais principes, a Paris, 12.

A Treatiſe of Agriculture. London, 8.

Conſiderations ſur les moyens de retablir en France les bonnes eſpeces de Bêtes à laine. a Paris 12.

Sammlung oeconomiſcher Nachrichten, wie der Holzwachs befördert, beſſere Erſpahrung des Holzes eingeführet, dem Holzmangel geſteuret, und das Bauholz nützlicher angewendet werden könne. Anſpach. 8. *m. K.*

Schauplatz der Künſte und Handwerke, oder vollſtändige Beſchreibung derſelben, verfertiget oder gebilliget von denen Herren der Akademie der Wiſſenſchaften zu Paris, mit vielen Kupfertafeln, in das Teutſche überſetzt und mit Anmerkungen verſehen von IOH. HEINR. GOTTL. VON IUSTI. *Berlin, Stettin u. Leipz.* 4 mai.

Contenta

Contenta in hac parte.

1. Memoires de Mathematique et de Phyſique preſentés a l'Academie Royale des Sciences de Paris. Tom. IV p. 195
2. HASENÖHRL Hiſtoria medica trium morborum cet. 211
3. CRANTZ Quaeſt. Acad. quae ſint cauſae muſculorum motrices, cet. 214
4. MODEL *Chymiſche Nebenſtunden* 218
5. IACQUIN Selectarum ſtirpium americanarum hiſtoria 226
6. KNOCHENWEBEL *Phyſiſch mediciniſche Betrachtungen des ohnweit Bilin in Böhmen befindlichen Geſundbrunnen* 247
7. TROSCHEL *Erforderliche Nachricht von dem Biliner Sauerbrunnen* 250
8. BILFINGER de Tetano 259
9. Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſche Maatſchapye der Weetenſchappen te Harlem Zesde Deele 265
10. V. HALLER Elementa Phyſiologiae. Tom. V 292
11. Melanges de philoſophie et de Mathematique de la Societe Royale de Turin 328
12. DAVID ſur ce, qu'il convient faire pour diminuer ou ſupprimer le lait des femmes cet. 343
13. KRASCHENINNIKOW Flora ingrica 349
14. GLEDITSCH Syſtema plantarum a ſtaminum ſitu 353
15. Noua phyſico medica 362
16. Index ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1762 prodierunt 379

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.



VOLVMINIS XII. PARS III.

LIPSIAE MDCCLXV.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré,
Holmiae apud L. Saluium.

I.

Hiſtoire Naturelle générale et particuliére avec la Deſcription du Cabinet du Roi. Tome Dixiéme. A Paris, de l'imprimerie Royale. 1763. 4. Alph. 2, tabul. aen. 57.

h. e.

Hiſtoria naturae vniuerſalis et particularis vna cum deſcriptione muſei regii. Tomus X. etc.

Continuantur a Cl. Viris BUFON et DAUBENTON deſcriptiones animalium quadrupedum, quorum primum hic
Ondatra ſeu *Mus moſchiferus canadenſis* vocatur. p. 1
Hoc animal non confundendum eſt cum eo, quod *Deſman*, et cum alio, quod *Pilori* nuncupatur, licet omnibus muris moſchiferi nomen imponatur. Primum enim in Canada, alterum in Lapponia et Moſcouia et tertium in inſula Martinica et aliis inſulis Antillis reperitur. Mus moſchiferus canadenſis a lapponenſi differt, quod digitis pedum a ſe inuicem ſeparatis, oculis valde conſpicuis et roſtro admodum breui inſtructus ſit, cum

contra Lapponenſis mus oculos exiguos et vix conſpicuos digitosque pedum poſteriorum membranis connexos roſtrumque longum habeat. Vtrumque vero animal a *Pilori* cauda differt, quippe quae in hoc valde breuis et cylindrica, in illis autem longa eſt. Mus moſchiferus canadenſis magnitudine cuniculum, forma rattum, aequat. Caput eius breue capitique ratti aquatici ſimile eſt. Pili ſplendentes et molles ſunt, cauda longa paruisque ſquamis obſita, verſusque medium ad finem vſque valde plana, in ortu autem paulo rotundior eſt. Aures valde breues ſunt, nec nudae, ſed interne et externe pilis obſitae. In maxilla inferiori duo dentes inciſiui pollicem longi, duoque alii in ſuperiori maxilla breuiores reperiuntur. In primis autem in hocce animali notatu digna ſunt 1) vis expandens muſculi cutanei, cuius ope animal corpus ſuum in multo minus volumen conſtringit; 2) mollities coſtarum ſpuriarum, qua mediante corpus ita contrahitur, vt mus iſte foramina intret, quae animalia multo minora ſubire nequeunt; 3) modus, quo vrina in foeminis euacuatur; vrethra enim minime ſub clitoride, vt in aliis quadrupedibus, ſed in eminentia hirſuta, in oſſe pubis ſita, reperitur; 4) teſticuli, qui, vtrinque ad anum ſiti, tempore oeſtri venerei admodum magni fiunt, ad magnitudinem nucis moſchatae accedentes, quiue poſt illud tempus inſigniter minuuntur, ita, vt diameter eorundem vix lineam aequet; 5) folliculi, qui moſchum ſeu materiem odoram, conſiſtentiae lactei humoris, continent, quiue tempore oeſtri valde magni et tumidi ſunt, materie valde odorata, admodum exaltata ſeque late diffundente, repleti, tandem penitus euaneſcunt. Multa hoc animal cum caſtore communia habet, primoque intuitu mus moſchiferus adultus pro caſtore vnius menſis haberi poterit; differunt

ferunt tamen forma caudae, quae in caſtore oualis et horizontaliter plana in dicto autem mure valde elongata et verticaliter plana eſt. Caeterum ratione temperamenti et inſtinctus conueniunt. Mures enim moſchiferi, vt caſtores, tempus hybernum ſocialiter tranſigunt, caſulasque diametro duorum pedum cum dimidio exſtruunt, ita paratas, vt nulla aqua eas penetrare poſſit. Qui manibus venatorum euadunt, aedificium relinquunt, et per aeſtatem non niſi bini hinc inde errant, quo tempore folliculi rurſus intumeſcunt, tuncque animalia iſta tam graui moſchi odore perfunduntur, vt e longinquo percipiantur; quare etiam factum eſt, vt incolae, quibus iſte odor valde moleſtus eſt, flumen quoddam, cuius ripas inſignis copia eorundem inhabitat, foetens nuncuparent. Plantis viuunt dicti mures; ſemel tantum in anno pariunt et quinque vel ſex pullos edunt. Vox eorum gemitus eſt. Animalculum hoc natat quidem, neque tamen tam celeriter, vt caſtor, neque etiam per longum tempus. Caeterum parum ferum eſt et nondum adultum facile cicuratur. Quod ad alterum murem, *Deſman* dictum, attinet, nulla eius exhibetur deſcriptio, ſiquidem iſte, qui in muſeo regio aſſeruatur, exſiccatus tantum ex Lappponia allatus fuit.

Mus moſchiferus canadenſis reſpectu magnitudinis medium inter criaeum maiorem, *Surmulot*, et murem alpinum tenet, et reſpectu formae exterioris et ſtructurae partium internarum murem aquaticum valde aequat, inprimis in eo, quod roſtrum breue et craſſum, aures breues et pilis undique obſitas habet. Cauda eiusdem fere longitudinis ac in mure aquatico eſt, a lateribus vero plana, excepta origine, vbi cylindrica apparet. Color pilorum maiorem conuenientiam cum caſtoris, quam cum muris aquatici, pilis habet, et partim gryſeus, partim p. 14.

 ruſe-

rufeſcens eſt. Dentes numero ſedecim ſunt, in qualibet nimirum maxilla duo inciſiui et ſex molares.

p. 21. *Aper mexicanus*, a Cl. BUFON *Pecari* ſeu Braſileenſibus *Taiacou* dictus, primo intuitu aprum europaeum ſeu potius porcum ſiamenſem aequat, nunquam tamen cum apro ſeu porco confundendus. Differt enim a porco, quod corporis habitus gracilis ſit, crura breuiora, cauda nulla et ſetae multo rigidiores deprehendantur et inprimis in dorſo rima, duas aut tres lineas lata, appareat, quae vltra pollicem penetrat, per quam humor ichoroſus, odoris maxime ingrati, magna in copia exſudat. Animal hoc, vetut porcum, cicur fieri poſſe, Cl. BUFON autumat; iſtud enim eiusdem fere naturae eſſe, iisdem alimentis veſci, carnem eius, licet carne porcina ſiccior lardoque minus donata ſit, non ingrati ſaporis eſſe, perque caſtrationem meliorem fore, notat. Animalia haec in omnibus Americae meridionalis regionibus calidis admodum numeroſa ſunt, plerumque gregatim et interdum bis vel tercentum circum errant, eodem fere modo, vt porci, ſe defendunt, eosque, qui pullos eorum rapere tentant, pari quoque ratione inuadunt, mutuoque auxilio ſibi inuicem aſſiſtunt, hoſtes cingunt et canes et venatores ſaepe vulnerant. Altiora loca magis quam depreſſa amant, neque, vt apri europaei, paludoſa quaerunt. Syluas inhabitant, vbi fructibus ſylueſtribus, radicibus granisque viuunt et ſerpentes quoque, bufones et lacertos deuorant, quos pedibus antea corio exuunt, Numeroſam prolem, forte in anno plus vice ſimplici, edunt. Pulli matrem ſtatim ſequuntur, quam non niſi adulti derelinquunt. Iuniora capta cicurantur, tuncque quidem ferociam naturalem, neque tamen ruditatem, abiiciunt. Grunnitus fortior et durior quam porcis eſt.

eſt. Quando irritantur, pili eorum horrent, tuncque crinaceorum potius ſpiculis quam ſetis porcorum ſimiles ſunt. Nunquam iſtud animal cum porco europaeo, neque etiam cum chinenſi, vtroque in Americam translato, coit, licet alias cum iisdem incedat, iisdemque ex parte ſimile ſit. Aper enim mexicanus animal Americae indigenum eſt, ſuisque etiam a porco europaeo et chinenſi ſe diſtinguit ſignis. Materies autem odorifera, quae ex hoc animali obtinetur, neque cum moſcho, neque etiam cum zibetho, ſed cum caſtoreo potius comparanda eſſe videtur.

Color huius animalis maximam partem ex nigro p. 27.
et albo ſeu fuluo mixtus eſt, albus tamen inprimis in dorſo et fuluus in capite inque lateribus conſpicitur. Remota cute tres pollices nouemque lineas ab ano in dorſo glandula permagna in conſpectum venit, cuius diameter maior quatuor pollices quatuorque lineas, minor vero tres pollices, craſſities autem vnum pollicem tresque lineas in medio pollicemque dimidium in marginibus fuit. Dentes triginta octo ſunt, quatuor nimirum inciſiui, duo canini et duodecim molares in maxilla ſuperiore, ſex vero inciſiui pariterque duo canini et duodecim molares in inferiore. Vertebrae dorſales quatuordecim, inque quolibet latere quatuordecim coſtae, ſeptem nimirum verae ſeptemque ſpuriae, vertebrae vero lumbares quinque ſeptemque vertebrae, quae caudam conſtituunt, numerantur.

Rouſſette, *Rougette* et *Vampire*, tria haec ani- p. 55.
malia coniunctim a Cl. BUFON conſiderata ad Veſpertiliones pertinent, quarum prima, *Rouſſette* dicta, a Cl. BRISSON *Pteropus rufus aut niger auriculis breuibus acutiuſculis*, et ſecunda *Pteropus fuſcus, auriculis breuibus acutiuſculis, collo ſuperiori rubro;* appellatur. Multa quidem duo haec animalia inter ſe

inuicem communia habent ſibique admodum ſimilia ſunt, duplicem tamen ſpeciem conſtituere videntur. Omne vero diſcrimen in corporis tantum magnitudine et pilorum colore quaerendum eſt. Veſpertilio enim, *Rouſſette* dicta, rufa eſt et a roſtro ad extremitatem corporis vſque nouem pollices longa, cum contra veſpertilio, *Rougette* dicta, fuſca et vix quinque pollices longa ſit, et annulo praeterea rubro in collo notata appareat. Vtrumque animal regiones calidas orbis antiqui inhabitat et ab alio quadrupede itidem volante, Americae indigeno, *vampyro* dicto, diuerſum eſt. Hoc ob id inprimis, quod ſanguinem ex hominibus et animalibus dormientibus ſugat, vampyrus dictus, pari quoque ratione ad veſpertiliones pertinet et reſpectu priorum minimum eſt. Binae priores caput bene conſtructum, aures breues, roſtrumque perfecte rotundum, canum more, formatum habent; vampyrus vero roſtro elongato inſtructus, viſu horridus, omniumque veſpertilionum teterrimus eſt, caput informe et prominens, aures magnas valdeque patulas et erectas, naſum deformem, nares forma infundibuli, ſuperque eas membranam criſtae acuminatae forma habet, homines ſollicitat et animalia torquet et necat. Quod ad bina priora, *Rouſſette* et *Rougette*, attinet, quae in Africa et Aſia occurrunt, non adeo, vt vampyrus, Americae incola, numeroſa ſunt, maiora tamen, fortiora magisque forſan maligna deprehenduntur. Aues enim et animalia minora necant, homines inuadunt, faciemque eorum morſu vehementi vulnerant, ſanguinem tamen non ſugunt. Loca deſerta, inprimis inſulas deſertas, inhabitant. Sexus eorum potior valde diſtinctus eſt: penis enim non, vt aliis quadrupedibus ſolemne eſt, in vagina detinetur, ſed hominum ſimiarumque more propendet. In ſequiori

quiori ſexu duae mammae in pectore cernuntur et foemellae vna vice prolem non numeroſam edunt, ſaepe tamen in anno parturiunt. Caro horum animalium inprimis iuniorum eſculenta eſt, et Indiani cum perdricibus et cuniculis aequiparant. Licet autem peregrinatores de animalibus hiſce Aſiae et Africae, vtpote ſanguiſugis nullam fecerint mentionem, ob inſignem tamen conuenientiam, quae inter veſpertiliones Aſiae, Africae et Americae reperitur, eundem effectum et a binis prioribus expectandum eſſe, Cl. BUFON coniicit vulnusque, quo ſanguis educitur, non dentium ſed linguae ope absque inſigni dolore inſligi poſſe, linguamque acuminatam et papillis duris, admodum ſubtilibus admodumque acutis et retrorſum inclinatis obſitam eſſe, harumque, poros cutis penetrantium, ope ſanguinem educi poſſe, autumat.

Primum horum animalium, *Rouſſette* dictum, p. 66. maximam ſimilitudinem cum veſpertilionibus alit, praeter id, quod magnitudine inſigni excedat et capitis forma ſeſe diſtinguat. Caput enim canis capiti quodammodo ſimile eſt, ita, vt a nonnullis *Canis volans* nuncupetur. Praeter caput vnguis quoque notandus eſt, qui in tertia phalanga primi digiti conſpicitur, quippe qui aeque ac tertia phalanga in veſpertilionibus vulgaribus deeſt. Praeterea lingua etiam ſingulari modo efformata eſſe ſolet; ſiquidem pars eius extrema admodum anguſta, fere acuminata et papillis duris acuminatis obſita eſt, quarum ope ſanguinem ex hominibus et animalibus ſugere dicitur. Dentes triginta duo ſunt, in quauis nimirum maxilla inciſiui quatuor et canini duo inque maxilla ſuperiore molares octo, in inferiore autem duodecim. Vertebrae dorſales tredecim ſunt, totidemque coſtae, ſex nimirum verae ſeptemque ſpuriae. Vertebrae lumbares quatuor numerantur.

Quod ad alterum animal, *Rougette* dictum, attinet, omnes tum exteriores tum interiores partes cum prioris animalis partibus conueniunt, a quo non niſi magnitudine et pilorum colore ſeſe diſtinguit. Color enim eorum cinereus, cum gryſeo et fuſco ſeu nigreſcente mixtus, in pluribus partibus exterioribus apparet, in collo autem color admodum lucidus cum aurantio et rubro mixtus cernitur.

p. 95. *Sciurus volans*, *Polatouche* a Cl. BUFON dictus, cum ſciuro, glire et ratto ex parte conuenit: reſpectu enim magnitudinis oculorum et formae caudae ſciuro, reſpectu autem figurae corporis, aurium, quae breues et nudae ſunt, atque pilorum caudae gliri ſimile eſt hoc animal, interim nec ſciurus, nec glis, nec rattus eſt. Crebrius in America quam in Europa occurrit, vbi inprimis raro et non niſi in regionibus borealibus e. g. in Lithuania et Ruſſia reperitur. Animalculum hoc arbores inhabitat et de ramo in ramum ſaltando ſe confert, dumque ſaltat, cutis eius, quae laxa et ad corporis latera plicata eſt, extrorſum trahitur, tenditur et directione contraria pedum anteriorum, qui in ipſo ſaltu antrorſum extenduntur, et pedum poſteriorum, qui retrorſum extenduntur, dilatatur. Tenſa haec et vltra pollicem extrorſum ducta cutis ſuperficiem corporis auget et lapſum impedit, ita, vt vno ſaltu animal in locum ſat diſtantem perueniat. Hic igitur motus nunquam ad volatum auium, ſed ad ſaltum, pertinet, quo vel ſolo charactere a ſciuro, glire et ratto dictum animal ſe diſtinguit. Minus eſt ſciuro et illud, quod hic deſcribitur, vix duas vncias aequauit, cum ſciurus alias octo vel nouem vncias aequet. Facile cicur fit, inque cauea incluſum pane, fructibus et granis nutritur, et inprimis gemmas nouumque germen pini betulaeque amat, nuces vero et amygdalas ſciuri more non quaerit. Stratum ſibi e foliis

parat,

parat et ſub iisdem interdiu ſe abſcondit, nec niſi ſub nocte, aut fame excitatum, prodit. Hoſtes eius martes aliaque animalia ſunt, quae arbores ſcandunt, hinc genus hoc animalium non numeroſum eſt, licet plerumque tres vel quatuor pullos parturiant.

Animalculum hoc, reſpectu formae exterioris et colorum, magis conuenit cum ratto, ratione partium internarum autem cum ſciuro. Magnitudinem muris auellinarum maioris *Lerot.* habet, et figura capitis eius eadem eſt ac ſciuri. Cauda longis pilis obſita. Pedes anteriores quatuor digitos et veſtigium pollicis habent, poſteriores vero quatuor digitis et pollice inſtructi ſunt. Differt hoc animal a ratto, ſciuro et omni animali noto ratione cutis, quae a dorſo, ventre et cruribus in vtroque latere ad pollicis longitudinem protenditur. Quando incedit aut natat, productiones iſtae cutaneae facile cernuntur. Non volat hocce animal, ſed ope harum productionum lapſum tantum retardat, ſicque ex vno loco in alterum tranſilit, dummodo locus, quem deſerit, altior ſit eo, ad quem tendit. Color dicti animalis cinereus eſt cum flauo mixtus, excepta macula albeſcente, quae ſupra oculos cernitur. Duas vncias aequat animal. In quolibet latere quatuor apparent mammae, tres nimirum in ventre et vna in pectore. Scrotum magnum eſt et penis trium linearum longitudine cum dimidia ex abdomine protenditur. Dentes numero viginti duo ſunt, dentibus ſciuri ſimiles. Vertebrae dorſales duodecim inque quolibet latere totidem coſtae, ſeptem nimirum verae et quinque ſpuriae numerantur, reliquae vertebrae lumbares aeque ac ſpuriae caudae, vt in ſciuro, ſe habent. p. 102.

Sciurus virginianus cinereus maior RAII, a Cl. BUFON *Petit-Gris* nominatus, in regionibus ſepten- p. 116.

ptentrionalibus orbis, tam antiqui quam noui, reperitur et multum cum ſciuro vulgari conuenit, ſequentibus autem characteribus ab eo ſe diſtinguit: ſciuro maior eſt; pilos non rufos ſed cinereos plus minus obſcuros habet et pilis, qui in auribus ſciuri vulgaris prominent, caret. Haec animalcula gregatim incedunt et ope corticis ligni cuiusdam flumina tranſeunt: quando enim dicta animalia, vt ex Cl. RÉGNARD notat Cl BUFON, aquam tranſire tentant, corticem quendam e. g. pini aquae imponunt, eique inſidentes, cauda erecta, quo ceu velo vtuntur, adiuuante vento tranſuehuntur. Non raro autem accidit, vt flante vento et vndarum motu nauis eorum ſubmergatur ſicque vna ſaepe ter vel quater millia eorum aqua ſuffocentur. Arbores, vt ex HERNANDEZ Noſter notat, et inprimis piros inhabitant, fructibus ſeminibusque viuunt, eaque in hyemem colligunt inque cauas arbores reponunt, in quas tempore hyberno ſe recipiunt, ibidemque etiam parturiunt. Largiuntur ea pelles iſtas cinereas, quae gallice *Petit-Gris*, germanice *Grauwerck*, vocantur et maxime in vſu ſunt.

p. 126. *Sciurus Palmarum*, gallice *le Palmiſte*, *Sciurus Getulus*, gall. *le Barbaresque* et *Sciurus Carolinenſis*, gall. *le Suiſſe*, tria haec animalia ſimul hic deſcribuntur. Sciurus palmarum magnitudinem ratti ſeu ſciuri minoris aequat, et vitam ſuper palmos tranſigit; inde nomen accepiſſe dicitur. Pilis hirſutis tectum eſt. Caudam erectam nec, more ſciuri, dorſo ſuperimpoſitam habet, quae longioribus pilis, quam in corpore apparent, breuioribus tamen, quam in cauda ſciuri vulgaris, obſita eſt. Medio in dorſo a collo ad caudam vſque ſecundum ſpinae longitudinem ſtria albicans deprehenditur, quam vtrinque ſtria fuſca aliaque albicans comitatur. Idem iſte character, quo ſe ab omnibus aliis animalibus diſtin-

diſtinguit, in ſciuro getulo et ſciuro carolinenſi reperitur, quare factum, vt tria haec animalia a nonnullis pro vna eademque ſpecie habeantur. Verum ſciurus palmarum et ſciurus getulus in calidis tantum regionibus orbis antiqui, ſciurus carolinenſis contra non niſi in regionibus frigidis et temperatis orbis noui reperitur, Praeterea ſtriae fuſcae et albae in ſciuro carolinenſi alio ordine, quam in ſciuro palmarum, diſpoſitae ſunt: ſtria enim alba, ſecundum ſpinae longitudinem in ſciuro palmarum reperiunda, in ſciuro carolinenſi nigra vel fuſca, eſt, ſtriae albae a latere nigrae ſunt, cum in ſciuro palmarum nigrae a latere albae reperiantur. Caeterum in ſciuro palmarum ſtriae albae tres in ſciuro carolinenſi autem quatuor adſunt. Porro ſciurus carolinenſis caudam corpori imponit, quod in ſciuro palmarum non obſeruatur: hic arbores tantum inhabitat, ille in terra verſatur, inde etiam factum eſt, vt a nonnullis ſciurus terreſtris, *Ecureul de Terre*, appelletur. Praeterea ſciurus carolinenſis ſciuro palmarum minor eſt. Cum ſciurus getulus in eadem regione, eiusdem magnitudinis eiusdemque fere figurae, ac ſciurus palmarum appareat, forſan duo iſta animalia pro vna eademque ſpecie haberi poſſent, reuera autem differunt. Sciurus getulus enim caput frontemque magis arcuatam, aures maiores, caudamque pilis copioſioribus et longioribus tectam habet, et magis cum ſciuro quam ratto conuenit; ſciurus vero palmarum quoad corporis capitisque figuram maiorem conuenientiam cum ratto, quam cum ſciuro, alit. In ſciuro getulo ſtriae albae quatuor, in ſciuro palmarum autem tres reperiuntur, et ſtria, quae in ſciuro palmarum ſecundum ſpinae longitudinem alba excurrit, in ſciuro getulo nigrum colorem cum flauo mixtum habet. Caeterum animalcula haec reſpectu morum et vi-

uendi

uendi generis multum cum ſciuro vulgari conueniunt: fructibus enim viuunt, eosque pedibus apprehendunt et ori admouent. Eadem iis vox eſt, idem inſtinctus, eademque agilitas facileque cicurantur. Sciurus carolinenſis autem minus docilis minusque manſuetus eſt et cricetorum more, cum quo quoad indolem et mores multum conuenit, foveas ſibi in terra parat.

p.131. Sciurus palmarum in pedibus poſterioribus digitis quinque in anterioribus vero quatuor tantum inſtructus eſt. Color in partibus ſuperioribus ex fuluo et fuſco mixtus, in inferioribus autem fuſcus et gryſeus ſeu ingrate albus eſt. In ventre mammae quatuor apparent. Dentes viginti duo ſunt, dentibus ſciuri vulgaris ſimiles, excepto dente ante molares reperiundo, qui craſſior eſt.

p.144. *Tamandua - guacu* ſeu *Myrmecophaga maxima*, gallice *Tamancir*, *Tamandua* ſtricte ſic dicta, ſeu *Myrmecophaga roſtro longiſſimo* et *Tamandua minor*, tria haec animalia ſimul conſiderantur. Primum animal a fine roſtri ad ortum caudae vſque quatuor pedes longum eſt, caput quatuordecim aut quindecim pollices longum, roſtrum valde elongatum, caudam duos pedes cum dimidio longam, piliſque hirſutis et vltra pedem longis obſitam, collum breue, caput anguſtum, oculos paruos et nigros, aures rotundas, linguam tenuem et vltra duos pedes longam inque cauitatem oris plenarie retractam, ſeſe replicantem habet. Crura vnum tantum pedem alta ſunt; anteriora tamen aliquanto altiora et tenuiora. Pedes extremi rotundi ſunt, quorum anteriores vnguibus quatuor, poſteriores autem quinque armati ſunt. Pili caudae eodem modo, vt corporis pili, colorem ex nigro et albicante mixtum habent, Caudam dorſo imponit, eaque, quando ſomnum capere aut aduerſus pluuiam vel ardorem

ſolis

ſolis ſe defendere cupit, totum corpus obtegit, eandemque irritatum frequenter et ſubito mouet, et tranquillum poſt ſe trahit, eademque viam, qua incedit, purgat. Sub iugulo ſtria nigra reperitur, quae ad dorſum prope lumbos terminatur; crura poſteriora nigra, anteriora vero, alba fere, in medio macula nigra notata ſunt. Lente incedit animal, pedesque eius minus ad currendum, quam ad ſcandendum conſtructi eſſe videntur.

Tamandua ſtricte ſic dicta multo minor eſt prae- p.147.
cedente; a fine roſtri enim ad ortum caudae vſque octodecim pollices longa eſt; caput eius quinque pollices longum, roſtrum elongatum et inferius recuruum eſt. Cauda decem pollices longa et in apice pilis orbata, aures rectae pollicemque longae; lingua rotunda, octo pollices longa, in canali cauo interius in maxilla inferiore ſita, crura quatuor tantum pollices alta ſunt et pedes unguibus inſtructi vt in tamandua maxima ſe habent. Arbores ſcandit et vt tamandua maxima incedit. Cauda ſua ſe non obtegit. Somnum capiens caput ſub collo et cruribus anterioribus abſcondit.

Tertium horum animalium *Tamandua minor* p.148.
dictum, Tamandua ſtricte ſic dicta minus a fine roſtri ad ortum caudae vſque ſex vel ſeptem pollices longum eſt et caput duos pollices longum, roſtrum bene conformatum multoque minus elongatum, quam in binis prioribus, caudam ſeptem pollices longam inferius in apice, qui pilis priuatus eſt, incuruatam, linguam anguſtam aliquantiſper planam ſatque longam, collum pene nullum, caput pro ratione corporis ſat magnum, oculos infra ſitos et ab angulis rictus parum diſtantes, aures paruas ſubque pilis latentes, crura tres pollices alta et pedes anteriores vnguibus duobus armatos habet, quorum exterior multo craſſior et longior

gior eſt. Pedes poſteriores vnguibus quatuor inſtructi ſunt. Pili corporis, nouem lineas longi, tactu molles ſunt et colorem micantem rufum, luteo mixtum, habent. Pedes non ad greſſum formati ſunt: arbores tantum ſcandit et extremitate caudae de ramis pendet.

p.157. Tria haec animalia, quae ratione magnitudinis et proportionis corporis inſigniter adeo differunt, multa nihilominus communia habent. Formicis viuunt et linguam in mel aliasque ſubſtantias liquidas ſeu viſcoſas immergunt; micas panis et parua fruſta carnis conciſae ſat cito colligunt; facile cicurantur et educantur; famem diu ſuſtinent; liquidum, dum bibunt, non omne deglutiunt, ſiquidem pars per nares redit; de die plerumque dormiunt locumque ſub nocte mutant. Barbari carne eorum veſcuntur, quae vero ſaporis valde ingrati eſt.

p.161. Ex deſcriptione, quam Cl. DAUBENTON de primo et vltimo animali tradit, notamus, in Tamandua minori quatuor mammas, in quolibet nimirum latere duas, alteram in anteriore parte pectoris, alteram in poſteriore parte ventris apparere, vuluaque aperta ſingularem vrethrae et vaginae conformationem deprehendi. Loco enim vaginae vrethra in conſpectum venit, quâe ad margines vuluae vſque ſe extendit; in vrethram autem terminatur vagina, cum in plerisque quadrupedibus vrethra alias in vaginam ſe inſinuare ſoleat. Vuluae apertura tum vaginae tum vrethrae communis eſt, tuncque interius ſeptum, tribus lineis a vuluae marginibus diſtans reperitur, quo vagina et vrethra a ſe inuicem ſeparantur. In maxillis neque dentes neque veſtigia alueolorum reperiuntur. Vertebrae dorſales quindecim, totidemque coſtae in quouis latere, octo verae et ſeptem ſpuriae numerantur. Vertebrae

brae lumbares tres tantum ſunt. Os ſacrum ex quatuor vertebris ſpuriis, et cauda ex quadraginta duabus conſtat.

Pangolin, Lacertus indicus ſquamoſus BONTII p. 180. ſeu *Myrmecophaga pedibus pentadactylis* LINNAEI; et *Phatagin, Lacertus ſquamoſus peregrinus* CLUSII ſeu *Pholidotus longicaudatus* BRISSONII coniunctim deſcribuntur. Licet his binis a nimalibus Lacertorum nomen impoſuerint nonnulli, ab iis tamen omnino differunt. Nullas enim ſquamas ſub gula, pectore et ventre habent, primumque animal, *Pangolin* dictum, in partibus his non niſi cute laeui et absque pilis tectum eſt, alterum autem, *Phatagin* dictum, pilos in dictis partibus habet. Squamae, quae reliquas partes horum animalium obtegunt, cuti non agglutinatae, ſed in ea tantum infixae, ſunt, eique inferiore ſua parte adhaerent, mobiles ſunt et ad voluntatem animalis ſe erigunt et deprimunt, inprimis quando irritatum eſt, ſeque, vt erinaceus, in globum conuoluit. Tam craſſae ſunt iſtae ſquamae tamque durae et pungentes, vt ab animali in globum conuoluto omnia animalia rapacia repellantur, immo tigrides et pantherae, omnium animalium crudeliſſima, fruſtra vires impendant. Caeterum animalia haec, quando ſe contrahunt, vt erinaceus, figuram globoſam non aſſumunt, ſed in globum contractis cauda eorum craſſa et longa remanet, quae eadem ratione ſquamis obſita animal defendit. Primum, *Pangolin* dictum, craſſius eſt altero, *Phatagin* nominato, caudam tamen multo breuiorem habet. Pedes anteriores ad extremitatem vſque ſquamis tecti ſunt, qui contra in *Phatagin* ſquamis orbati pilisque tecti reperiuntur. Squamae etiam in *Pangolin* maiores, craſſiores magisque conuexae et minus ſtriatae, quam in *Phatagin*, ſunt, quae in hoc triplici cuſpide inſtructae et valde acutae, in

Pangolin autem abſque cuſpide et aequaliter ſecantes ſunt. *Phatagin* in inferioribus partibus pilos habet, *Pangolin* autem in toto corpore nullos; inter ſquamas tamen, dorſum tegentes, nonnulli pili craſſi et longi, ceu ſetae porcorum exeunt, qui in dorſo animalis, *Phatagin*, non apparent. Ex his itaque patet, *Pangolin* et *Phatagin* animalia eſſe omnino diſtincta. *Pangolin*, computata caudae longitudine, ſex, ſeptem et octo pedes longum eſt; in iuuentute tamen cauda, quae alias cum corpore eandem longitudinem habet, minus longa eſſe videtur; immo et ſquamae tunc temporis minus magnae, tenuiores et pallidiores ſunt, quae in adulto obſcuriorem colorem inſimulque tantam duritiem acquirunt, vt globulo, ex ſclopeto exploſo, reſiſtant. Vtrumque animal, tam *Phatagin* quam *Pangolin*, vt vrſi formicarii, formicis viuunt et eodem modo lingua admodum longa et gula anguſta, corpore valde elongato, cauda etiam admodum longa et vnguibus pedum fere eiusdem magnitudinis, non aeque numero eorundem inſtructum eſt. *Pangolin* enim et *Phatagin* in quolibet pede quinque vngues habent, cum quatuor tantum in anterioribus pedibus vrſorum formicariorum, *Tamanoir* nimirum et *Tamandua*, appareant. Haec in America, illa in India orientali et Africa reperiuntur, vbi nigritae carne eorum veſcuntur, quam ſaporis grati ſanamque exiſtimant, et ſquamas ad varios vſus impendunt. Caeterum vtrumque animal mite eſt, nec vllum damnum infert; inſectis viuit; lente incedit, inque foraminibus rupium aut, quae ſibi in cuniculis parant, ſe abſcondunt ibidemque pariunt.

p. 200. Animalia loricata, *Tatu* dicta, ſingulare genus conſtituunt, in varias ſpecies diuiſum, ita tamen, vt omnia, quae ad hoc genus pertinent, animalia a ſe inui-

inuicem diſtincta eſſe videantur. Conueniunt autem, quod ſimili quoad ſubſtantiam lorica obtegantur, quae caput, collum, dorſum, latera et caudam ad extremitatem vſque obtegit, quaeque ipſa exterius corio tenui, laeui et pellucido obtegitur. Iugulum autem, pectus et venter nulla lorica, ſed cute alba et granoſa quaſi cooperiuntur. Lorica, ſuperiores partes obtegens, minime, vt in teſtudine, ex vna parte, ſed ex variis, ope membranarum inter ſe inuicem coniunctis et mobilibus, partibus ſeu cingulis conſtat, quorum numerus in iunioribus aeque ac adultis idem eſt, in diuerſis autem ſpeciebus diuerſus. Cum igitur diuerſitas numeri cingulorum mobilium conſtans ſit, probabile eſt, vel ſpecies horum animalium dari reuera diſtinctas, vel ad minimum varietates conſtantes et ab influxu climatum diuerſorum productas. Ob id itaque ſequentes ſpecies a Noſtro conſiderantur: 1) *Tatu apara* ſeu *Tatu cingulis tribus;* 2) *Tatupeta*, ſeu *Tatu cingulis ſex;* 3) *Tatuete* ſeu *Tatu cingulis octo;* 4) *Cachicamo* ſeu *Tatu cingulis nouem;* 5) *Tatu Kabaſſou* ſeu *Tatu ciugulis duodecim;* 6) *Tatu coinchum* ſeu *Tatu cingulis octodecim.* In omnibus his, excepto vltimo, duo deprehenduntur ſcuta oſſea, alterum nempe in ſcapulis, alterum in poſteriore parte dorſi. Scuta haec vnam tantum partem conſtituunt, cum lorica, itidem oſſea, quae corpus tegit, ex cingulis mobilibus et ope membranae flexilis a ſe inuicem ſeparatis componatur. In *Tatu* cingulis octodecim vero vnum tantum reperitur ſcutum, idque quidem in ſcapulis, reliquum corpus ad caudam uſque cingulis mobilibus numero octodecim tectum eſt.

Apar, ſeu *Tatu cingulis tribus; Tatu aparu* MARCGRAVII; *Erinaceus loricatus cingulis tribus* LINNAEI, caput oblongum fereque pyramidale, roſtrum acutum, oculos paruos, aures breues et rotundas ſu- p.206.

 perio-

perioremque capitis partem caſſide tectam habet. In quolibet pede quinque digiti ſunt, vnguibus armati, qui in duobus digitis mediis pedum anteriorum admodum magni, in digitis lateralibus minores, in quinto autem exteriori reliquis omnibus multo minor eſt formamque calcaris habet. Vngues pedum poſteriorum breuiores magisque aequales ſunt. Cauda admodum breuis, duos tantum pollices longa et ſcuto circumdata eſt. Corpus quoad longitudinem pedem vnum, quoad maximam latitudinem pollices octo habet. Lorica in quatuor commiſſuras diuiſa et ex tribus cingulis mobilibus et tranſuerſalibus compoſita eſt, qui incuruationi et contractioni animalis inſeruiunt. Scuta, quae ſcapulam et poſteriorem partem dorſi tegunt, ex partibus pentagonis conſtant. Cinguli mobiles ex partibus quadratis ſeu in quadrum oblongis componuntur, et quaeuis harum partium paruis ſquamis lenticularibus ex albo-flaueſcentibus obtegitur. Quando animal ad dormiendum ſe componit vel tangitur, pedes ſuos in vnum quaſi punctum colligit, caput ſub ventre abſcondit et adeo in globum ſe contrahit, vt pro teſta marina potius quam pro animali terreſtri haberi poſſit. Haecce contractio ope duorum muſculorum magnorum, ad latera corporis reperiundorum, perficitur.

p.209. *Encoubert*, ſeu *Tatu cingulis ſex; Tatupeba Braſilianis et Encuberto Luſitanis* MARCGRAVII; *Daſypus cingulis ſenis, pedibus pentadactylis* LINNAEI. Hoc animal praecedenti maius eſt, ſuperioremque partem capitis, colli, corporis totius, crura et caudam lorica oſſea, valde dura et ex multis partibus compoſita, tecta habet. In ſcapulis et poſteriore parte dorſi duo ſcuta ſunt, quae ex vna tantum parte conſtant. Super ſcutum tamen in ſcapulis et prope caput cingulus mobilis inter duas iun-

ctūras

ſturas deprehenditur, qui hanc vtilitatem praeſtat, vt animal collum curuare poſſit. Lorica, quae inter duo illa ſcuta eſt, ex ſex cingulis conſtat, qui ope membranae flexilis et craſſae inter ſe inuicem iunguntur. Ex hac membrana nonnulli pili albicantes exeunt, iis ſimiles, qui ſub gula, pectore et ventre deprehenduntur. Roſtrum huius animalis acutum eſt, oculi parui alteque defixi, lingua anguſta et acuta, aures pilis ſcutoque deſtitutae, nudae, breues et fuſcae. In qualibet maxilla dentes octodecim; in quouis pede digiti quinque, vnguibus longis, rotundis et anguſtis armati. Caput et roſtrum, vt in porcello lactante. Cauda in ortu craſſa, in extremitate verò tenuis et rotunda. Color corporis ex flauo rufeſcens. Animal plerumque craſſum et pingue eſt. Terram tum roſtri tum vnguium ope facillime effodit, ſicque cuniculum ſibi parat, vbi per diem degit et non niſi ſub nocte exit victumque tunc quaerit. Saepe bibit, fructibusque, radicibus, inſectis et auibus, ſi capere eas poteſt, viuit.

Tatu cingulis octo; Tatuete Braſilienſibus et Verdadeiro Luſitanis MARCGRAVII; *Daſypus cingulis ſeptenis, palmis tetradactylis, plantis pentadactylis* LINNAEI. Hoc animal multo minus eſt praecedenti. Caput eius paruum, roſtrum acutum, aures rectae, aliquantum elongatae, cauda longior et crura pro ratione corporis humiliora quam in Tatu praecedenti. Oculi parui et nigri ſunt. Digiti in pedibus anterioribus quatuor, in poſterioribus quinque. Caput caſſide tectum, ſcapulae et poſterior pars dorſi ſcuto, et corpus lorica tectum, quae ex cingulis octo conſtat. Cauda itidem loricata ex annulis octo mobilibus componitur. Color loricae corporis ex gryſeo ferreus, laterum vero et caudae ex gryſeo albus maculisque ex gryſeo-ferreis diſtin- p.212.

ctus eſt. Lorica huius animalis dura non eſt, minimusque globulus ex ſclopeto explofus iſtud perfodere et animal occidere poteſt. Caro eius alba eſt et palato placet.

p.215. *Tatu cingulis nouem* ſeu *Cachicamo; Daſypus cingulis nouem, palmis tetradactylis, plantis pentadactylis* LINNAEI, cum praecedenti adeo exacte conuenit, vt vix ſpeciem ſingularem, a praecedente diſtinctam, conſtituere videatur, forteque Tatu cingulis octo pro maſculo, Tatu autem cingulis nouem pro foemina haberi poſſe et huic plures cingulos ad facilitandam geſtationem et partum datos eſſe, Cl. BUFON coniicit.

p.218. *Tatu cingulis duodecim* ſeu *Kabaſſou*, *Tatus moſchum redolens, Tatuete Braſilienſibus* MARCGRAVII, omnium horum animalium maximum eſt. Caput eius maius et amplius, roſtrum autem minus tenue, crura craſſiora, pedes maiores et cauda non loricata apparet, qua in re a reliquis cunctis ſe diſtinguit. In quouis pede digiti quinque ſunt, caeterum cinguli duodecim numerantur. Inter iuncturas pili prodeunt, ſetis porcorum ſimiles. In pectore, ventre, cruribus et cauda rudimenta ſquamarum apparent, quae rotundae, durae et laeues ſunt, circa quas parui flocci pilorum cernuntur.

p.220. *Tatu cingulis octodecim* ſeu *Cirquinçon*; *Cataphractus ſcuto vnico, cingulis octodecim* BRISSONII. In hoc animali vnum tantum ſcutum, et quidem in ſcapulis deprehenditur, cum in reliquis duo ſcuta, alterum in ſcapulis, alterum in poſteriore parte dorſi appareant. Corpus eius decem pollices longum, caput tres pollices, cauda quinque habet. Crura duos vel tres pollices alta ſunt. Anterior capitis pars longa eſt et plana; oculi parui ſunt, aures vnum pollicem longae; pedes digitis quinque inſtru-

inſtructi et vnguibus armati deprehenduntur, qui in tribus mediis pollicem vnum longi, in duobus exterioribus autem breuiores ſunt. Armatura capitis crurumue ex ſquamis, armatura vero colli ex vna parte conſtat, quae ex paruis ſquamis efformata eſt. Scutum ſuper ſcapulis ex vna tantum parte conſtat. Reliquum corpus a ſcapulis ad caudam vſque cingulis mobilibus ope membranae flexilis a ſe inuicem ſeparatis numeroque octodecim obtegitur. Pectus, venter et aures, vt in reliquis ſpeciebus, nuda ſunt.

Omnia animalia loricata ortum habent in America, et licet difficile ſit, magnitudinem ſpecierum determinare, ex pluribus tamen inter ſe comparatis coniiciendum eſt, *Tatu cingulis duodecim*, *Kabaſſou* dictum, et *Tatu cingulis ſex*, *Encoubert* nuncupatum, omnium maxima; minima autem *Tatu cingulis tribus* ſeu *Apar*, *Tatu cingulis octo* ſeu *Tatuete*, *Tatu cingulis nouem* ſeu *Cachicamo*, et *Tatu cingulis octodecim* ſeu *Cirquinçon* eſſe. Omnia haec animalia maiorem minoremue corpus conſtringendi inque globum conuoluendi facilitatem habent, nullum tamen, vt erinaceus, in globum perfecte ſe contrahit, figuramque potius ſphaerae, in polis compreſſae habet. Innocua ſunt haec animalia, et licet in calidis Americae regionibus producantur, in temperatis tamen Europae regionibus viuere poſſunt. Strenue incedunt, neque tamen ſaltare, neque currere, neque arbores ſcandere poſſunt, hinc facile etiam capiuntur. Vnicum eorum refugium cuniculus eſt, interim facile etiam propria cauda extrahuntur, antequam plenarie intrauerint; tunc autem adeo reſiſtunt, vt cauda rumpatur nec corpus extrahatur. Neceſſe igitur eſt, vt cuniculus antrorſum aperiatur, quo facto facillimo negotio demum capiuntur. Quodſi vero profundius in cuniculis haerent, ope p.223.

 fumi

ſumi aut aquae expelluntur. Paruis canibus animal hoc venantur, tuncque facile iſtud capiunt; ſi vero in loco praecipiti eſt, tunc contrahit ſe, et vt globulus, ſe deuoluit, ſicque e manibus venatorum euadit. Pinguia ſunt iſta animalia et admodum foecunda, ſiquidem omni menſe quatuor pullos edere foemina dicitur. Humida et calida loca inprimis inhabitant, neque a cuniculis longe diſcedunt. Carne eorum veſcuntur incolae et ſcutum in varios vſus impendunt.

p.269. *Paca*, animal orbis noui, cuniculo immo et lepore multo maius, caput rotundum et roſtrum breue habet; pingue eſt et forma corporis porcello ſimile, eodem fere modo grunnit, incedit, deuorat terramque effodiendo victum quaerit. Ripas fluminum inhabitat et non niſi in humidis calidisue locis Americae meridionalis reperitur. Caro eius eſculenta eſt et adeo pinguis, vt lardo opus non habeat. Viuum animal non niſi cum magna difficultate capiunt venatores, de quibus morſu ſe vindicare annititur. Cutis eius, licet breuibus et hirſutis pilis tegatur, pulchram tamen pellem largitur. Saepe et numeroſam prolem edunt, et licet homines et animalia carniuora magnam eorundem copiam deſtruant, nunquam tamen numerus eorum valde imminuitur.

p.272. Caput huius animalis quodammodo formam oui habet; labium inferius ſuperiori breuius eſt et leporum more fiſſum; aures rotundae et breues; myſtax valde longus; ad angulum poſteriorem oculi faſciculus longorum pilorum eſt; collum aeque fere craſſum vt caput; corpus craſſum et breue; cauda nulla, eoque in loco pili calcar formant; crura breuia ſunt, et quilibet pes quinque digitis inſtructus eſt, pollex tamen admodum paruus, ita, vt praeter vnguem nihil appareat; color pilorum in ſupe-

ſuperiore corporis parte badius, in inferiore autem flaueſcens et albicans; ad latera ſecundum longitudinem paruae maculae rotundae flaueſcentes ſunt; lingua larga et craſſa; mammae duae ſex lineas a vulua diſtant, duaeque aliae minores in pectore ſunt. In qualibet maxilla dentes inciſiui duo et molares octo; vertebrae dorſales tredecim totidemque coſtae, octo verae et quinque ſpuriae, vertebrae lumborum ſeptem, vertebrae ſpuriae oſſis ſacri tres et caudae octo numerantur.

Sarigue ſeu *Opoſſum; Marſupiale Americanum; Semi-Vulpa* GESNERI; *Philander* BRISSONII; *Didelphis* LINNAEI; Animal Americanum ab omnibus duplici charactere ſe diſtinguit; alter eſt, quod foemina ſub ventre amplam cauitatem habeat, in quam pullos recipit, eosdemque in ea lactat. Alter eſt, quod in mare aeque ac in foemina primus digitus pedum poſteriorum vngue deſtitutus et a reliquis digitis prorſus ſeparatus ſit, cum quatuor reliqui digiti eorundem pedum iuxta ſe inuicem poſiti et vnguibus curuis armati ſint. Quod ad cauitatem illam attinet, ſub ventre rima, duos aut tres pollices longa, conſpicitur, a duabus membranis formata, quae perulam ſeu marſupium conſtituunt, exterius pilis obſitum, interius vero iisdem deſtitutum. In hoc marſupium, quod mammas intus habet, pulli recens nati ſe recipiunt, idemque ad voluntatem animalis ſe aperit et claudit. Mechaniſmus iſte ope plurium muſculorum et duorum oſſium, quae non niſi huic animalium generi competunt, perficitur. Dicta oſſa ante os pubis, cui per baſin adhaerent, reperiuntur, duos pollices longa ſunt et inſertioni muſculorum, qui marſupium hoc partim aperiunt partim claudunt, inſeruiunt. Interior huius marſupii ſuperficies glandulis obſita eſt, quae ſubſtantiam flaueſcentem largiuntur, tam grauis odoris, vt

p. 279.

per totum corpus diffundatur. Materies haec exſiccata non ſolum odorem ingratum amittit, ſed, talem indolem acquirit, vt cum moſcho comparari poſſit. Marſupium iſtud vterus non eſt, qui in interioribus deprehenditur, ab vtero autem aliorum animalium diuerſus. Hoc animal in temperatis Americae regionibus vbiuis fere obuium eſt, ſiquidem ſaepe et numeroſam prolem et quatuor, quinque, immo ſex pullos edere dicitur. Hi pulli duos digitos longi ſunt, immo eos, in ortu ſtatim, muſca non maiores eſſe, nonnulli dicunt. Veri ſimile itaque Noſtro videtur, vterum in dicto animali non niſi locum conceptionis, formationis primaeque euolutionis foetus eſſe, cuius incrementum, cum eius partus praecocior ac in aliis animalibus ſit, in dicta burſa abſoluitur, in quam ſtatim a praematura origine recipitur. Pulli durante prima aetate mammis ibi quaſi agglutinati manent, donec incrementum et vires ad motum ſubeundum acquiſiuerint. Tunc vero exeunt, burſamque ſaepe ad ſomnum capiendum et ſugenda vbera intrant. Lente incedit animal, ita vt facile homo iſtud aſſequi poſſit. Incredibili interim pernicitate arbores ſcandit, tuncque auibus inſidiatur. Caudae etiam ope de arbore ſe ſuſpendit, et interdum per longum tempus in hoc ſtatu manet, praedamque expectat. Alio tempore de arbore in arborem tranſilit. Licet animal iſtud ſanguinem animalium abſorbeat, inſectis tamen, arundine ſaccharifera, radicibus, foliis et corticibus viuit. Facile etiam, vt animal domeſticum, domi nutritur; innoxium eſt neque ferox et facile cicuratur, ob graueolentem vero odorem taedio eſt et ob ingratam quoque figuram, inprimis ob aures, caudam et rictum diſplicet. Odor iſte in cute tantum, non in carne, reſidet, quae grati ſaporis eſt, quaue indiani veſcuntur. Animal hoc roſtrum valde

longum

longum et rictum tam magnum habet, vt labiorum commiſſurae infra oculos appareant. Frons et ſuperior capitis pars eodem in loco linea recta ſe habent, ita, vt frons nequaquam conuexa ſit. Aures magnae, rotundae, tenues et nudae ſunt. Labium ſuperius non adeo vt naſus prominet. Dentes canini labii ſuperioris extra os prodeunt et ad vtrumque latus labii inferioris deſcendunt. Cauda eandem longitudinem vt corpus et caput animalis habet, in apice acuta et duos pollices cum dimidio ab ortu pilis obſita, reliqua vero pars paruis ſquamis tecta eſt, inter quas parui pili prodeunt. Quilibet pes quinque digitis inſtructus eſt, pollex autem pedum poſteriorum, a reliquis ſeparatus, multo maior et vngue deſtitutus eſt ſeque in tuberculum rotundum terminat. Reliqui digiti omnes vnguibus admodum mobilibus armati ſunt. Color pilorum in ſuperiore corporis parte a fine roſtri ad ſquamoſam caudae partem vſque et in facie exteriore femorum, crurum pedumue fuſcus et rufeſcens, in interiore autem et interna ſuperficie ingrate albus eſt, pars autem caudae ſquamoſa partim fuſca partim albeſcens apparet. Longitudo animalis, quod hic deſcribitur, a fine roſtri ad ortum caudae vſque, quae vltra nouem pollices apparuit, nouem pollices cum dimidio fuit. Lingua tenuis inque apice rotunda et in marginibus partis anterioris fimbriata eſt. Partes generationis in foemella aliter conformatae ac in aliis quadrupedibus ſunt. Clitoridis enim glans duos ramos habet, qui ex duabus cauitatibus prodeunt. Vagina vteri et vrethra ad ſeptem lineas canalem communem habent, tuncque ad vtrumque latus veſicae duo canales ſunt, qui continuationem vaginae ideoque duplicem vaginam ſiſtunt, quae ad duplicem vterum abit. Dentes numero quinquaginta ſunt, in ſuperiore nimirum maxilla decem inciſiui,

ciſiui, duo canini et quatuordecim molares, inque inferiore pariter quatuordecim molares duoque canini, octo autem inciſiui. Vertebrae colli ſeptem, dorſales tredecim inque quouis latere totidem coſtae, ſeptem verae et ſex ſpuriae ſunt; vertebrae lumbares ſex numerantur; os ſacrum ex vertebris ſpuriis duabus et cauda ex viginti nouem conſtat.

p.335. *Marmoſa; Mus ſylueſtris Americanus Scalopes dictus* SEBAE; *Murina - Didelphis cauda ſemi - piloſa, mammis ſenis* LINNAEI. Hoc animal forma corporis, conformatione pedum, longitudine caudae et numero dentium, cum praecedenti exacte conuenit, aſt multo minus eſt, roſtrum multo acutius neque foemina burſam ſub ventre ſed plicam longitudinalem prope femora habet, inter quae pulli ſe recipiunt ſeque mammis agglutinant. Partes generationis tum in mare tum in foemina vt in praecedentibus ſunt. Ortus pullorum praecocior eſt, quam praecedentium; iidemque dum prodeunt, vix paruarum fabarum magnitudinem habent. Numerus etiam pullorum maior eſt, ſiquidem decem pullos, mammis adhaerentes et quatuor inſuper mammas absque pullis repererunt. Eadem indoles iidemque mores huic animali quam praecedenti ſunt. Ambo enim cuniculos ſibi parant, in quos ſe recipiunt; ambo extremae caudae ope ramis arborum ſe adhaerent, inque aues paruaque animalia proſiliunt. Fructus, grana et radices deuorant, magis vero piſcibus et cancris delectantur.

p.338. Oculos huius animalis cingit circulus nigricans; myſtax in ortu fuſcus eſt; ſuperior corporis ſuperficies et exterior pars femorum crurumue colorem cinereum cum fuluo mixtum, interior autem albicantem habet. Cauda tres tantum lineas ab ortu pilis, de caetero paruis ſquamis, obſita eſt. Numerus dentium et vertebrarum vt in animali marſupiali eſt.

Cago-

Cagopollin; Mus Africanus Kagopollin dictus SEBAE; *Philander Africanus* BRISSONII. Animal hoc Americae indigenum Marmoſa maius eſt, roſtrumque minus acutum et caudam longiorem habet, caeterum propius ad Animal Marſupiale (*Sarigue*) quam ad Marmoſam accedit. Inſigniter autem ratione habitus partium internarum et externarum, ortus praematuri et morum tria haec animalia conueniunt, in America et in meridionalibus tantum eiusdem regionibus occurrunt. Certum eſt, rictus eorum vt in lucio piſce fiſſus, aures vt in veſpertilione, cauda ſerpentina et pedes vt in ſimia ſingularem formam conſtituunt odorque praeterea ingratus animalia haec moleſta admodum reddit. p.350.

Oculi huius animalis non, vt in Marmoſa, circulo nigro cincti, ſed in margine colore nigreſcente praediti ſunt. Superior corporis ſuperficies colorem cinereum cum fuluo et gryſeo mixtum, interior autem pallide flaueſcentem fereque albeſcentem habet. Dentes quadraginta octo ſunt, decem nimirum inciſiui, duo canini et duodecim molares in maxilla ſuperiore, inque inferiore octo inciſiui, duo canini et quatuordecim molares. Vertebrae lumborum ſex ſunt, osque ſacrum vt in Marſupiali et Marmoſa ex duabus tantum vertebris ſpuriis, cauda autem ex triginta ſex conſtat, cum in Marſupiali et Marmoſa cauda ex viginti nouem tantum componatur. p.353.

II.

Della cura de' Bambini attaccati dalla Rachitide Trattato del Dottor GIOVANNI VERARDO ZEVIANI Filoſofo Medico. Verona per Marvo Moroni 1761. 4. pl. 22.

h. e.

Tractatus de cura infantum, rachitide affectorum, Auctore Cl. ZEVIANI.

Neglectam ſaepe a medicis fuiſſe conſiderationem morborum infantum, et praeter ea, quae FRANCISC. DE LE BOE SILVIUS et GUALTH. HARRIS propoſuerunt, pauca in ſcriptis medicorum occurrere de iis, in praefatione monet Cl. Auctor, oſtenditque non adeo difficile, vt multi arbitrantur, morbos infantum cognoſci, eosque ſaepius leuioribus remediis cedere. Ipſe vero cum, poſt GLISSONIUM, varia, inprimis ad methodum medendi ſpectantia, detexerit, hunc tractatum edere ſuſcepit, quem in quinque capita diſtributum videmus: quorum *primum* de rachitidis idea exponit; *ſecundum*, eam nouum morbum non eſſe, oſtendit; *tertium* eſſentiam et cauſſas, *quartum* vero curam rachitidis tradit; *quintum* tandem modum infantes ab hoc morbo praeſeruandi docet.

p. 1. *Caput primum* ideam morbi ſiſtit. Infantes nimirum rachitide affecti, ſufficienti licet nutrimento aſſumto, marceſcunt, infimo ventre indurato et flatibus diſtento oſſibusque prorſus defiguratis. Minime connatus hic dici poteſt morbus, cum rarius poſt ſextum a natiuitate menſem, frequentius ſecundo demum anno accedat. Succeſſiuum autem incremen-

tum

tum deſcribitur atque oſtenditur nonnullos quidem phthiſi, hydrope et ſpina ventoſa accedente mori, multos tamen euadere, qui capite magno et membris varie diſtentis, veſtigia morbi olim perpeſſi ad vltimum vitae terminum oſtendunt. Licet vero a ſanis aeque ac aegris parentibus naſcantur infantes hoc morbo demum obnoxii, ipſi tamen infantes obeſi et, qui ab obeſis parentibus propignuntur, magis in eundem procliues ſunt. Mutationes porro, quae in cadaueribus infantum, morbo rachitico affectorum, per diſſectiones anatomicas deteguntur breuiter indicantur, et praecipue oſtenditur in iis hepar magnum, inteſtina flatu diſtenta, glandulas meſaraicas ſcirrhoſas, pulmones pleurae accretos et materia alba ſpiſſa obductos, reperiri. Morbus interdum anglicus dicitur, in omnibus tamen Europae immo et Americae prouinciis eum obſeruatum fuiſſe teſtimoniis euincitur, et cum ſpina dorſi ῥάχις dicatur, eaque in hoc morbo ſaepius incuruata ſit, rachitidis nomen inuentum fuit, Angli etiam, a quibus morbus primum deſcriptus fuit, *rickets* dicunt. Cum autem interdum, vt Cl. Auctor monet et nos quoque vidimus, in rachiticis infantibus ſpina non incuruetur, et atrophia et inflatio ventris praecipue cum morbo noſtro fuit, ex his potius ſymptomatibus, niſi iam vocabulum vbique receptum eſſet, denominatio repeti poſſet. p. 6.

Caput ſecundum morbum nouum non eſſe declarat, vti GLISSONIUS in eius diſquiſitione docuerat, cum noua quaſi ſymptomata in morbis infantum hactenus non recenſita occurrerent, ille autem haec quinquageſimi circiter praecedentis ſeculi anno ſcripſerat. Oſtendit itaque Noſter, et HIPPOCRATEM et GALENUM iam tabem infantum deſcripſiſſe et illum quidem duas ſpecies proponere, in quarum p. 15.

vna

vna corpus ex defectu nutrimenti flacceſcit in altera vero macies inducitur, licet alimenta maximo cum appetitu aſſumantur, vterque etiam auctor incuruationem ſpinae et tubercula ad pulmones nata, quae vera ſigna rachitidis ſunt, adducit. Praeter alios auctores vero, qui de tabe infantum ſcripſerunt, REUSNERUM nominat, qui in diſſert. Baſileae 1582. habita aſſeruit, iſtis temporibus in Heluetia et Hollandia morbum quendam infantibus familiarem fuiſſe, quo carnes ita emaciarentur, vt vix oſſa ſuſtinere poſſint, licet edendi cupido ſumma in iis eſſet, his praeterea obſtructiones accedere et incuruationem
p. 21. crurum. Febris abſentia in rachitide et praeſentia in tabe, ad quam GLISSONIUS prouocat, vt diſtinctionis ſignum valere nequit, cum et in rachitide interdum accedat. Ita enim ſymptomata rachitidis varia a veteribus aeque ac recentioribus ſcriptoribus adducta ſunt, licet nomen diſtinctum morbo non addiderint. Et morbus ſaepe a medicis ideo neglectus fuit, quoniam vulgus eundem ad incantationes
p. 30. retulit. Adduntur in fine teſtimonia Anglorum et aliorum medicorum, qui GLISSONII ſententiae de nouo hoc morbo non ſubſcripſerunt, immo oſtenditur, GLISSONIUM ipſum ſibi in multis propoſitionibus contradixiſſe.

p. 39. *Caput tertium* de eſſentia et cauſſis rachitidis agit. GLISSONIUS eſſentiam morbi in frigida et humida intemperie cum vitio ſpinalis medullae, quod neruos laedit, quorum origo extra caluam eſt, illaeſis illis, qui intra caluam naſcuntur, ponit. Hunc vero non tantum, ſed et alios auctores, qui cum ſcorbuto vel lue venerea conuenire aſſerunt, vel qui ex vitio hepatis aut obſtructione viſcerum infimi ventris deriuant, vel qui alias morbi cauſſas adducunt, refellit Cl. Auctor, tandemque ſuam ſententiam propo-

proponit, et rachitidem ſpeciem quandam cachexiae dicit, in qua humores corporis acido quodam ſcatent, quod a corruptione lactis, conſueti infantum nutrimenti, deducit. Naturam itaque lactis, et in ſe et in corruptione, declarat et oſtendit, primis vitae menſibus hanc deprauatam lactis mutationem, in primis quidem viis ſubſiſtere ibique ſaepius corrigi; poſtea vero coagula in vaſis lacteis haerere, et, tumore ventris ſuccedente, tandem non niſi tenui gelatinoſa parte deſtitutum nutrimentum ad vaſa corporis vehi et maciei corporis cauſſam eſſe; ſpiſſam vero et inertem chyli partem, quae in inteſtinis colligitur, interdum aluum ſtrictam reddere, ſaepius vero acidum, bili iunctum, deiectiones virides efficere. Acidum hoc morboſum porro ſigillatim conſiderat, et quomodo mutato tandem victu vel medicamentis exhibitis interdum coerceatur et corrigatur, oſtendit Cl. Auctor; quod ſi vero haec cauſſa rachitidis porro increſcat, infimi ventris viſcera magis obſtrui, docet et circulo ſanguinis ibi impedito maiorem vim ſanguinis ad caput duci, inde autem maius cerebri incrementum deducendum eſſe, ex quo non tantum diſiuncta cranii oſſa magis diſtendantur, ſed etiam inde facies florida oriatur ingeniumque excitatum rachiticorum declaretur. His explicatis ad oſſium incuruationem, in hoc morbo ſolennem, accedit Cl. Auctor, varias itaque ſcriptorum hac de re opiniones recenſet, et inter ſe confert, et ex mollitie oſſium ipſa, ex nimia tenſione muſculorum et pondere corporis et diſtenſionem epiphyſium et incuruationem oſſium cylindricorum, et ſpinae dorſi deriuat, et porro oſtendit, quomodo ex his cauſſis ſimul circulatio ſanguinis libera impediatur, et inde hydropis variae ſpecies, phthiſis et ſpina ventoſa, oriantur. Praecipuis his rebus expenſis varias adhuc rachitidis cauſſas diſquirit. Eſſe ni-

p. 57. p. 62. p. 67. p. 79.

mirum eandem morbum infantum, ob lactis alimentum huic aetati conſuetum; et a parentibus ſanis natos infantes rachiticos fieri poſſe, licet imbecilli parentes magis contribuant ad geneſin huius morbi in liberis ſuis; eſſe magis morbum frigidarum regionum, quoniam in calidioribus humores magis ad alcalinam indolem inclinent; mutationem quoque nutrimenti, ſi lac nutricis ſuccedit nutritioni maternae in vtero, et humores diuerſi ſunt, geneſin morbi faciliorem reddere, in primis ſi, quod ſaepe fit, copia nimia lactis, vix ſubigenda, ſugatur.

p. 95. *Caput quartum* de cura rachitidis exponit. Hac in re Cl. Auctor praecipue ad emetica, purgantia et diuretica reſpicit, ſed quoniam emetica teneris infantum corporibus infenſa eſſe iudicat, et purgantia vim diureticam ſemper ſimul exercere aſſerat, iisdem praecipuam vim in debellando hoc morbo tribuit. Purgantia vero in principio morbi maiori cum ſucceſſu, eo autem aucto diuretica melius applicantur, et licet ſint, qui diaphoreticis quoque in hoc morbo ſanando aliquid tribuant, cauſſa tamen et coagulo condenſata materia morbi, per anguſtas tranſpirationis vias vix duci poteſt, licet organon p. 101. ſecretionis ampliſſimum ſit. Acidum quidem terreis abſorbentibus optime corrigi dicitur, quod ex commixtione medium quaſi ſal oritur, euacuationem aluinam efficiens; cum tamen terreae quoque particulae in viſcido coagulo compingantur et canali inteſtinorum oneri ſint, ſalia alcalina praeſtant, quia non tantum acidum domant, ſed et cum oleoſa parte lactis ſaponaceam indolem acquirunt, his vero roborantia nonnihil volatilia ſubiungenda ſunt, quippe quae tonum inteſtinorum inſtaurant et nouam acidi geneſin impediunt. Cum his tamen neceſſaria eſt alimenti mutatio, ne lac porro ſumtum denuo corrumpatur.

Sym-

Symptomata rachiticorum Cl. Auctor nunc breuiter tangit, et ad examen remediorum progreditur. Auxilia chirurgica a variis ſcriptoribus in hoc morbo commendata, ſcarificationem ad aures, fonticulos, ventoſas, hirudines, veſicatoria, balnea et frictiones ſub examen reuocat; iis tamen in cura rachitidis parum tribuit, ideoque ad pharmaceutica progreditur, et neglecta, ab aliis laudata, ſaſſaparilla, rhabarbarum, quod aluum mouet et vrinam, ſanguinem corrigit, obſtructiones tollit, et fibrarum tonum reſtituit, magis commendat; illud vero non niſi cum vſu entis veneris, quod ROBERTUS BOYLE inuenit, coniunctum, ſalutares effectus edere confirmat. Cum autem hoc medicamentum cum floribus ſalis ammoniaci martialibus maxime conueniat, vires ſalis ammoniaci magis, quam martis vim roborantem attendendam eſſe aſſerit, cum haec non niſi morbo ſuperato applicanda ſit. Licet autem rhabarbaro et enti veneris maximas partes in ſanando hoc morbo tribuat, ſaponem venetum tamen, ob vim ſalis alcalini actiui per oleum temperatam ſimul laudat, quippe quem experientia quoque comprobatum reperit. Maiorem tamen efficaciam enti veneris et rhabarbaro adſcribit, et eius circiter grana quinque per quindecim dies exhibuit, interpoſita quarto ſemper die proportionata rhabarbari doſi; ſepoſitis poſtea per alios quindecim dies medicamentis, priorem medendi methodum iterum incepit, qua ter repetita effectus ſalutares ſemper expertus eſt, et varias addit rationes, cur alii medici ſimilem effectum ab his remediis non obtinuerint. Ad exercitationem quoque corporis, quae rachiticis commendatur, diiudicandam accedit Noſter. Haec quidem fibras vigore excitato et obſtructos humores reſolutione iuuat, cum tamen defigurata oſſa magis laedere videtur, quies magis conuenit, donec morbus internis remediis curatus ſit.

p. 110. p. 118. p. 129. p. 132.

ſit. Induſia ex lana parata, quae phthiſicis et rachiticis vtiliora, quam linea, iudicantur, reiicit, quoniam perſpirationem nimis augent. In auxiliis, quibus oſſa incuruata ad rectitudinem diſponuntur, nimiam compreſſionem thoracibus, faſciis et frictione applicatam, taxat. Difficilior ſemper eſt ſpinae ventoſae, quae rachitidem ſequitur, curatio, tumores enim oſſium morboſi, caries latens et humores acres ſtagnantes, ſi vnquam, non niſi chirurgicis auxiliis vinci poſſunt. Hydrops quoque, rachitidi ſuperueniens, niſi aquae effuſae internis remediis per vrinae vias et aluum ſubduci poſſunt, nunquam tollitur.

Caput quintum de modo, quo infantes ab hoc morbo praeſeruantur, breuiter diſſerit, et licet matres praecipue lacte ſuo infantes nutrire debeant, tamen cum variis de cauſſis haud raro nutrices eligendae ſint, Cl. Auctor monita de diiudicanda bona nutrice, eius diaeta, nec non tentamina de bona lactis indole definienda addit, et non nulla de ipſa infantum cura ſubiungit.

III.

Specimen hiſtoriae naturalis globi terraquei, praecipue de nouis e mari natis inſulis, et ex his exactius deſcriptis et obſeruatis vlterius confirmanda Hookiana telluris hypotheſi de origine montium et corporum petrefactorum. Cum figuris aeneis. Autore RUDOLPHO ERICO RASPE. Amſtel. et Lipſiae, ſumptibus I. Schreuder et P. Mortier. MDCCLXIII. 8. pl. 13. tab. 3.

Cl. Auctor huius libri animum applicuit ad colligendum ex obſeruationibus philoſophorum, et omnis

omnis aeui hiſtoriae monumentis, completam hiſtoriam naturalem globi terraquei: et quo melius ac clarius perciperetur, quantas ille mutationes inde ab antiquiſſimis temporibus paſſus ſit, delineare etiam coepit mappam geographicam, in qua ſollicite annotat mutationes, in ſuperficie globi per terrae motus, vulcanos, inundationes, aggerum et littorum perruptiones, paludum exſiccationes, fluminum, ventorum atque imbrium impetus, aliosque eiusmodi euentus omni ſuperiori aeuo factas. Sed interea dum hunc laborem abſoluit, qui multum otii exigit, hic exhibere voluit iſtius hiſtoriae ſpecimen, exactiorem hiſtoriam originis inſularum, montiumque, per terrae motus et vulcanos enatorum, proponendo; ſimul autem data inde ſibi occaſione vti voluit, ad HOOKII hypotheſin de origine montium et corporum petrefactorum illuſtrandam et confirmandam. Praef. p. XV.

Quo conſilio in capite I. huius opuſculi enarrat ſingula, quae hactenus accuratis et fide dignis obſeruationibus de natura ſuperficiei telluris innotuerunt (i. e. de ſumma illa globi terraquei parte, quam adhuc licuit mortalibus ſcrutari, et cuius profunditas milleſimam diametri partem parum excedere cenſenda eſt;) videlicet, terram continentem, et ipſum marium fundum partim in longe patentem planitiem, partim in leuiter accliues colles, aut altorum montium iuga extendi; in his ſingulis vbique fere reperta eſſe varia ſtrata, quorum ſuperiora terra hortenſi, arena, argilla, limo conſtent, profundiora vero plerumque lapidibus, niſi quod altiorum montium cacumina prorſus ſaxea, aut ſaltim rariori terra operta, eſſe ſoleant; omnia iſta ſtrata, quotquot eorum ſub ſe mutuo poſita ſunt, ſemper eſſe ad ſe inuicem parallela, et ita diſtincta, vt alterum ab altero facile ſeparari queat, et inter duo ſtrata lapidea plerumque intereſſe exiguum ſpatium, terra p. 6.

quadam humida argilloſa repletum: ſtrata quaedam craſſa, quaedam valde alta eſſe; ſitum ſtratorum in planis praeſertim regionibus eſſe horizonti parallelum, alibi ad horizontem in varias mundi plagas inclinatum, modo leuiter, modo ad perpendiculum fere; alibi ſtrata non interrupta protendi, alibi ſinus facere, aut gibbos, vt vim paſſa videantur, alicubi etiam diſrupta eſſe per ſtrata, quorum diuerſa ſit directio, aut per maſſas ſaxorum et rupium, quae nullam ſtratorum notam in ſe habeant; reperiri etiam in lateribus montium, ac littoribus marium vel fluuiorum ſtrata, vi quaſi praerupta ſeu praeciſa, ita quidem, vt ſtrata in oppoſitis lateribus vel littoribus olim continua fuiſſe, et valles nunc interiectae olim vi quadam effectae videantur; in quolibet ſtrato, ſeorſim ſpectato, grauitatis ſpecificae leges obſeruatas videri, licet in ſtratis diuerſorum generum ſibi inuicem ſubiiciendis has leges non ſemper ſeruari nonnullis viſum ſit; omnia ſtrata hic illic interrupta eſſe fiſſuris, prope vectigalibus, modo vacuis, modo per margam, vel cryſtallos, vel mineras incruſtatis, aut adeo repletis, et plerumque eo magis dilatatis, quo propiores ſunt externae ſuperficiei terrae, eo vero arctioribus, quo profundius deſcendant (inter quas fiſſuras etiam ſpecus et cauernae ſubterraneae numerandae ſunt;) quodlibet ſtratum haud raro praeter propriam maſſam continere minorum ſaxorum fruſta, particulasque cryſtalli et variorum metallorum vel mineralium, immo animantium et vegetabilium, terreſtrium, fluuiatilium, paluſtrium, marinorum, partim integrorum, partim fractorum vel truncatorum, maximam partem nobis incognitorum, aut loca ab iis, in quibus membra vel partes eorum effodiuntur, remotiſſima incolentium; praeſertim conchyliis marinis multorum montium, altiorum quoque, ſtrata ſuperiora plena et refer-

referta deprehendi, iisque vel vnius generis, vel nonnunquam plurium generum in eodem loco; haec conchylia nunc ſolas ſine nucleis teſtas eſſe, vel petrefactas, vel parum mutatas, et aut vacuas, aut materia ſtrati, vel cryſtallo, pyrite, aliisue foſſilibus expletas; nunc nucleos ſine teſtae naturalis veſtigio, illosque aut eiusdem cum lapide ſeu ſtrato ambiente ſubſtantiae (in quo caſu ſpatium, olim a teſta occupatum, vacuum et cum impreſſa eius forma externa apparet,) aut diuerſae ſubſtantiae; paſſim etiam occurrere meras figuras conchyliorum impreſſas materiei ſtrati, abſque teſtae nucleiue veſtigio. His ſtratorum memorabilibus annectit Cl. Auctor obſeruationes de montium metalliferorum interioribus, et de geneſi metallorum. Sunt in illis ſaxeae moles informes, plerumque ſub variis ſuperincumbentibus p. 18.
ſtratis altiſſime ſepultae, et ſtratis parallelis plerumque carentes, in hanc vel illam mundi plagam nonnunquam inclinatae, quae fractae, ruptae, fiſſae, vimque paſſae eſſe videntur; altius nonnunquam eminent, et continuantur ſupra et infra ſolum vicinum, in ſtrata varia diſtinctum; et altiſſimorum montium iuga (velut Hercyniae, Miſniae, Bohemiae) nil aliud eſſe videntur quam eiusmodi moles, aut eorum aceruі. Alicubi in longe patentibus campis illius modi moles diſperſae et veluti auulſae iacent, in quibus tamen ad magnam profunditatem aliae moles ſaxeae, ſtrataue lapidea non ſunt reperta. Venarum aut nidorum metallicorum, qui in huiusmodi ſaxis frequentes ſunt, nondum obſeruata eſt certa et perpetuo ſibi conſtans lex. Totas rupes metallis impraegnari, docet antiquiſſima Germaniae metallifodina in monte Rammelio prope Goslariam. Sunt etiam ſtrata, quae ex mineris tota conſtant. Metalla autem p. 21.
generari ſucceſſiua appoſitione particularum, colligit Cl. Auctor, ex ſequentibus phaenomenis, 1) quod

 venae

venae et nidi reperiuntur, praecipue in fiſſuris quarzoſorum ſaxorum, metallis ac cryſtallis, quae metallorum matres eſſe ſolent, ex parte tantum repletae, 2) quod metalla et minerae aquis ſubterraneis in minimas partes ſolui poſſe, ex acidulis et caementi aquis intelligitur, quae iniectis ferramentis cuprum puriſſimum dimittunt, 3) quod fruſta minerarum occurrunt, quae ſolo adſpectu ſucceſſiue creuiſſe iudicantur, quale eſt illud in bibliotheca regia Hannouerana aſſeruatum, et ab Auct. hic delineatum, quod eſt pars fulcri lignei, olim in metallifodina quadam Goslarienſi ſuſtinendo monti adhibiti, et cupri minera hinc inde impraegnati, ac fere incruſtati.

p. 25. Capite II. collecta antiquorum et recentiorum hiſtoricorum teſtimonia ſiſtit, quae et inſulas plures in mari, et montes quosdam in continente, exſtitiſſe docent, fundo maris, vel ſolo, per terrae motus et vulcanos eleuato.

Deinde, poſtquam in Cap. III. potiores philoſophorum coniecturas, de cauſſis, a quibus telluris ſuperficiei praeſens forma ſeu facies inducta fuerit, recenſuit V. Cl. et diiudicauit, in Cap. IIII. ROBER-
p. 160. TI HOOKII hypotheſin (ex opp. eius poſthumis) proponit, quae notabiliores telluris mutationes, easque praecipue, quibus terrae continentis ſupra maris ſuperficiem eminentia, corporumque marinorum in ea praeſentia adſcribenda videatur, terrae motibus et vulcanis, tanquam cauſſis attribuit; eamque non ſolum ab obiectionibus Virorum Cl. HOLLMANNI et BUFONI vindicat, ſed etiam egregie ornat et amplificat.

Dabimus hic Cl. RASPII ſententiam, ſed, pro noſtra breuitate, primis tantum lineis quaſi deſigna-
p. 171. tam. Varia illa ſtrata terrae et lapidum, quae in maris fundo obſeruarunt MARSILLIUS et DONATUS formantur ex arena, limo, puluere, per mare perpe-

tuo

tuo agitatum a terra et lapidibus littorum aut fundi abraſis, et deinceps propria grauitate praecipitatis in profundum, vbi ex parte per ſalſedinem maris, vel tartarum, vel aliam quandam materiam in lapillos et lapides coagulantur. Vnde intelligitur, neceſſe eſſe, vt haec ſtrata ſint ſibi inuicem et horizonti parallela, iisdem conchylia, aliaque marina corpora, in fundo maris degentia, incluſa reperiantur. Sed quum mundus non ſit aeternus, haec ſtrata nequeunt in infinitam profunditatem continuari, ſed inquirentibus perueniendum tandem eſt ad fundum maris primitiuum, neque variis iſtiusmodi ſtratis diſtinctum, neque organica corpora ſibi incluſa oſtentantem, ſed ex ſolidis ſaxis conſtantem. Per terrae motus poſſunt par- p. 173.
tes fundi maris in altum eiici, vt inſulae oriantur, vel terrae continentis acceſſiones. Quod ſi cum impetu et vno quaſi momento fiat: mare ſimul attollitur, et in littora vicina redundat, donec aut reſideat, et iterum hauriatur, propulſa illa fundi marini pars, aut, ſi conſiſtat in ea altitudine, ad quam illam vis ſubterranea propulit, mare ſecundum aequilibrii leges diffundatur per ceteram ſuperficiem, aut in eas cauernas, quae, eleuata fundi marini parte, non potuerunt non oriri, defluat. Sin autem illa fundi pars non vltra maris ſuperficiem propellatur; nihilominus conſequitur maris exaeſtuatio, et illa profunditatis inaequalitas, de qua BOYLIUS iam egit. Porro ex iſta p. 176.
fundi maris ſupra ſuperficiem eleuatione ſequitur, primum, in ſicco deinceps reperiri corpora, quae olim in ſtratis fundi maris haeſerant, vel incluſa fuerant (quo ipſo quaeſtio de petrefactorum origine ſoluta Auctori videtur;) deinde, neceſſe eſſe, vt ſtrata quaedam occurrant flexa vel abrupta, vtque alicubi ſumma montium ſtrata ſummis fundi marini, aut vallis, media mediis, ima imis reſpondeant; tum, vt ſtrata verticaliter fiſſa ſeu rupta deprehendantur, ob

fragilitatem maſſae vi ſubterranea in altum proiectae; denique, vt etiam in nonnullis locis ſtrata ſinuoſa, gibboſa, aut verticaliter ſita obuia ſint, ſiquidem motus, quo fundus maris eleuatur, non ſit continuus, vel non aequali vbique vi agat cauſſa eleuans. Quod
p. 179. autem ingentes illas moles ſaxeas, quae quaſi nuclei ſunt altiſſimorum montium, et horrendas illas ſterilesque rupes, in montanis regionibus obuias, attinet, ſunt illae primitiui fundi maris partes, maxima virium ſub fundo agentium vehementia ſurſum proiectae. Earum quidem pleraeque ſic eleuatae ſunt illa violentia, vt ſtrata, marinorum fluctuum agitatione formata, quibus in ſitu naturali tectae erant, ſuper illis manerent: potuerunt tamen nonnullae ipſo primo impetu, quo ſedibus priſtinis auellebantur, ſtratis illis ſuperioribus, quippe nimia concuſſione fractis, nudari; fieri etiam idem potuit temporis progreſſu, dum coeli intemperie, et aqua pluuia, ſtrata iſta ſuperiora reſoluta et ablata ſunt. Caeterum terrae motibus, quibus Cl. Auctor montium valliumque originem tribuit, nonnunquam etiam vulcaniorum
p. 156. ignium vim iunctam fuiſſe non negat: attamen his cum ANT. LAZARO MORO praecipuas in explicanda ſtratorum origine partes dare veretur, propterea quod in regionibus etiam planis, et latiſſime patentibus, atque ab igniuomis montibus remotiſſimis, neque vlla veſtigia eiusmodi montium, qui olim ibi fuerint, oſtendentibus, tamen ſtrata marinis corporibus grauida reperiuntur.

Denique in Cap. V. ingenue exponit defectus hypotheſeos hactenus traditae, quos ad duo capita
p. 186. reuocat. Primum haud commode inde ratio reddi poteſt, cur in noſtris lapicidinis corpora petrefacta exotica reperiantur. „An forte olim, inquit, et terrae noſtrae, quod de quibusdam aliis animalium „ſpeciebus, apud nos emortuis, certiſſime conſtat, „tulerunt

„tulerunt et belluas maiores, elephantos et rhino„cerotes, quorum oſſa, vt patrio exemplo vtar, in „antris noſtris, *Scharzfeldiano* praecipue et *Bau„manniano*, effodiuntur?„ At, ſi, quid nobis quidem hac de re videatur, dicendum ſit, talia ſine veriſimilitudine ſumi arbitramur, eorumque ſententiam, qui in his exoticis petrefactis diluuii vniuerſalis teſtimonia agnoſcunt, nondum refutatam eſſe, neque alium, ad illam rem explicandam, magis idoneum modum hactenus oſtenſum eſſe exiſtimamus. Alter defectus hypotheſeos *Hookianae* in eo conſiſtit, p.187. quod precario ſumatur, in terra continente eandem eſſe partium extremarum ſtructuram, eundemque ſtratorum ordinem, atque in fundo maris. Cui defectui medela poſſet adhiberi, ſi recens e maris ſinu prodeuntium inſularum ſolum ad certam profunditatem ab eruditis naturae ſcrutatoribus perueſtigaretur. Quod ſi fieret, non dubitat Cl. RASPIUS, ſolum nouarum inſularum ſimile per omnia ſolo terrae continentis inuentum iri, et propterea inclutam Societatem Regiam Londinenſem, ad promouendos ſcientiae naturalis limites mirifice aptam propenſamque, cui hanc opellam dedicauit, ad illam inueſtigationem exhortatur. Sed praeter duos illos defectus, neſcimus ſane, an alius adhuc in iſta hypotheſi notandus ſit. Multis enim, qui vaſtiſſimas Alpes, vel ſtupendas montium moles, quae in America per Peruuiae regnum extenſae ſunt, cogitabunt, incredibile videbitur, eis eleuandis, nedum ad tantam altitudinem e fundo maris proiiciendis, vllam vim cauſſarum ſubterranearum parem fuiſſe; vt igitur ad confirmandam illam hypotheſin opus adhuc eſſe videatur, cauſſas illas ſubterraneas determinare, et tantam illis potentiam probabilibus argumentis vindicare.

IV.

IV.

Eſſai ſur la rage, lu dans la Séance de l'Académie des Sciences, Belles-Lettres et Arts, de Lyon, tenue le Mardi 24 Mai 1763. Par M. POUTEAU, le fils, Docteur en Medecine et en Chirurgie, ancien Chirurgien en chef du Grand Hôtel Dieu de Lyon, de l'Academie des Sciences, Belles Lettres et Arts de la même Ville, Aſſocié de celle de Rouen, et Correſpondant de l'Académie Royale de Chirurgie. A Lyon, chez G. Regnault, 1763. 8. pl. 3.

i. e.

Tentamen de rabie Auctore Cl. POUTEAU.

Sumpſit ſibi Cl. Auctor in hoc libello, ob nouam triſtis huius morbi theoriam, tam ingenioſe excogitatam, quam eleganter propoſitam, aeque ac ob breuitatem vbique priori iunctam, omnino laudando et auctore ſuo digno, variis probare argumentis, venenum, morſu rabioſi animalis vulneri inſtillatum, ſola impreſſione locali quaecunque ſymptomata hydrophobiae ſuperuenientia producere, nec requiri, vt ad ſanguinem penetret, et hunc cum ceteris humoribus, inprimis cum ſaliua inquinet atque corrumpat. Eſt itaque rabies, vt pluries Cl. Auctor in libello repetit, ſiue ſpontanea fuerit, vt illa canum, ſiue morſum animalis rabioſi inſecuta ſit, non generalis omnium humorum, ſed particularis ſucci ſaliualis deprauatio, a ſingulari atque quidem praeternaturali modificatione organorum ſaliuam conficientium oriunda. Haec modificatio vel ab eretiſmo conuulſiuo pathemata animi vehementiora concomitante, vel

vel a ſuſcepto varia ratione veneno hydrophobico ortum habet. Prius, quod nimirum homines ſine praecedente morſu rabiem contraxerint, variae variorum obſeruationes comprobant, hoc vero quotidiana experientia comperitur. Quod ſola autem impreſſio localis tot varia, quam quibus hydrophobia ſtipata eſſe ſolet, ſymptomata producere valeat, analogis duabus Noſter probare annititur obſeruationibus. Femina nempe ante quatuor iam annos validius poſt aurem contuſa, vehementi ira excandeſcit, qua efferveſcere incipiente, paralyſi in latere contuſioni oppoſito corripitur. Omnia per ſex menſes fruſtra adhibentur, tandem pars olim contuſa inciditur, qua vix aperta et paralyſis et reliqua ſymptomata evaneſcunt. Contuſionem pectoris, frequentes conuulſiones, cum abolitione ſenſuum, omnique, praeter aquam et ſyrupum, quaevis alimenta per quindecim menſes adſumendi impotentia, quin per tredecim dies plenaria ab omnibus et alimentis potulentisque abſtinentia inſequebantur. Mala haec omnia, quae ab initio erant leuiora, poſt ſex annos vero ad eum vehementiae gradum peruenerant, quem mox deſcripſimus, ſola inciſio partis alioquin contuſae illico fugauit. Poteſt igitur venenum hydrophobicum, eodem modo, vt ſerum in contuſione effuſum, per longum tempus inſons in morſa parte conquieſcere, donec aut plus acrimoniae acquiſiuerit, aut nerui variis a cauſſis ſenſibiliores facti ſint; quo facto cicatrix vulneris colorem prae ſe ferre incipit rubrum aut violaceum doloribus ſuperuenientibus plus minus celeri curſu ad gulam adſcendentibus, ibidemque ductus ſaliuam praeparantes fundentesque ad ſpasmos crebriores proritantibus, vnde, loco dulcis et ſaponacei liquoris, lentus ac venenatus humor conficitur, veluti in plantis ſucci venenati aut ſalutaris varia indoles, ſoli filtrorum, per quae ducuntur,

p. 6.
p. 13.
p. 14.
p. 22.

p, 23. cuntur, differentiae adſcribenda eſt. Cauſam, quae
canes prae reliquis animantibus, rabiei obnoxios red-
dat, in eo quaerit Noſter, quod, cum non ſudent,
ſudoris acrimonia aut curſu intenſa, aut variis in
morbis critice huc delata glandulas ipſorum ſaliuales
ita adficiat, vt ſpaſmis contractae venenatum humo-
p. 36. rem ſecernant. Qui fiat, vt effectus ſuos pernicio-
ſos venenum hydrophobicum, vel in his inprimis
partibus exſerat, ſe plane ignorare Cl. Auctor confi-
tetur, aſt difficilius tamen quaeſtionem ſolui autu-
mat, ſi vniuerſalis humorum deprauatio, quam ſi ſo-
la localis impreſſio accuſetur. In concluſionibus
practicis, adſumtae theoriae ſuperſtructis ſuadet, vt
quantocius morſum membrum reſcindatur, aut vul-
nus aqua tepidiore aut oleo illico, et quidem ſaepius
abluatur, vnguenta mercurialia laeſae inprimis parti
infricentur, omnia, quae ſenſibilitatem aegri irritare
poterant, remoueantur, ipſa pars morſa ferro exſcin-
datur, aut cauſticis, praecipue igne abſumatur, et ſi
haec fruſtra adhibita videantur, etiamſi per aliquod
iam tempus aeger rabie correptus ſit, nihilominus
reſecetur.

V.

IOANNIS THEODORI ELLER, Medicinae Doctoris, Boruſſorum Regi a conſiliis intimis et Archiatri, claſſis phyſicae Academiae Regiae Scientiarum, collegii ſupremi medici, collegii medico-chirurgici, vt et omnium medicarum rerum ac chirurgicarum, totius regni Praeſidis ac Directoris, Regiorum exercituum Medici primarii etc. Obſeruationes de cognoſcendis et curandis morbis, praeſertim acutis. Regiomonti et Lipſiae, ſumptibus Viduae Woltersdorffii, 1762. 8. pl. 19.

Quindecim ſectionibus, vt ſynoptica tabula in fronte libelli docet, obſeruationes hae comprehenduntur, in quarum 1) Cl. Auctor agit de ſtatu corporis humani ſano et aegroto, 2) de febribus in genere, 3) de febribus continuis, 4) de febribus intermittentibus et continuis remittentibus, 5) de febribus continuis remittentibus in genere, et in ſpecie de veterum quotidiana continua, ſeu catarrhali benigna recentiorum, 6) de febribus catarrhalibus malignis, cum vel ſine exanthematibus, 7) de febribus acutis inflammatoriis, 8) de tabe ſeu phthiſi pulmonali, reliquisque febribus lentis hecticis, 9) de hepatitide et ictero, 10) de nephritide et calculoſis affectibus, 11) de ventriculi inflammatione, 12) de inteſtinorum inflammatione et dyſenteriis variis, 13) de dyſenteria epidemica, 14) de apoplexia, 15) de paralyſi.

In ſectione itaque prima *ſtatum corporis humani ſanum et aegrotum* conſiderans Noſter, vi fibrarum contractili progreſſum motuum vitalium, aeque ac naturalium, maxima ex parte tribuit, fluidorum vero p. 6.

ro

ro motum, cauſſae ſuae proportionalem, quascunque corporis noſtri functiones actionesque perficere, atque tunc quidem perfectae ſanitatis ideam ſiſtere ſtatuit, contrarium autem euenire exiſtimat, ſi motus iſte impedimenta offenderit. Morborum cauſſas aer, alimenta, motus muſculorum, vigiliae et animi pathemata ſubminiſtrant. Has breuiter Cl. Auctor percurrit, et ad ſigna diagnoſtica et prognoſtica tranſit, e quibus primum pulſum et reſpirationem, dein lotium, ſudorem, tandemque ſanguinem examinat, de cuius pellicula albida tenacique nimis forte generaliter adſerit, quod veram ſemper inflammatoriam febrem denotet, ſiquidem aliquando vel ſaniſſimi caeteroquin hominis ſanguinem cruſta talis contegit, quae in aliorum vera inflammatoria febre decumbentium cruore interdum omnino deſideratur.

p. 45. Sequuntur febres, quarum pathognomonicum ſignum celeritas pulſus, functionis cuiusdam laeſioni iuncta, conſtituit. Cauſſam, quae efficit, vt per varios acceſſus intermittens febris recurrat, in eo Noſter ponit, quod materia vaſa capillaria arterioſa obſtruens, primo paroxyſmo ſoluta, ex his quidem in venoſa propellatur, neque tamen e corpore elimenetur, ſed circa venarum latera lente protrudatur, vſque dum in maioribus venarum ramis collecta ad cor, et ex hoc in minima iterum arterioſa ducatur, et haec obſtruendo nouum denuo febris acceſſum
p. 53. producat. Cauſſam febris proximam circuitus ſanguinis impeditus cum functionis alicuius partis debilitate aut laeſione ſiſtit. *Ephemera* neutiquam a materiali febrium cauſſa, in ſanguine aut ſolidis partibus haerente, ſed a ſolo ſanguinis circuitu aucto febrili aemulo, a vitio inprimis ſex rerum non naturalium orto proficiſcitur. *Synochus* ſimplex praeter regimen conueniens, diluentia et refrigerantia, inter-

interdum etiam venae ſectionem atque purgantia deſiderat, *putris* autem, cui putredinis denominationem minime conuenire Cl. Auctor autumat, ſi plethoricus aeger eſt, phlebotomiam, poſt ea vero decocta farinacea acido citri ſaturata, nitroſa, acida mineralia et camphorata expoſcit. *Ardentis febris* curationem purgantia antiphlogiſtica, venae ſectiones, decocta farinacea acidulata, nitroſa abſorbentibus iuncta, et clyſmata cum crebriori aeris renouatione abſoluunt Succedunt *intermittentes*, quarum eam, quae quotidie recurrit, ſalibus mediis, et amaris Cl. Auctor profligat, quae et in tertianis plerumque adeo egregium effectum exeruiſſe fatetur, vt non niſi in debilioribus aegris ſenibusque ad peruuianum corticem confugere cogeretur, quem vero in quartana, praemiſſis reſoluentibus euacuantibusque, ſummi omnino vſus eſſe, iure contendit, opiata vero maxime fugienda eſſe exiſtimat, ſiquidem ab eorundem in acceſſu paroxyſmi adſumptione ipſe bis funeſtam phrenitidem obſeruauit.

Febres continuas remittentes, vtpote quotidianam, p. 104. tertianam et quartanam continuas, ex intermittente et continente ſebre mixtas breuius examinat, et ad *catarrhalem malignam* tranſit, lenioribus euacuantibus, acidis aliisque antiſeptica virtute pollentibus, quin etiam, ſi opus fuerit, venae ſectione ſubigendam. In *variolarum* pertractatione primum ſe fuiſſe p. 134. gloriatur, qui Pariſiis harum inſitionem tentauerit, et poſt illud tempus plura felici cum ſucceſſu experimenta fecerit. *Morbillis* venae ſectionem, clyſmata, diluentia acidulata, tandemque leniora in fine morbi laxantia opponit, in reliquis autem febribus exanthematicis, diluentia et aperientia acidulata cum interpoſitis abſorbentibus commendat. *Febres acutas inflammatorias*, phrenitidem ſcilicet, anginam in- p. 158. flammatoriam, peripneumoniam et pleuritidem,

 ipſam-

ipſamque peripneumoniam notham ſolito modo
tractat, et ad *tabem* ſeu *phthiſin pulmonalem reliquaſ-*
que febres lentas hecticas deſcendit. In priori lac,
cum dupla aquae ſelteranae parte remixtum, reliquis
palmam praeripit, in his vero praeter regimen vitae
debitum ſucci plantarum recentium et extracta ama-
p. 219. ra cum ptiſanis acidulatis conueniunt. Sequuntur
hepatitis et *icterus*, quorum illa, ſi ex cauſſa qua-
dam, inflammationem excitante, nata fuerit
antiphlogiſticis diſſipanda, hic autem remediis ſapona-
ceis, gummi ferulaceis, ſalibus mediis, extractis
amaris et laxantibus profligandus eſt. In *nephritide*
inflammatoria venae ſectiones, nitroſa, ptiſanas de-
mulcentes, emulſiones et clysmata Noſter ſuadet,
qui in calculi curatione, cum diſſolutiones calculo-
rum cum remedio illo alcalino cauſtico aeque ac
cum aqua calcis tentatae ſperatum effectum plerum-
que non edant, lithotomiam methodo Cl. MORAND
adminiſtratam, ceu vnicum auxilium commendat.

Ventriculi inflammatio poſt acriora venena ingeſta
imminens, largam olei oliuarum aut alius cuiusdam
pinguedinis copiam poſtulat, formata vero venae
ſectiones, demulcentia liquida acidiuscula et clys-
mata emollientia deſiderat, quae pariter optimum
p. 253. praeſtant auxilium, vbi inteſtina inflammatio occu-
pat, inprimis ſi fomentationes emollientes toti in-
ſimul abdomini tunc ſuperhabeantur. In *voluulo*,
quem in filiolae bimeſtris ilei portione ipſe Noſter
detexit, methodus illa, vbi globuli metallici, aut
magna mercurii viui quantitas intruduntur, ob du-
bium, quin, qui aliquando abhinc oritur, lethalem
effectum, vel prorſus non, vel in eo modo caſu, vbi
prae nullo anceps praeſtat remedium, tentanda eſt.
In *dyſenteria* per tres aut quatuor dies, et quoties
tormina vrgent, ipecacuanha exhibenda, debiliori-
bus autem aegris rhabarbarum propinandum eſt.

Adſtrin-

Adſtringentia et roborantia vero non, niſi torminibus imminutis et febre ſedata, conueniunt, vbi cum lenioribus etiam anodynis commiſceri poſſunt. Opiata aeque ac adſtringentia et carminatiua calidiora, ab initio morbi adhibita, plus ſemper nocent, quam iuuant, ideoque nunquam adſumenda ſunt.

In *apoplexia* pulſus et reſpiratio ſubſiſtunt, quoniam cor neruos ſuos ab intercoſtali accipit, hic autem, ex opinione Cl. Auctoris, ſpinalis medullae ſobolis eſt, ideoque cordis motum per aliquod adhuc tempus ſuſtentare poteſt. Praeter ea etiam cordis fibrillae, neruoſo fluido animatae, omni cum cerebro nexu ſublato, oſcillationem ſuam retinent, et cordis motum, docentibus id plurium clariſſimorum virorum obſeruationibus, per maius minusue temporis interuallum conſeruant, licet nulli omnino amplius ſpiritus a cerebro ac cerebello ad illud amandentur. In curatione eo enitendum, vt omnis generis euacuantibus humorum ad caput affluxus reprimatur, extrema immobilia aut frictionibus aut acrioribus ſynapiſmis et veſicatoriis irritentur, os crebrius ſtimulantibus decoctis colluatur, et fibrarum debilium elater deperditus neruinis demum reſtauretur.

Paralyſes ab internis cauſſis natae, pro proxima cauſſa neruorum obſtructiones agnoſcunt, indeque, quae reſoluere ipſas poſſunt, deſiderant. Ex medicamentis pro hoc ſcopo interne ſumendis ſequentem mixturam optime profuiſſe adſerit: rec. tinctur. antimon. tartariſ. vel tinctur. ſal. tartar. dr. vj. ſpirit. corn. cerv. rectif. dr. iij. eſſ. ſuccin. ambr. et pimpinell. alb. ana dr. ij. M. D. ad guttas 60 vel 70. bis vel ter per diem cum hauſtulo aquae communis. Ante cubitum pillulas reſoluentes ex panacea mercuriali, ſulphure antimonii aurato vltimae praecipitationis et extracto reſinoſo radicis pimpinellae

albae commixtas commendat. Experimenta electrica effectus deſideratos Berolini neutiquam exeruiſſe adſerit.

VI.

IOH. BAPT. MORGAGNI P. P. P. P. Opuſcula miſcellanea, quorum non pauca nunc primum prodeunt, tres in partes diuiſa. Venetiis, ex typographia Remondiniana, 1763. fol. P. I. pagg. 120. c. effig. Auctoris P. II. pag. 75. P. III. p. 84.

Qui ob praeclara de re anatomica edita et a ſummis anatomicis probata ſcripta, *aduerſaria* nimium *anatomica* et *epiſtolas anatomicas*, tantam conſecutus eſt laudem et nominis gloriam, vt neque legiſſe ea, neque noſſe, dedecori habeatur et non niſi tiro anatomicus iudicetur; qui ob egregias de anatome practica editas et magno iudicio *de ſedibus et cauſſis morborum* conſcriptas *obſeruationes* nuper *) a nobis laudatus fuit; qui denique eleganti ſcribendi ratione, diligentia et perſpicuitate, qua in emendandis A. C. CELSO et SERENO SAMONICO verſatus eſt, aliisque ad antiquitates et artem criticam pertinentibus ſcriptis adeo inclaruit Cl. MORGAGNUS, vt princeps inter celeberrimos in arte critica viros ei locus habeatur, eius opuscula miſcellanea, iunctim iam edita, quum ad manus noſtras venerint, digna, quae a nobis commemorentur, viſa ſunt. Horum interim ampliori ſuperſedere poſſumus recenſioni, cum magna pars, vel olim ſeorſim imo aliquoties typis iam impreſſa ſit, vel cum aliis ſcriptis iunctim edita inueniatur, quare ſummam hic tantum indicaſſe ſufficiat, quo perſpiciant Lectores, quaenam in iis contineantur, et quae noua acceſſerint.

Parti

*) vid. Commentar. noſtr. Vol. XI. P. IV. p. 677.

Parti I itaque ineſt: 1.) *Orat.* ſiſtens *nouam ideam inſtitutionum medicarum.* 2.) *De via atque ordine ab ſe in tradenda publice medicina et anatome ſeruato Epiſtola* ad ANT. LARBER a. 1761 ſcripta. Cl. MORGAGNO, octogeſimo aetatis ſuae anno epiſtolam hanc ſcribenti, ſepties et quadrageſies quotannis anatomicos in theatro ſermones habuiſſe, contigit felicitas anatomicis adeò rara. 3.) *Quaedam* (XXIV) *anatomicarum praelectionum prooemia.* 4) *De anatomicis* EUSTACHII *tabulis epiſtola* ad IO. MAR. LANCISIUM. 5.) *De glandulis epiſt.* ad PETR. ANT. MICHELOTTUM. 6.) *De lacrymalibus ductibus et eorum obſtructione epiſt.* ad DOMINIC. ANELIUM. 7.) *De lumbricis epiſt.* ad ANT. VALLISNIERIUM. 8.) *Epiſt.* ad LUC. SCHROECKIUM, binas obſeruationes, alteram *de acu intra veſicam intruſa*, *de excreſcentia membranae adipoſae* alteram, complectens. 9.) *De calculis felleis epiſt.* ad eundem. 10.) *De venae cauae varicibus epiſt.* ad ANT. COCCHIUM. 11) *De veſicae calculis a Fr.* IACOBO BEAULIEU *Pataui exſectis et de caſu Corneliae Bandiae Epiſt.* ad SALUATOR. MORAND. 12.) *in locum* VITRUUII (Libr. I. c. 6.) *medicum Epiſt.* ad IO. POLENUM. 13.) *De iis, quae* a VALSALVA *in Bononienſ. academia inſtituti ſcientiarum recitata fuerant*, *Epiſt.* ad FRANC. MAR. ZANOTTUM. 14.) *Experimenta circa aquam calcis viuae.* 15.) *Reſponſum medico legale circa obſtetricum iudicium de mulieris virginitate.* Quaeſtio fuit, ſitne incertum admodum obſtetricum iudicium de virginitate feminae, cuius naturalia recognouerint vel poſt vſum balnei aquae calidae? Adductis ſententiis praeſtantiſſimorum ſcriptorum, qui ſtatuerunt, nullas dari certas virginitatis notas, illamque a peritiſſimis medicis non poſſe agnoſci, multo minus ab obſtetricibus, inſimul probat, praecipua illa duo laudata ſigna, quae ab anguſtia ad orificium vaginae et a p. 37.

 mem-

membrana, hymenem quam dicunt, deſumuntur, ſaepius fallacia eſſe. Cauſſae, ob quas fallacia deprehenduntur, ſunt aut ab arte, aut a morbo, aut a natura. Quarum ſingula genera poſtquam exemplis illuſtrauit, ratione et obſeruationibus confirmat, non poſſe a medicis virginitatem, ne per haec duo praecipua ſigna cognoſci, ex quo ſimul alterum elucet, multo minus id fieri poſſe ab obſtetricibus, vel poſt vſum balnei aquae calidae. 16.) *Super ſeminis emittendi impotentia Reſponſum medico-legale alterum.* 17.) *Reſponſum medico legale tertium, an poſt ſeptem a conceptione menſes infans naſci poſſit vitalis et perfectus?* Cui rei neque rationem neque experientiam obſtare reſpondit.

Sequuntur in A. CORN. CELSUM et Q. SER. SAMONICUM *Epiſtolae* X. ad IO. BAPT. VULPIUM ſcriptae. Harum tres priores in CELSUM et nona in SERENUM, in quibus de vtriusque Auctoris variis editionibus, libris manuſcriptis et commentatoribus agitur, anno 1721. iam ſcriptae et ſeorſim editae, itemque Hag. Comit. 1724. recuſae, nunc denuo iterum impreſſae ſunt; addidit iis vero quinque alias in CELSUM, itidemque alteram in SERENUM epiſtolas, pari doctrina et ingenio exaratas, annis demum 1749 et 1750 ſcriptas, quae impreſſae primum inueniuntur in noua A. C. CELSI et Q. SERENI SAMONICI editione, quae Pataulii 1750 tomis II. 8vo prodiit. Ordinem in prioribus epiſtolis ſeruatum et in his retinuit, ita, vt primum, poſtquam reprehenſiones nonnullas a SCHULZIO aliisque doctis viris ſibi et Cl. VULPIO factas depulit, de CELSO ipſo nonnulla, deinde de his eius libris plura adiiciat, et oſtendat, ſe non in verba LINDENII aut ALMELOVEENII iuraſſe, ſed antiquos potius codices, vbi cum ratione conſentiant, contuliſſe: in vltima tandem in CELSUM epiſtola iudicium ſuum ad annotationes

vario-

variorum in CELSUM a Cl. VULPIO ſibi miſſas addit. In decima ſeu vltima, quae eſt in SERENUM altera, ad obiectiones nonnullas ipſi a BURMANNO factas reſpondet, nonnulloſque denuo adducit locos, de quibus aliter, quam propoſuerat BURMANNUS, ſentit Cl. MORGAGNUS.

In parte II continentur: 1.) *De* PROSPERO ALPINO, *Epiſtolae II ad* HYERON. DAV. GAUBIUM. 2.) *De* PHILOLOGO *Rauennate et de* ANGELO *Bolognino Epiſt. ad* IO. ASTRUC. 3.) *De vita et ſcriptis* DOMINIC. GUILIELMINI *commentariolus.* 4.) *De vita et ſcriptis* ANTON. MAR. VALSALVAE *commentariolus.* 5.) *De genere mortis Cleopatrae Epiſt.* II. ad IO. MAR. LANCISIUM. Veriſimile eſſe cenſet, aſpidis morſu Cleopatram periiſſe, cum pſylli, teſtibus SUETONIO et DIONE, ei admoti ſint. 6.) *De ordinario* FRONTINI *conſulatu Epiſt.* II. prior ad IO. POLENUM, ad PETR. PLUVENIUM altera. 7.) *De quadam librorum* M. VARRONIS *particula, vt legitur in veteri codice Epiſt.* ad IO. POLENUM. 8.) In VITRUVII *locum, ad tempus, quo is ſcripſit, attinentem, et in alterum veteris auctoris compendii architecturae Epiſt.* ad eundem. 9.) *Laudationes* (IV.) habitae olim, cum Gymnaſiarchas alioſue Doctoris inſignibus exornaret. 10.) *In ſcriptores rei ruſticae Epiſt. IV.* prior ad IAC. FACCIOLATUM, tres poſteriores ad IUL. PONTEDERAM ſcriptae. In prioribus binis ſuam de pluribus COLUMELLAE, de quibusdam PALLADII nonnullisque VARRONIS locis ſententiam et explicationem exponit, in vltimis binis COLUMELLAM et FL. VEGETIUM inter ſe confert, alterumque ex altero emendare tentat, ſuasque denique emendationes in VEGETIUM tradit.

Pars III. complectitur Epiſtolas XIV hiſtorico criticas, ad varios ſcriptas, nunc primum prodeuntes. *Aemilianae* dicuntur *non modo, quia pleraeque olim*

 ſcriptas

ſcriptae fuerant in Aemilia, ſed et quia omnes ad antiquitates et geographiam partis non modicae illius provinciae attinent.

Hoc loco non reticendum eſt, omnia Cl. MORGAGNI ſcripta Venetiis in typographia Remondiniana 1763 in folio recuſa et in V volumina praefixo ſimul titulo vniuerſali: *Operum omnium* eſſe diuiſa: cuius nouae editionis particulam ſiſtunt opuſcula nunc a nobis indicata.

VII.

Chemiſcher Verſuch des Nieder Oeſterreichiſchen Baadner Baades, deſſen ſowohl innerlich - als äuſſerlichen Wirkung, und durch Misbrauch deſſelben ohnfehlbar folgenden Schaden; nebſt einem neu erfundenen und ſehr nützlichen mineraliſchen Salze. Verfaſſet von FRANCISCO XAVERIO DE MARE, Ph. ac Medic. Doctore N. Oe. Landſchaftsphyſico. *Wien, gedruckt bey* Iohann Thomas Trattnern 1763. 8*vo. pl.* 5.

i. e.

Tentamen chemicum thermarum *Badenſium* in *Auſtria* inferiori ſitarum, in quo agitur de earum virtute interna ac externa; atque de noxis, quae earum abuſum ſequuntur; nec non de ſale quodam minerali nuper inuento et valde vtili. Auctore FRANCISCO XAVERIO DE MARE.

Thermae *Auſtriacae Badenſes* multis abhinc temporibus iam notae fuere: harum tamen thermarum examine phyſico et medico huc vsque caruimus. Praeter ea enim, quae Cl. DIETMANN in *Diſſ.*

p. 9.

Diſſ. inaugur. 1732 habita, de thermis hiſce protulit, nihil, ad noſtram ſaltem cognitionem venit. Laudem igitur meretur Cl. DE MARE, quod nobis has thermas notiores facere voluerit: licet non negandum ſit, nos exactiorem ac pleniorem deſcriptionem harum thermarum adhuc expectare. In omnibus enim, quae ſcire cupiuimus, nobis non ſatisfecit Noſter. Dolendum quoque, quod germanicam linguam non ſatis calluerit, quo factum eſt, vt ſenſum aliquando aſſequi non poſſemus.

Totum opuſculum tribus capitibus abſoluitur. p. 10.
Primum agit de *ſalibus*. Quatuor ſpecies ſalium, qui in vicinia thermarum *Badenſium* effloruere, animaduertit atque collegit Cl. Auctor, eorumque examen inſtituit. *Prima* ſpecies ad latera montium, apud introitum ad fontis originem, reperitur, et ad mediorum ſalium naturam inclinare videtur, licet ob paucam copiam, quam adeptus eſt, nihil certi determinare auſus ſit. *Altera* ad murorum et fornicis, qui ad fontem ducunt, parietes obſeruatur, et ad priorem accedit. *Tertia* ſpecies in pauimento camerae, tempore veris, auctumni et hyemis, copioſe effloreſcit, et inſtituto examine chemico, ſalem, mirabili GLAUBERI ſimilem, praebuit. *Quarta* ſpe- p. 18.
cies ad originem ipſam maioribus fruſtulis colligitur. Hanc, quum in examine, modo cum acidis, modo cum alcalinis efferbuerit, cuius apparitionis rationem nos in aliis, quam Cl. Auctor, cauſſis quaerimus, ad ſalem ſalſum refert. Hoc capite, licet *de* p. 23.
ſalibus tantum inſcribatur, de ſulphure, quod partim in *Reſeruatorio thermarum Mariae Thereſiae*, partim in balneis ducalibus et *St. Antonii* inuenitur, quaedam adiicit, ſimulque experimentis probat, maſſam collectam, et pro ſulphure habitam, verum continere ſulphur. In huius reſiduo ope magnetis ferri veſtigia detexit: quum vero multis particulis terreis

irretitum ſit, terram imperfectam martialem cognominare maluit.

p. 28. Caput *ſecundum* de aqua thermali inſignitur. Poſtquam Cl. Auctor nomina balnearum recenſuit, et de nuper exſtructo ſtillicidio, quod balneum *Mariae Thereſiae* nominatur, rationem reddidit, de vapore ſulphureo, quem thermae ſpargunt, mentionem facit, ſimulque refert, hiſce vaporibus colorem auri augeri, argentum vero nigreſcere, margaritas autem albidiores reddi. Gradum caloris modo dictorum balneorum examinat, eumque in origine 98 gradus reperit, vbi dolendum, quod thermometrum ſuum non cum alio noto, e. g. *Fahrenheitiano*, vel *Reaumuriano*, vel alio comparauerit. Aquam thermalem nunc decoxit, maſſamque terream ſale mixtam in fine

p. 37. accepit, quae, quod colorem et copiam attinet, pro diuerſis balneis etiam diuerſa fuit. Factis dein variis cum aqua experimentis, ex illis tandem Cl. Auctor

p. 43. concludit, in thermis hiſce contineri, 1. crama, vt ait, ſulphureum, 2. partes vitriolicas, 3. terram martialem, 4. terram alcalinam ſalis communis. Ex partibus autem vitriolicis no. 1. et ex terra alcalina ſalis communis no. 4. ſalem mirabilem componi auctumat, qui etiam inter experiundum ſe vario modo prodit.

p. 51. Sequitur nunc caput *tertium*, quod agit de vſu et abuſu harum thermarum, nec non de cautionibus in curatione ſumendis. Vocantur autem hae thermae in vſum tam externum, quam internum. Si interne ſumuntur, aquam ob varias rationes lacte miſceri iubet Cl. Auctor, licet aliis, qui lactis vſum

p. 58. ferre non poſſunt, et ſine lacte ſuadeat. Plurimum tamen hae thermae externe in balneis adhibentur, vbi certe magnam adferunt vtilitatem, ſingularemque exhibent virtutem.

p. 62. Tranſit Cl. Auctor ad modum et rationem, quibus balnea in vſum vocanda ſunt. Varia hic occurrunt,

runt, quae ad balneandi tempus ac ordinem, deinde ad numerum balneorum et ad diaetam, in vſu balneorum obſeruandam, pertinent. Hac occaſione iure taxat Cl. Auctor conſuetudinem, qua multi ſtatim poſt prandium balnea ingrediuntur; vel nimis diu in illis morantur; vel bis in die eis vtuntur, quum ſemel praeſertim his, qui debiles ſunt, ſufficiat. Quae ad diaetam attinent, communia ſatisque nota ſunt: quae autem in modo balneis vtendi monet Cl. Auctor, omnem attentionem merentur. Hic p. 69. merito reprehendit eos, qui ex praeconcepta quadam opinione, vt ſulphur ſcilicet, vti ſibi fingunt, rurſus abluant, poſt vſum thermarum balneis domeſticis, ex aqua fluuiatili paratis, vtuntur, et partes ſolidas horum vſu rurſus laxant, quas ante vſu thermarum, quibus vim ſtringendi attribuit, roborarunt.

Adiicit tandem Cl. Auctor morbos, quibus p. 75. thermae *Badenſes* medentur, in quorum numero praecipui ſunt ea mala et moleſtiae, quae vulneratis reſtant, ac curatu plerumque difficilia ſunt, et vſu harum thermarum externo certe, ſi vnquam fieri poteſt, curantur, vel ſaltem leuantur: in cuius rei teſtimonium multi adducuntur milites, vltimo bello vulnerati, et his thermis rurſus ſanati.

VIII.

VIII.

Medical Obſervations and Inquiries. By a Society of Phyſicians in London Vol. II. London printed for William Iohnſton. MDCCLXII. 8. mai. alph. 1. pl. 6. tab. aen. 4.

h. e.

Obſeruationes et diſquiſitiones medicae a ſocietate medicorum Londinenſium editae Vol. II.

Voluminis primi editio altera et correcta iam anno quinquageſimo octauo prodiit *) nunc ſecundi voluminis **) ſummam cum Lectoribus noſtris communicamus. Hoc certe citius prodiiſſet, niſi mors praeſtantiſſimi ſocii Cl. CLEPHANE accidiſſet, et eius obſeruationes ſubduxiſſet. In hoc autem volumine multa de mercurii ſublimati viribus annotantur, de cicuta vero nihil dictum eſt, quoniam eius effectus a ſocietate nec laudari nec negari poterant, ſed continuatis tentaminibus aut vnum aut alterum demum euincendum ſit. Sequentia vero exponuntur.

p. 1. 1.) Epiſtola Cl. IOH. TRAVIS ad Cl. IOH. FOTHERGILL, *qua oſtenditur, vaſorum cupreorum vſum in nauibus non vltimam ſcorbuti nautarum cauſſam eſſe.* ***) Cl. Auctor ab initio monet, Cl. LIND minus recte aſſeruiſſe, HIPPOCRATEM et veteres medicos hunc morbum non cognouiſſe, cum ab ARETAEO cauſſa in paludoſis locis, aquis ſalinis et putridis poſita, et
p. 4. ſymptomata deſcripta fuerint. Oſtendit itaque, quam-

*) vid. Comment. noſtr. Vol. VIII. Part. II. p. 292.

**) Quod etiam, vt prius, in germanicam translatum linguam, iam anno 1764. prodiit. *Mediciniſche Bemerkungen und Unterſuchungen einer Geſellſchaft von Aerzten in London. Zweyter Band. Altenburg* 8.

***) Lecta die 31. Oct. 1757.

quamlibet acrimoniam, aut in corpore natam, aut in illud introductam, ſi naturalem ſanguinis et humorum craſin et denſitatem diſſoluit, cauſſam ſcorbuti eſſe. In epidemico igitur hoc morbo producendo cauſſas varias vel ſigillatim vel coniunctim, vt in vario gradu concurrunt, recenſet, quae ideo attendendae ſunt. Victus corruptus in nauibus, aer humidus et putridus, defectus exercitationis cet. vt cauſſae indicatae fuerunt; oſtenditur tamen, his cauſſis abſentibus, et aere per machinas correcto, hunc morbum exſtitiſſe. Omnem igitur rem, quae ſanguinem et humores veneni inſtar diſſoluit, in cauſſis ſcorbuti ſimul recenſeri debere, ex abuſu mercurialium medicamentorum ſine regimine accurato adhibitorum declarat, inde enim anima foetida, gingiuae fungoſae, dentes vacillantes, ſaliuae fluxus, dolores ventris, dyſenteriae et haemorrhagiae vt conſueta ſcorbuti ſymptomata oriuntur.

Cum itaque mineralia venena ſimili reſolutoria vi in ſanguinem et humores agant, aerugini eundem effectum adſcribit. In cupreis vaſis, ſtanno non obductis, cibi in regiis nauibus coquuntur, coctura itaque ipſa, inprimis ſalinis partibus ſimul admixtis cuprum ſoluitur, et viride aeris cibis admiſcetur, quod eo magis noxium eſt, ſi in vaſis impuris ſimul effloreſcit, et ideo maiori copia cibis iungitur. Licet itaque non ſemper in tanta copia admiſceatur, vt vomitus ciere poſſit, ſucceſſiue tamen ad maſſam humorum ducitur et ſcorbuti cauſſa eſt. Hoc quidem ex eo quoque patet, quod in iis nauibus, vbi ferrea vaſa ad coquendos cibos adhibentur, ſcorbutus non adeo obſeruatur. p. 10.

2.) *Relatio de emphyſemate* Auctore GUILIELMO HUNTER *). Vir quidam, gracili corporis habitu p. 12.

*) Lecta d. 31. Oct. 1757.

habitu praeditus, die 13. Iulii 1754 de equo lapſus et poſtea tractus, in latere ſiniſtro ita percuſſus erat, vt non ſolum de magno dolore conquereretur, ſed etiam difficulter reſpiraret. Venaeſectio protinus inſtituebatur; cum autem ſimul in loco doloris tumor oriretur, de ſanguine effuſo quidem cogitabat medicus, examine tamen accuratiore inſtituto, ſtridorem aeris in contextu celluloſo, vt emphyſematis ſignum, percipiebat, et pleuram et pulmonem a fracta coſta laeſa fuiſſe concludebat. Linteis itaque complicatis aceto vini imbutis, faſciis adſtrictis, et venaeſectione repetita morbum coercere tentabat. Sed die ſequenti tumor emphyſematicus adeo increuerat, vt totum corpus tympani inſtar diſtentum et reſpiratio difficillima ſiniſtrum euentum praedicerent. Verſus veſperam demum Cl. Auctor accedens, et celere et inſigne tumoris augmentum et difficilem reſpirationem obſeruabat, et non tantum palpebras, ſed alia quoque loca ita tumida inueniebat, vt cutis ad duorum vel trium pollicum diſtantiam a muſculis et oſſibus ſubiectis remota, ſcrotum vero et penis vltra modum diſtenta eſſent. Cutis itaque, quae rupturae proxima erat, percuſſa ſonum tympani edebat. Pedes et manus non adeo intumuerant, et licet internae partes circa linguam et fauces tumidae eſſent, idem tamen circa ſphincterem ani non obſeruabatur.

Fractura coſtae non detegi poterat, color tamen cutis proxime ad vltimas duas coſtas non nihil mutatus erat. Inciſio itaque in cutem ſub ſcapula pollicis longitudine infligebatur, qua facta aer non tantum cum ſtrepitu profiliebat, ſed vndique manibus verſus vulnus preſſus ſenſim paulatimque exprimebatur, et ipſe aeger leuamen ſentiens idem praeſtare tentabat. Alia poſtea inciſio ſuper muſculum pectoralem, alia in ſcroto efficiebatur, et tumore, quantum

tum fieri poterat, diſcuſſo, lintea complicata ſpiritu et aceto vini imbuta, et faſciae conſtringentes applicabantur, et, vulneribus apertis relictis, amici aegri de nocte frictiones continuabant. Tertia die reſpiratione iterum difficiliori reddita, venaeſectio larga inſtituebatur, ſymptomata quidem tunc ſucceſſiue imminuebantur, cum tamen ſputatio phlegmatis viſcidi et ſanguinolenti declararet, malum ex fracta coſta et pulmone inde laeſo ortum traxiſſe, praeter emulſiones pectorales cum nitro venaeſectiones aliquoties repetitae ita iuuabant aegrum, vt breui poſt ſanitatem priſtinam recuperaret.

Hac data occaſione Cl. HUNTER animaduerſiones nonnullas *de cellulari contextu et eius morbis* ſubiungit. Membrana cellularis vt baſis minus organica partium organicarum conſideratur, affirmat tamen Noſter, minus organicas partes corporis non conſpici poſſe, omnesque minimas membranulas vaſculares eſſe. Licet igitur in productione concretionum minimarum mucus minus organicus primum ſtratum faciat, in hoc tamen noua vaſcula propullulant. p. 26.

Cellularis autem ſubſtantia in reticularem et adipoſam diſtingui poteſt, in nonnullis locis v. c. in ſcroto, pene et palpebris reticularis tantum eſt, in aliis, vbi pinguedo conſpicitur, adipoſa accedit. Reticularis igitur fabrica, quatenus partes coniungit et molliter habet, eiusque differentia in variis locis, et pro differentia aetatum mutata, fuſius hic conſideratur. Vbi vero pinguedo in corpore deprehenditur, ibi peculiaris aliqua organiſatio ſeu apparatus glandularis reticulari fabricae iungitur, ſcilicet veſiculae ad ſuſcipiendum oleum aptae, et vaſa adipoſa, quae oleoſum ſuccum ſecernunt. Vti itaque medulla oſſium a reticulari oſſium fabrica diſtincta eſt, ſic p. 29. p. 33.

etiam

etiam loculi adipoſi a reticulari opere in corpore diſperſo diſtingui poſſunt. Hanc ſententiam Noſter multis modis probare annititur, et anaſarcae et emphyſematis ſedem magis in reticulari, quam adipoſo opere deprehendi oſtendit. In hydropicis, vbi omnis fere pinguedo exhauſta eſt, adipoſum opus magis carnoſum vel ligamentoſum, quam reticulare apparet, aquae effuſae quoque pondere ſuo deſcendunt, pinguedo non aeque, ita v. c. nates pinguedine repletae diu preſſae ſitum tamen adipis non mutant. Ex his et aliis obſeruationibus concludit Cl. Auctor, oleum cellularis membranae in peculiaribus veſiculis detineri, anaſarcam autem et oedemata tantum in reticulari parte contextus celluloſi.

p. 37. Mittimus multa, quae de anaſarca, aſcite, et hydrope ſaccato, inprimis ouarii, fuſius hic propo-
p. 46. nuntur, alia enim de effectu veſicatoriorum in anaſarca ſilentio praetermittenda non ſunt. Remota cuticula et corpore mucoſo, quae exſiccationem cutis et contextus celluloſi in ſtatu ſano impediunt, immediate exſudat aqua, et idem praeſtat, ac ſcarifatio, dummodo in loco decliui applicata ſint, inde enim non tantum materiam perſpirabilem et ſudorem, per orificia vaſorum, ſed et aquoſam partem per interſtitia eorundem, tanquam per filtrum deriuat. Hac data occaſione, Cl. Auctor vaſa perſpirationis in parte integumentorum plantae pedis deſcriptione et icone illuſtrare annititur, ſubducta enim cuticula cum corpore mucoſo a cute, teneriora filamenta in angulo interſtitii extenſa deprehendit, et idem demonſtrari poſſe aſſerit, ſi cuticula vel aqua feruida vel putrefactione ſeparata fuerit *).

Sedes

*) Vidimus et nos talia filamenta in cuticulae praeparatione, quae nexum corporis mucoſi inter cuticulam et cutim declarant, ſed tantum in partibus putredine reſolutis, in cuticula enim liquoribus feruidis ſeparata, corpus mucoſum magis cogitur, et extenſionem in filamenta non permittit.

Sedes abſceſſuum in contextu cellulari quaeritur, et recte. Pus tamen duplicis generis eſſe videtur, vel vbi ſolida ſimul deſtruuntur et verum abſceſſum formant, vel vbi in interna ſuperficie cauitatum inflammata exſudat, ideoque a Cl. Auctore exſudatio inflammatoria dicitur. De abſceſſibus veris monet, non adeo copioſa vaſa in iis deſtrui, niſi ad vlceroſam deſtructionem deueniant, humores tamen copioſius affluere et partes diſtendere; qua data occaſione varia de geneſi, progreſſu et ratione aperiendi abſceſſus affert. p. 54.

Alterum puris genus in cauitatibus poſt inflammationes ſuperficiales exſudat, et tenuius eſt, nec vaſa deſtruens. Hoc non tantum in cauitatibus internis, ſed ex viis aereis, vagina vteri, vrethra cet. ſimili modo exſudat, immo in vulneribus ad ſanationem accedentibus ex vaſis propullulat, minime vero ex eorum tunicis, ſed potius ex orificiis vt ſerum inſpiſſatum propullulare, monet. p. 61.

Tandem ad emphyſematis conſiderationem accedit Noſter. Hoc vt in mortuis, ſic etiam in viuis corporibus putrefactione producitur et gangraenae et ſphaceli progreſſum indicat. Sed alia cauſſa emphyſematis eſt in vulneribus partium ad reſpirationem pertinentium, vti ex hiſtoria morbi ſupra recenſita apparet, diiudicat itaque modeſte ea, quae Cll. Viri LITTRE et MERY in Comment. Acad. Scient. Paris. 1713. propoſuerunt, et inprimis monet, Cl. LITTRE de incidenda cute nihil propoſuiſſe, Cl. MERY vero illam vt noxiam damnaſſe, contrarium tamen ex curatione ſupra deſcripta apparere. p. 63.

3) *Continuatae obſeruationes de vſu mercurii ſublimati.* Non ſine fructu mercurium ſublimatum methodo ab Ill. VAN SWIETEN propoſita in morbis venereis adhibitum fuiſſe, in prima parte harum ob- p. 70.

ſeruationum notatum legimus *), nunc adduntur epiſtolae chirurgorum, MILLER, GORDON et BOYD, ex quibus apparet, continuatas obſeruationes prioribus non contradicere. Ad triginta duas vncias ſpiritus frumenti, non ſedecim, quae vera doſis eſt, ſed viginti grana mercurii ſublimati addiderunt, quod vero augmentum non impleuit expectationem, vt itaque doſis potius medicamenti quam proportio augeri poſſit. Suadent omnes accuratum diaetae regimen, inprimis fugam refrigerii. Melius agit per vrinae et ſudoris vias, non adeo per deiectiones aluinas, quod ſi vero hae oboriantur, tamen, intermiſſo medicamenti vſu, ceſſant. Hyeme doſin vnius tantum cochlearis, mane et veſperi, exhibuerunt, aeſtate duplam doſin ferre potuerunt aegri.

p. 88. 4) Epiſtola Cl. ALEXANDRI RUSSEL *de curatione luis venereae mercurii ſublimati ſolutione praeſtita.* Octo curationis exempla adducit, conſueta doſi vſus eſt, interdum quoque aucta, et hyeme aegris vſum aeris liberioris permiſit, excepto tempore nocturno: ſaliua nunquam mota fuit, per ſudores et vrinam egit, deiectiones aluinae nunquam moleſtae fuerunt. Licet in omnibus ferme poſt ſeptimum diem ſymptomata remiſerint, vſum tamen vlterius continuauit.

p. 99. 5) Epiſtola Cl. TRAVIS ad Cl. FOTHERGILL *de luxatione femoris* **). Caput ad foramen ouale antrorſum et deorſum ſeceſſerat, deſcribit igitur encheireſes in eo reducendo adhibitas, et curationem ex voto ceſſiſſe enarrat.

6 *Duae*

*) vid. Comment. noſtr. Vol. VIII. Part. II. p. 318.
**) lecta d. 6. Martii 1758.

6) *Duae relationes de morbis ſingularibus* a Cl. JOHNSTONE Cl. FOTHERGILL communicatae *). Vir ſexaginta annorum ardore ventriculi, defectu appetitus, et aliis cum his coniunctis ſymptomatibus excruciabatur, variis medicamentis fruſtra exhibitis, macie confectus octauo menſe moriebatur, et praeter anguſtiam pylori et coalitum cum hepate, in quo abſceſſus orti fuerant, inflammatio duodeni et pancreas ſcirrhoſum vt praecipuae cauſſae morbi et mortis allegantur. p.107.

Puer decem annorum, a ſecundo aetatis anno epilepticis motibus agitatus, variis medicamentis aſſumtis nec curari, nec cauſſa morbi detegi poterat, poſt venaeſectiones aliquoties inſtitutas paroxyſmi grauiores inuadebant aegrum, tandem paroxyſmis quibusdam proxime ſe excipientibus obortis, in vltimo quaſi ſuffocatus periit. Praeter alia in cadauere reperta, non adeo notatu digna, vncia vna ſemis aquae in ventriculis cerebri et hydatis paulo maior in plexu choroideo reperiebatur. Cl. Auctor vero prae reliquis notauit, venam cauam et cor dextrum, nec non ſinus durae matris ſanguine deſtitutos, cor ſiniſtrum et aortam, nec non vaſa arterioſa piae matris ſanguine turgida inuenta fuiſſe, et hanc ſanguinis collectionem, in aliis mortuis non deprehenſam, in inſultu epileptico adeſſe concludere videtur. p.115.

7) *Effectum vomitus, qui poſt operationem paracenteſeos acceſſit,* deſcribit Cl. SAMUEL PYE **). Aquas nimis viſcidas, et ampliſſima cannula cum acu triquetra applicata non ſubduci poſſe, ſed turundas ex ſpongia interdum ad ampliandum orificium applicari debere, Cl. Auctor monet; idem in muliere triginta ſex annorum accidiſſe narrat, quae tamen vomitu p.121.

*) lect. d. 20 Martii 1758.
**) lecta eodem die.

mitu, ex accidentalibus cauſſis poſtea oborto, magnam viſcidae aquae copiam et vomitu reiecit et ex vulnere expreſſit, ſanata tamen non fuit, ſed poſt repetitam paracenteſin obiit.

p. 130. 8) *De clauſa maxilla* refert Cl. GEORGE MACAULAY *). Foemina viginti octo annorum, nondum maritata, tenerioris corporis habitus, de dolore et tenſione pectoris ſub ſterno vsque ad linguam conquerebatur, et maxilla inferior potiſſimum ita adſtricta erat, vt non niſi parum fluidi inter minimam dentium aperturam admitti poſſit; accedebat ſpaſmus gulae et denegata ſolidorum deglutitio, pulſus autem tardus et debilis erat. Cum itaque hoc malum ſine externa cauſſa a minimis initiis ita increuiſſet, et venaeſectio et blanda purgantia nihil effeciſſent, Cl. CHALMERS autem, opiſtotonum et tetanum, valida ſpaſmorum genera, ex dolore ſimili ſub ſterno diiudicaſſet **), Noſter praeter balnea et clyſmata in vſu opii praecipuum auxilium quaeſiuit, tincturae itaque thebaicae guttas decem aliquoties de die, poſtea viginti et triginta a die 26 Iunii vsque ad diem 16 Iulii exhibuit, et largiori opii doſi hunc ſpaſmum conſopitum eſſe narrat, idque ex eo probat, quod aegra die 5 Iulii, vſum medicamenti intermittens, male ſe habuerit, continuato vero et aucto vſu, adhibitis ſimul balneis calidis, morbum ita debellauit, vt ſolida iterum deglutiret, et a ſpaſmo libera maneret.

p. 146. 9) Epiſtola Cl. RAMSAY ad Cl. MACAULAY *de vaſis cupreis* ***). Varia recenſentur ſymptomata, vomitus, conuulſiones, deliria, ſtupores, dolores capitis

*) lecta d. 24. Iulii 1758.

**) vid. Comment. noſtr. Vol. VIII. Part. II. p. 304.

***) lecta d. 2. Octobr. 1758.

pitis, in iis obſeruata, qui cibos in vaſis cupreis coctos et aerugine inquinatos aſſumſerunt, ſcorbuti vero cauſſas alias eſſe quam viride aeris.

10) Obſeruatio *de amputatione cruris ſine ſubſequenti haemorrhagia* a Cl. THOMAS ANTROBUS Cl. FOTHERGILL communicata *). Vir, triginta annorum, haemoptoe affectus, in noſodochio febre epidemica maligna corripiebatur, quam ſphacelus pedis ſiniſtri excipiebat, cortice tamen peruuiano aliisque remediis adhibitis, ſupra malleolos ſeparationis ſigna apparebant, quam ob cauſſam amputatio ſub genu ſuſcipiebatur, qua facta ex vulnere cutaneo parum ſanguinis nigricantis effluebat, ipſae vero arteriae cruris, machina tortili relaxata, nullum ſanguinem plorabant, licet paulo poſt fomenta applicarentur, faſcia tandem ſiue ligatura arteriae applicata ſuppuratio ſucceſſit, et, miro exemplo, aeger ſanatus fuit. p. 152.

11) *Relatio de pertinaci dolore in regione dextri renis, et remedium quod ſibi ipſe applicauit* Cl. BERNARD BAINE **). Dolorem, quem per viginti ſeptem annos in latere dextro ad vltimas coſtas ſenſerat, qui ſaepe ad tractum vreterum deſcenderat, et noſtrum per interualla ſaepius vehementer affecerat, multis et variis medicamentis, inprimis largo opiatorum vſu ſopire, fruſtra tentauerat, tandem vſu aquae calidae inprimis pyrmontanae ſolatium obtinuit et plenariam ſanationem. Idem in ſimili caſu virginis ſeptendecim annorum, nec non in dolore ventriculi viri viginti ſex annorum eueniſſe, narrat. p. 156.

*) lecta d. 12. Novembr. 1758.
**) lecta d. 27. Novembr. 1758.

p. 176. 12) Epiſtola MICHAELIS MORRIS, *quae chemicam aetheris elaborationem deſcribit et quasdam obſeruationes de vſu eius medico ſubiungit* *). Modum praeparationis fuſius deſcribit, nos ſequentia tantum vt ſingularia notamus. Spiritus vini rectificatiſſimi libris tribus acidi vitriolici concentrati libras tres et vncias ſex admiſcet, duas ſemper vncias per interualla addendo. Poſtquam per infundibulum, canali longo inſtructum, in fundum amplae retortae immiſit mixturam, et ampliſſimum vas recipiens applicauit, retortam in balneum arenae diſponit, viuido mox igne applicato, quo liquidum ſubito ebulliat, tunc vero, etiam, ſubito omnem ignem remouet, cum calore arenae aetheris aſcenſus ſatis promoueatur. In principio viuidum quodammodo ignem exigit, ſubita enim ebullitione acidum cum ſpiritu vini optime coniungitur et magna copia aetheris acquiritur. Alterum monitum de igne ſubito remouendo ideo additur, ne maſſa turgeſcens tota in excipulum traiiciatur, nec vaſa rumpantur.

p. 182. Dotes aetheris nunc declarat, ex quibus illam tantum adducimus, quod in phiala, cum albumine ouorum vel lympha ſanguinis humani agitatus, non coagulum, ſed attenuationem efficiat. In viribus eius recenſendis praecipue laudat externam inunctionem, qua rheumatiſmi pertinaces et alii dolores diſſipantur, idque variis curationis exemplis adductis illuſtrat.

p. 187. 13) *Relatio de morbo epidemico Edinburgi et aliis in locis Scotiae auſtralis autumno* 1758 *ſaeuiente* ex literis Cl. ROBERT WHYTT ad Cl. PRINGLE datis **). Morbus catarrhalis erat benignus, multos quidem inuadens, paucioribus vero ex his, et ſenibus

*) lecta d. 18. Decembr. 1758.
**) lecta d. 12. Febr. 1759.

bus et imbecillis tantum exitioſus, ſaepius blando regimine diaphoretico diſſipatus, in aliis tuſſi, rarius diarrhoea, ſolutus. Cauſſae ex tempeſtatum viciſſitudinibus adducuntur, varia remedia pro diuerſitate diſpoſitionis aegrorum et ſymptomatum adhibita fuerunt, quae non tantum a Cl. WHYTT, ſed etiam ab aliis medicis Scotiae in quinque epiſtolis indicantur.

14) Excerpta ex variis literis Cl. WHYTT ad Cl. PRINGLE, *quibus vſus mercurii ſublimati in cura vlcerum phagedaenicorum declaratur* *). Vlcera, in variis corporis partibus ex variis cauſſis oriunda, et carcinomatica vel ſcorbutica, vel herpes exedens dicuntur, nec ſemper accurate definiuntur. In his internus vſus conſuetae doſeos ſolutionis mercurii ſublimati in ſpiritu frumenti, ſaepe ad aliquot menſes protractus, vtilis fuit, ſine eo enim externus ſanationem non praeſtitit. Ad vſum externum medicamentum fortius, ſcilicet ſcrupulus vnus ad menſuram vnam (*pint*) additus, exigitur. Cum autem omnia curationis exempla exhibere haud queamus, vnicum tantum addimus. Virgo, octodecim annorum, vlceribus ſordidis in crure per duos ſequentes annos afficiebatur, huic ſeptem vel octo grana mercurii ſublimati, in octo vnciis aquae fontanae ſoluta, intra octiduum propinabantur, in principio aegra vomitu et ardore ventriculi excruciabatur, poſtea curatione deſcripta aliquoties repetita, per deiectiones aluinas, ſudores et vrinam largam, nec non aliqualem ſputationem ita curata fuit, vt ſymptomatibus diſſipatis ex voto conualuerit. p.213.

15) Epiſtola L. B. van SWIETEN ad Cl. SILVESTER *de vſu mercurii ſublimati in cura opacitatis oculi.* p.232.

 Cum

*) lecta d. 16. Febr. 1759.

Cum lue venerea laboranti cornea per plures annos opaca fuerat, et vſu mercurii ſublimati non tantum lues, ſed etiam oculi opaci ſanarentur, in iuuene, cui ex ophthalmia, male curata, opacitas corneae immo lentis cryſtallinae relicta fuerat, vſus mercurii ſublimati tentabatur, per octodecim itaque menſes ſolutio mercurii adhibita fuit, interdum tantum, recrudeſcente ophthalmia, intermiſſa, curatio tamen ex voto ceſſit: praeter internam curationem acetum ſpiritu ſalis ammoniaci ſaturatum et aqua florum ſambuci dilutum in fomentis applicatum fuit.

p. 235. 16) *Relatio de oleo Ricini vulgo* Caſtor Oil *dicto, et eius effectu medico, ſpeciatim in affectibus bilioſis* Auctore Cl. THOMAS FRASER, communicata a Cl. MACAULAY *). Semina *Ricini americani fructu racemoſo hiſpido* contuſa, vel cocta vel preſſa, oleum exhibere veteribus iam notum erat. Hoc et in vſus lampadis adhibetur, in Antigoa tamen inter purgantia praeſtantiſſima refertur. Cochleare vnum ſingulis horis datum doſis eſt, qua tertia quartaue vice exhibita aluus blande mouetur, lubricante praeterea virtute ſiccitati ventris et doloribus inde ortis medetur, ideoque etiam in affectionibus renum exhiberi poteſt, nec non infantibus parciori doſi propinatur. In fine annotatur, in inſula Guadaloupe idem medicamentum in vſu eſſe.

p. 241. 17) *Affectus ſcorbuticus vehementior* ex literis Cl. PUGH ad Cl. FOTHERGILL **). Foemina, viginti duorum annorum, de extremitatum dolore conquerebatur et paulo poſt in his, lingua et gingiuis niger color vt ſignum ſphaceli imminentis apparebat; pulſus celer et debilis. Cortex peruuianus et martialia

*) lecta d. 26. Mart. 1759.
**) lecta d. 21. May 1759.

lia aliaque remedia interna et externa, ob inſignem varietatem vix recenſenda, quatuor circiter menſium decurſu ſanitatem reſtituerunt.

18) *De vſu externo corticis peruuiani* exempla curationum affert Cl. PYE *). In febribus, tuſſi et ſpaſticis inſultibus, infantibus, qui vſum corticis internum non admittunt, epithemata ſicca, corpori ex hoc cortice applicata, non ſine fructu fuiſſe narrat. p.245.

19) *Foemina grauida lue venerea laborans ſolutione mercurii ſublimati curata* Auctore Cl MACAULAY **). Scrupulum vnum mercurii ſublimati in menſura (*pint*,) ſpiritus vini gallici ſoluit et primum cochleare ſemis bis de die exhibuit, et cum expectatum effectum perſpiceret, non tantum continuauit, ſed condylomatibus etiam venereis ſolutionem mercurii aqua dilutam illiniuit, et decoctum ſaſſaparillae ſubiunxit. Foetum edidit ſeptimo menſe venerea labe non inquinatum, et continuata poſtea curatione conualuit. Et aliam foeminam grauidam ita curauit, quae tamen foetum ſeptimeſtrem, paulo poſt mortuum, edidit. p.256.

20) *De vſu corticis in affectibus ſcrophuloſis* ex literis Cl. BOND ad Cl. FOTHERGILL ***). Foemina, tumoribus ſcrophuloſis circa collum affecta, ex quibus nonnulli in ſuppurationem tendebant, appetitu ſimul proſtrato cum ſumma debilitate obſeruato, ter de die drachmam ſemis corticis peruuiani ſumſit, glandulis emplaſtro ſaponato tectis, poſt tres menſes ſanata, et, ſumtis aliis centum medicamenti doſibus, ſanitas porro confirmata fuit. In p.265.

 alia

*) lecta d. 10. Sept. 1759.
**) lecta d. 14. Ian. 1760.
***) lecta d. 19. Nov. 1759.

alia Cl. Auctor ſimilem curationem, additis aliquot granis chalybis, praeſtitit.

p. 269. 21) *Excerptum ex literis* Cl. VAGE *ex Senegallia d.* 15. *Octobr.* 1759. communicauit Cl. BROCKLESSBY *). Febrem deſcribit epidemicam malignam, quae nec venaeſectione coerceri, nec largis ſudoribus ſolui potuit, lethali ſaepe exitu; cortice autem peruuiano, julapio camphorato et ſpiritu vitrioli exhibitis, curationem admiſit.

p. 273. 22) *Relatio de fiſtula in vtroque teſticulo orta* Auctore Cl. INGHAM communicata a Cl. MORRIS **). Ex violenta compreſſione teſticulorum, inflammatio non diſcuſſa in ſuppurationem abiit, qua finita, ſaniei excretio cum induratione epididymidum remanebat. Cum autem aeger, vlteriori curatione neglecta, matrimonium iniret, in coitu tamen ſemen excernere haud poſſet, effluxu externo nimium aucto, orificia ſpecillo diſquiſita veras fiſtulas offerebant, quibus dextre inciſis et ſanatis effluxus tandem ceſſauit, et ſpermatis vera excretio ſuo tempore ſucceſſit.

p. 278. 23) *De vſu ſpongiae poſt amputationem applicandae* differit Cl. KIRKLAND et communicauit Cl. HUNTER ***). In iis, qui amputationem in extremitatibus ſuſtinuerunt, praecipue in aegris ad cacochymiam procliuibus, ſuppuratione poſt inflammationem accedente, materia tenuis reſorbetur, per vrinam et deiectiones aluinas ſaepe excreta, quae tamen non raro ſimul febrim colliquatiuam excitat. Vſus corticis peruuiani et aliorum remediorum ad triſtem

*) lecta d. 14. Ian. 1760.
**) lecta d. 24. Mart. 1760.
***) lecta d. 5. Maii 1760.

triſtem effectum arcendum ſaepe non ſufficit, hinc vulneri, nimiam acris humoris copiam exſudanti, linteum ſiccum et huic ſtrata ſpongiae applicat, vt materia tenuis reſorbeatur, nec amplius, ſpiſſa relicta ad humores tranſeat; quam rem Noſter exemplo curationis addito illuſtrat.

24) *Aegrum hydropicum* deſcribit Cl. MACKENZIE *). Vir, quadraginta ſex annorum, ex variis diaetae vitiis in hydropem anaſarcam et aſciten inciderat, remediis variis incaſſum adhibitis febre continua afficiebatur, in qua vſus linguae ita impeditus erat, vt vix articulatam vocem edere poſſet. Ex conſilio Cl. Auctoris decoctum radicis Senegae adhibebatur, eo effectu, vt ſitis et calor ceſſarent et lingua mobilior fieret, hydrops tamen continuauit. Menſe iunio 1756 aeger, qui hactenus Edinburgi commoratus erat, Londinum venit et itineris longi incommoda ſuſtinuit. Tria grana vitri antimonii cerati exhibita vomitus et deiectiones excitabant, continuato tamen remedio deiectiones aquoſae morbum leuiorem reddebant, ita vt vsque ad menſem februarii anni 1757 traheretur. Hydrope tunc iterum increſcente paracenteſis ter repetita denuo leuamen afferebat. p.287.

Hac occaſione Noſter monet, acum triquetram non in conſueta ab vmbilico diſtantia, ſed quantum in ſedente aegro fieri poteſt, in inferiori et paulo anteriori abdominis parte immittendam eſſe, quo aquae copioſius ſubducantur, quod inſuper motu cannulae introrſum vel extrorſum acto iuuatur.

Sed aquis iterum collectis, aeger vomitu pertinaci excruciabatur, quo quidem magna vis aquae excernebatur, aluum tamen nec repetita clyſmata mouere poterant, purgante tamen ſucceſſiue dato, aluus

*) lecta d. 14. Iulii 1760.

aluus iterum ſuccedebat. Vomitu interea id effe-ctum erat, vt femora et crura anaſarca diſtenta ſubſiderent, et aſcite quoque ſuperato, aeger medicamentis roborantibus, diaeta apta, exercitatione corporis et balneis aquae marinae applicatis, omnem hydropem ſuperaret; poſt quindecim tamen menſes phreniticus factus periit. Similis etiam caſus adducitur, vbi vomitus copioſae materiae aquoſae et nigricantis hydropem ſuſtulit.

p. 299. 25) *Separatio notatu digna partis femoris* Auctore Cl. MACKENZIE *). Puer, tredecim annorum, femore vehementer percuſſo, tumorem, dolorem et inflammationem ſenſit, neglecta tamen curatione, tres pollices ſupra genu orificium paruum ſponte apertum ſaniem plorabat. Puer interea baculo tantum ſuſtentus ambulabat, donec poſt duos annos matutino tempore, orificio largius aperto, pars media femoris, vtrinque carie adeſa, ſeptem et dimidii pollicis longitudine ſponte prodiret, quae Tab. I. fig. 5. delineatur. Mira omnino naturae in ſanandis corporis laeſionibus praeſtantia: nouum enim os callo ſuccreſcente interea natum fuit, et ſine auxilio
p. 303. chirurgi tandem ſanatio ſucceſſit. Cl. HUNTER tibiam ſimili ferme ratione laeſam in tabula II. delineari curauit. Amputatione enim ſupra genu facta, in oſſe, quod ipſi communicatum fuit, pars tibia ſecedens in medio haeſit, callo irregulari vbique ſuccreſcente, quo quidem os retentum non vti in priori caſu ſecedere poterat.

p. 307. 26) Epiſtola Cl. MATTHAEI TURNER ad Cl. FOTHERGILL *de cura aſcaridum per clyſmata fumi tabaci* **). Cum in vulnere vmbilici, ob ſymptomata

*) lecta d. 14. Iulii 1760.
**) lect. d. 25. Aug. 1760.

mata vrgentia, clyſmata varia applicata ſine effectu excernerentur, fumus tabaci per anum immiſſus leuamen et excretionem lumbricorum effecit, qua re commotus Cl. Auctor aſcarides ſimili modo eductos exemplo, at vnico declarauit.

27) *De vſu veſicatoriorum in regione oſſis ſacri applicatorum in cura incontinentiae vrinae et paralyſi extremitatum inferiorum*, diſſerit Cl. THOMAS DICKSON *). Cum veſicatoria ad nucham applicata in paralyſi extremitatum ſuperiorum plus commodi praeſtent, quam ſi extremitatibus ipſis apponantur, in ſimili extremitatum inferiorum morbo, nec non in incontinentia vrinae applicationem veſicatoriorum ad os ſacrum vtilem fore cogitauit Noſter, et primum puellae tredecim annorum, incontinentia vrinae laboranti, veſicatorium cum fructu appoſuit. Paulo poſt in viro, triginta duorum annorum, poſt refrigerium vehementes capitis dolores, et poſt vomitum vehementem et deiectiones per pillulas excitatas paralyſin extremitatum inferiorum cum incontinentia vrinae obſeruauit, et applicatione veſicatorii diſſipauit, praeterea ſpaſmum crurum remanentem ſimili veſicatorio curauit. Similem curationem Cl. Auctor in foemina quinquaginta annorum et Cl. WOOLSEY in foemina quadraginta trium annorum praeſtitit. In applicandis igitur veſicatoriis ad origines neruorum reſpiciendum eſſe, Cl. Auctor concludit. p. 311.

28) *Relatio de ſingulari ſeparatione oſſium pubis*, communicata Cl. HUNTER a medico quodam prouinciali **). Foemina, viginti ſex annorum, ſecundo grauiditatis menſe de dolore in infima parte abdominis p. 321.

*) lecta d. 20. Octobr. 1760.

**) lecta d. 9. Febr. 1761.

minis et nonnullis vrinae reddendae incommodis conquerebatur, cauſſam tamen nullam, quam impetum pede factum afferre poterat, variis remediis adhibitis malum mitius reddebatur, leuioraque incommoda grauiditati tribuebantur. Sed tribus vltimis grauiditatis menſibus dolor et reliqua ſymptomata ita increſcebant, vt ſe vix vertere poſſet, et partu tandem feliciter edito, alia peiora v. c. febris cum exanthematibus veſicularibus accederent, ita vt tandem ſuccumberet. Sectione cadaueris ſuſcepta, oſſa pubis ad pollicis diſtantiam diducta inueniebantur, et cauum formabant, ex quo vncia vna ſemis puris boni effluebat, quoniam in dextro latere abſceſſus interne quodammodo proceſſerat, ita vt perioſteum non nihil deductum eſſet. In ſymphyſi ipſa cartilago dextra non nihil arroſa, ſiniſtra vero glabra et ſana deprehendebatur. Reliquae partes vicinae accurate diſquiſitae parum mutatae inuentae fuerunt.

P. 333. Hac occaſione Cl. HUNTER de *ſymphyſi oſſis pubis* diſſerit, et Tab. I. fig. 3 et 4. ſectiones eiusdem verticalem et horizontalem delineatas exhibet. Cartilago eſt ſubſtantia denſa et polita, ligamentum fibroſa, vtraque tamen in quibusdam partibus ita confundi videtur, vt cartilaginem ligamentoſam ſiſtat. Hoc in ſymphyſi oſſium pubis quoque apparet, quae vtrinque cartilagine tenui incruſtata in medio ligamentoſa magis conſpicitur. Externae partes ſymphyſeos ligamentis ita cinguntur, vt fabrica capſulari ligamento non nihil ſimilis ſit, ſuperius tamen et inferius transuerſa ligamenta craſſiora annectuntur. Anchyloſin oſſium pubis Noſter nunquam vidit, aliquam tamen ſymphyſeos relaxationem in grauidis concedere videtur, et licet naturalis cauitas in ea non inueniatur, interdum tamen aliquam diductionem fieri et cauum formari poſſe, cognoſcimus.

29) Ob-

29) *Obſeruatio de humero luxato, cuius caput reduci non poterat, impedimentis repoſitionis per ſectionem declaratis, iunctis quibusdam monitis generalibus de luxatione huius partis.* Auctor Cl. HENRICUS THOMSON communicauit Cl. DICKSON *). Impedimenta repoſitionis humeri luxati ſaepe in valida muſculorum extendendorum reſiſtentia, ſaepe etiam in ligamento capſulari relaxato et rupto quaeruntur. Poſtquam igitur vir, cuius humerus die 6. Decembr. luxatus erat, et reponi non poterat, die 24. eiusdem menſis, morbo ex aliis cauſſis ſuperueniente mortuus eſſet, ſectionem partium luxati humeri ſtudioſe ſuſcepit et in tabula III. et IV. varias icones addit, quae eandem illuſtrant. Humeri enim caput ſub cauitatem glenoideam ſcapulae in ſaccum quaſi nouum tranſierat, ligamento capſulari rupto, variis tendinibus vltra modum tenſis, perioſteo ab humeri collo recedente, et oſſe ipſo in illo loco non nihil laeſo. Porro aliam luxationem humeri deſcribit, et quaeſtiones quasdam ſiue conſectaria ſubiungit. Cum nos amplam deſcriptionem repetere nequeamus, conſectaria breuiter tangimus. p. 349.

Quando caput humeri ſub axillam protruſum eſt, difficultas repoſitionis ſaepe ex eo pendet, quod tendo ſubſcapularis et teretis minoris muſculi nimis adſtringatur, et collum humeri comprehendat, inſimulque ligamentum capſulare propendens et vehementer reſiſtat, et capitis regreſſum in cauitatem naturalem impediat. Hoc in caſu nimia extenſio per machinas difficultatem auget, quamobrem Noſter varias enchireſes in repoſitione commendat. Neglecta diu repoſitio humeri impoſſibilitatem illius tandem praeſtandae non inuoluit, coagulum ſynouiae, quod multi allegant, non timendum eſt, ſed ſi fractura complicata eſt et anchyloſis ſequitur, vel ſi dila- p. 354.

*) lecta d. 9. Febr. 1761.

dilaceratum ligamentum in carnem fungoſam excreſcit, tunc non ſuccedit. Si humerus poſt repoſitionem iterum ſponte luxatur, non ſemper indicat rupturam ligamenti, ſed ſeparationem tendinis muſculi ſubſcapularis et teretis minoris, quibus ſolis caput in cauitate glenoidea ſcapulae retinetur. Dolor, qui poſt repoſitionem capitis humeri diu remanet, a diducto tendine longo bicipitis muſculi pendet, qui in veram ſedem redit, ſi humerus poſt repoſitionem blande rotatur.

p. 360. 30) Excerptum ex literis Cl. LAMBERT ad Cl. HUNTER, ſiſtens relationem *de noua methodo ſanandi aneuryſma* *). Cum in aneuryſmate ſpurio arteria, ſcilicet vulnere pertuſa, ligatura ſupra et infra laeſionem facta et vaſis plenaria conſtrictio debiliorem pulſum redderet et vniuerſi brachii vim infringeret, de ſutura vulneris, quae in labio leporino fieri ſolet, cogitauit. Occaſione itaque ſe offerente, tentamen inſtitutum fuit, omnibus igitur ita peractis, vt in operatione aneuryſmatis fieri ſolet, et filis quoque ad ligaturam efficiendam diſpoſitis, acum ferream tenuiſſimam, quartam partem pollicis vix ſuperantem, ita in labia arteriae introduxit, vt filum circumuolui et vulnus ita firmari poſſit. Sanatio etiam ſine ligatura ſucceſſit, vigore brachii et pulſus iterum reſtitutis, quamuis tamen curationem felicem exemplum hoc praebeat, tamen Cl. Auctor aliorum attentioni vlteriora tentamina modeſte commendat.

p. 365. 31) *De cura vlceris phagedaenici per mercurium ſublimatum et ſaſſaparillam* differit Cl. TRIQUET **). Vir, de reliquo ſanus, vlcus in labio, et glandulas maxillares induratas contraxerat, variis medicamen-

tis

*) lecta d. 15. Iunii 1761.

**) lect. d. 24. Mart. 1760.

tis per duos menſes adhibitis leuamen non ſenſit, decoctum tamen concentratum ſaſſaparillae, et in eo mercurii ſublimati granum vnum ſolutum, quotidie cum fructu hauſit.

32) Relationem *de foetu extra vterum inuento*, in literis ad Cl. FOTHERGILL, communicauit Cl. BARD *). Foemina viginti octo annorum, in primo puerperio foetum ſanum edidit, in ſecundo autem nono menſe dolores ad partum non continuabantur, ſed, ventre ſenſim ſubſidente, tumor dextri lateris remanebat, quem vsque ad tertium puerperium tulit, quo tamen feliciter ſuperato, febris aliaque ſymptomata vrgebant, et tumor olim relictus ita mouebatur, vt cataplaſmata apponenda eſſent. Abſceſſu itaque emollito et inciſo, cum ſanie partes foetus ſeceſſerunt, viribus tamen foeminae conſtantibus, depuratio facta et cicatrix inducta fuit, et ea fruebatur ſanitate, vt infantem vegetum lacte ſuo nutrire potuerit. p. 369.

33) Relatio *de noua methodo humerum luxatum reponendi (ſine applicatione ambes) licet per plures menſes luxatio ſubſtiterit, et conſuetae methodi ſine fructu fuerint adhibitae* Auctore Cl. WHITE communicata a Cl. HUNTER **). Annulo, ad trabem conclauis ſuperiorem infixo, vnam partem trochleae, alteram ad carpum luxati brachii alligauit, et ita extenſo brachio aegrum iacentem eleuauit, quo pondus corporis extenſionem contrariam praeſtaret, ne vero carpus ita tenſus vim pateretur, cubiti flexuram per miniſtros ſuſtinuit. Extenſione ſufficienti facta, caput humeri ſub axilla, vel, quod rarius fieri ſolet, ſub ſcapula reconditum ita dimouit, vt vel p. 373.

ſubito

*) lecta d. 24. Mart. 1760.
**) lecta d. 29. Iunii 1761.

ſubito in cauitatem glenoideam ſcapulae rediret, vel, ſi hoc non ſuccederet, ita ad minimum diſponeretur, quo poſtea conſuetis enchireſibus eo compelli poſſet.

p. 382. 34) *Relatio de curatione clauſae maxillae et aliorum ſymptomatum ſpaſmodicorum, quorum cauſſa in vulnere quarti digiti ſiniſtrae manus deprehenſa fuit* Auctore Cl. WHITE, communicauit Cl. HUNTER *). Iuuenis viginti annorum, ſpaſtica contractione maxillae inferioris affectus, non niſi liquidis alimentis inter dentes dimiſſis nutritus, crebrius conuulſionibus et cynico ſpaſmo tentatus, capite retrorſum ducto, ſpina rigida, muſculis abdominalibus et gaſtrocnemiis valide tenſis, dyſuria praeterea et aluo obſtructa affectus, Cl. Auctori offerebatur. Hic igitur inter alia etiam laeſionem quandam in quarto digito ſiniſtrae manus obſeruabat, et praecipuam cauſſam ſpaſmorum eſſe ſuſpicabatur, amici autem aegri contradicebant, cum iam ante menſem digito laeſus per tres ſeptimanas nullo ſpaſmo tentatus fuiſſet. Varia medicamenta, vomitorium, purgans, clyſmata, cortex, camphora, valeriana, moſchus, et haec antiſpaſmodica in larga copia, incaſſum tamen exhibita ſunt. Opium porro, doſibus ſucceſſiue auctis, tandem ſingulis horis ad granum vnum propinabatur, inde quidem in ſomnum coniectus, aliquod leuamen ſenſit, ſpaſmis omiſſo opio redeuntibus. Tandem Noſter primam phalangam digiti laeſi praeſcindebat, et cum in ſecunda quaedam fragmenta oſſis neruos porro irritarent, his remotis ſpaſmi demum ceſſarunt, ita vt imminuto ſucceſſiue opii vſu, tandem aeger conualeſceret, qui intra quinque ſeptimanas grana 317 opii ſumſerat.

35) In-

*) lecta d. 24. Auguſt. 1761.

35) *Incontinentiam vrinae veſicatoriis ad os ſacrum applicatis curauit* Cl. DICKSON. Eſt additamentum ad relationes ſimiles ſuperius no. 27. propoſitas. p. 388.

36) *Obſeruationes vlteriores de ſingulari quodam aneuryſmate* tradit Cl. HUNTER *). In volumine primo obſeruationum Londinenſium de aneuryſmate expoſuerat Cl. Auctor **), et de ſpecie quadam, inter verum et ſpurium quaſi media, mentionem iniecerat, hanc nunc accuratius diſquirit. Si vena pertunditur et arteria ſubiecta ſimul vulneratur, accidere poteſt, vt exterius venae vulnus cum cutaneo coaleſcat, per arteriae vero vulnus ſanguis in venam proxime vulneratam penetret et ita in circulum redeat. Differt itaque a ſpurio aneuryſmate variis modis: vena ſanguinem arterioſum immediate recipiens diſtenditur et varicoſa fit; impetus in ea oritur pulſum referens; ſanguis ſtagnando non coagulatur, ſed fluidus progreditur; arteria, in brachio ſuperiori amplior, ad carpum anguſtior redditur; pulſus in variis brachii partibus varius, et a pulſu oppoſiti brachii diſtinctus erit. Aneuryſma ſpurium itaque ſemper increſcit et tandem rumpitur, hinc chirurgi auxilium exigit, hoc vero tandem ſubſiſtit et ſine magno incommodo toleratur, hinc ſine vlteriori cura ſibi relinquendum eſt. Diuerſa tamen in variis aegris obſeruantur phaenomena. Extenſio venae in aliis maior, in aliis minor eſt; arteria a vena in aliis parum diſtat, in aliis ita diſtenditur, vt cauum ſiue ſaccus inter venam et arteriam formetur. p. 390.

Haec, quae nunc breuiter indicauimus, Cl. Auctor duobus exemplis illuſtrat, foeminae primum, in qua a quatuordecim annis, et iuuenis, in quo iam per

 quinque

*) lecta d. 24. Aug. 1761.

**) vid. Comment. noſtr. Vol. VIII. Part. II. p. 315.

quinque annos, et in hoc vltimo cum ſacco intermedio ſubſtitit, in quo etiam varia tentamina conſtringendo, premendo et agitando inſtituit, et phaenomena accurate deſcripſit, tandem nonnullas quaeſtiones ſubiecit, quibus hanc aneuryſmatis ſpeciem in cauſſis et ſymptomatibus egregie declarat.

IX.

IOHANN FRIEDRICH MEYERS, *Apothekers zu Oſsnabrück, chymiſche Verſuche zur nähern Erkenntniß des ungelöſchten Kalchs, der elaſtiſchen und electriſchen Materie, des allerreinſten Feuerweſens, und der urſprünglichen allgemeinen Säure. Nebſt einem Anhange von den Elementen. Hannover und Leipzig, bey Iohann Wilhelm Schmidt.* 1764. 8. *Alph.* 1. *pl.* 7.

h. e.

IOANNIS FRIDERICI MEYER, Pharmacop. Oſnabrug. Experimenta chemica accuratiori calcis viuae, materiae elaſticae et electricae, ſubſtantiae inflammabilis puriſſimae et acidi primigenii vniuerſalis cognitioni inſeruientia, vna cum appendice de elementis etc.

Totum opus ex viginti ſex capitibus conſtat: primum characteres externos lapidis calcarei Oſnabrugenſis deſcribit; ſecundum lapidis calcarei, acidi puri ope ſoluti, diſquiſitionem tradit; tertium diſquirit, num calx viua ſubſtantia ſalina ſit; quartum de calcinatione lapidis calcarei agit; quintum extinctionem eiusdem, tum aqua, tum aliis liquoribus, tum etiam

etiam aere liberiori praeſtandam perpendit; ſextum de aqua calcis viuae agit; ſeptimum relationem dictae aquae, euaporatione diſquirendae tradit; octauum ſeparationem terrae calcareae purae, per ſal alcalinum praecipitatae, et nonum ſeparationem partis igneae calcis ſiſtit; decimum relationem calcis viuae ad ſal volatile vrinoſum et ſal ammoniacum exhibet, inſimulque ſubſtantiam ſalino - igneam calcis viuae aliqua ex parte ex acido conſtare, ſal autem fixum cauſticum aeque ac ſpiritum ſalis ammoniaci cum calce pro ſalis medii ſpecie habenda eſſe, docet; vndecimum, duodecimum et decimum tertium relationem calcis ad olea vnguinoſa, aetherea et ſpiritum vini exponunt; decimum quartum ſolutionem ſulphuris per calcem ſiſtit, hacque declaratur, ſubſtantiam ſalino - igneam calcis viuae partim ex acido partim ex phlogiſto admodum ſubtili conſtare; decimum quintum adhaeſionem dicti phlogiſti ad metalla oſtendit, inſimulque de aqua phagedaenica agit et docet, qua ratione calx vtpote ſubſtantia alcalina conſiderari poſſit; decimum ſextum declarat, quomodo ſubſtantia ignea calcis a ſale alcalico, cum quo in ſale cauſtico coniuncta eſt, ſeparari rurſus et cum aqua miſceri poſſit; decimum ſeptimum materiam iſtam non ex lapide calcareo, ſed ex igne, in quo calcinatur, oriri et terrae calcareae opponi, oſtendit; decimum octauum hanc rem ex eo, quod plura corpora eandem hanc ſubſtantiam ex igne ſuſcipiant, probat; decimum nonum de conditionibus, ſub quibus dicta materies ex corporibus inflammabilibus, dum comburuntur, ſeparatur, agit pluraque alia exponit; vigeſimum ſubſtantiam hanc, quid ſit et ex quo conſtet, conſiderat; vigeſimum primum ortum memoratae ſubſtantiae tradit; vigeſimum ſecundum notionem acidi pinguis denuo conſiderandam offert, et vſum

huius cognitionis exponit; vigeſimum tertium diſquirit, an et quomodo acidum pingue et materies lucis ſeu radiorum ſolis pro materie ignis haberi poſſit; vigeſimum quartum quaerit, anne acidum pingue ſit aeris materies elaſtica? vigeſimum quintum exponit, an et quomodo idem iſtud materies elaſtica ſit; vltimum diſquirit, anne idem acidum pingue acidum primigenium ſit; hiſce omnibus demum appendicem de elementis, et totius libri ſummam Noſter ſubnectit.

p. 1. Lapis calcareus, cum quo Noſter experimenta inſtituit, prope vrbem Oſnabrugum effoditur, cuius ſtrata ſuperiora paruis conchis petrefactis plena ſunt. Haec calcinationi non ſubiiciuntur, ſed profundiora, magis compacta ſtrata, in quibus plures conchitae admodum paruae et complures trochitae reperiuntur. Lapis iſte calcareus, vt tutia, coloris gryſei eſt, ponderoſus et mediocriter durus, polituram tamen admittit. Lapidis huius groſſiuſcule contuſi vncia vna in ſpiritu nitri ſoluta et per filtrum traiecta liquorem, vt aqua, limpidum exhibuit, inque filtro paucas faeces limoſas et terreſtres reliquit, quae aqua edulcoratae terram tum ponderoſam tum leuiorem dederunt. Prior terra, a leuiori ſeparata, decem grana cum dimidio exiguae, pellucidae et longitudinalis cryſtalli montanae, ſiliceae et argillaceo-lapideae arenae et micae exhibuit, leuior vero terra ponderis decem granorum ex argilla limoſa cum ſubtiliſſimis arenae particulis commixta compoſita fuit. Ex terrae huius parte, aquae regis ope, exigua portio ſubſtantiae martialis extracta fuit, aqua vero regis luteum inde colorem obtinuit. Alia portio huius terrae calcinata rubrum colorem acquiſiuit, neque vllum odorem ſulphureum de ſe ſparſit. Solutio clara, aqua pluuiali diluta et cum ſolutione ſalis tartari vltra ſaturationem commixta, drachmas

ſeptem

ſeptem ſcrupuloſque duos pulueris valde albi et ſubtilis dedit, cuius moleculae, ſub microſcopio diſquiſitae, vt ſplendentia, pellucida, cryſtallina corpuſcula, puriſſimo ſpato calcareo ſimilia apparuerunt. Lixiuium, poſt praecipitationem relictum et ad ſiccitatem vſque deſtillatum, ſalem reliquit, qui aqua pura deſtillata ſolutus et colatus grana ſex terrae albae in filtro dedit, quae nonnullis impuritatibus relictis in ſpiritu nitri ſoluta eſt. Patet igitur ex his, 1) lapidem iſtum calcareum ad calcinationem ſubeundam maxime aptum eſſe, cum totus fere ex terra calcarea pura abſorbente conſtet; 2) nullo ſulphure, neque etiam 3) acido ſulphureo vel vitriolico imbutum eſſe; 4) ſubſtantiam pinguem, oleoſam vel bituminoſam ei non ineſſe, neque etiam 5) glutinoſi quid in eo reperiri.

Lapis calcareus in aqua ſimplici deſtillata vltra p. 11. horae ſpatium coctus vix mutatur. Decoctum colatum, oleo tartari per deliquium affuſo, nullam mutationem patitur. Alia portio huius decocti cum ſolutione argenti commixta turbatur, et calcem albam, in fundo collectam, dat, idemque cum ſolutione ſaturni obſeruatur. Addito ſyrupo violarum vel etiam puluere gallarum, vel demum mercurio ſublimato ſoluto, nulla mutatio deprehenditur. Decoctum ex retorta ad vncias duas vſque deſtillatum, et poſtea, vaſe aperto euaporatum, magma flaueſcens, ſapore ſali culinari analogo inſuperque nauſeoſo amaro donatum largitur, quod aqua deſtillata dilutum et colatum in filtro pauxillum terrae relinquit, quae cum ſpiritu nitri efferueſcens parum ſoluitur; reliqua pars non ſoluta terram argillaceam ſubtilem ſiſtit. Lixiuium denuo euaporatum ſalem vnguinoſum, ſalſum et amarum, in aere deliqueſcentem, exhibet. Itaque neque vitrioli, neque nitri, neque ſalis acidum, pauxillum vero ſalis culinaris

et amari in lapide iſto calcareo nondum calcinato contineri, experimentum hoc oſtendit.

p. 16. De calcinatione lapidis calcarei Noſter notat, eam ligni et lithantracum ope perfici poſſe, tamdiu continuandam, donec totus lapis in calcem mutetur, calcinationem vltro continuatam nequaquam quidem nocere, ſed nullum vſum habere. Licet autem terra calcarea, nondum calcinata, aquae connubium admittat, et cum ea in corpus durum abeat, calcinatio tamen, vt Noſter oſtendit, ob id inprimis neceſſaria eſt, quod eius ope aqua ex lapide diſſipetur et terra calcarea in minimas atomos redigatur, ſicque is breuiore via in puluerem ſubtilem mutetur.

p. 21. Calcem viuam aere aeque ac aqua extingui, eamque pauciore aqua magis quam multa, pariterque recentem vehementius quam aeri expoſitam calefieri atque aliam alia citius aqua extingui, notum eſt. Inter omnia autem fluida, vt Noſter obſeruauit, extinctio aquae ope citiſſime perficitur, lacte adfuſo tarde et valde parum incaleſcit calx, vrina vero citius ea extinguitur, valde incaleſcit ſtatimque in ſubtilem et albidam maſſam dehiſcit; cereuiſia extinctio tardior fit neque etiam calx adeo incaleſcit, idemque affuſo vino gallico obſeruatur, aceto autem vini magis incaleſcit, vbi inſimul Noſter odorem ſulphureum percepit, quem vero minime a calce, ſed a vino et aceto ſulphurato proueniſſe, putat. Cur autem calx viua aquae ope incaleſcat, ex eo Noſter deducit, quod inflammabilis in calce deprehendenda ſubſtantia in motum ducatur. Eandem enim hancce ſubſtantiam, e carbonibus candentibus in calcem ingredientem, mediante aqua in lapidem calcinatum impelli, et tunc interſtitia eiusdem replere, ſimulque igneam illam, ſubtilem, leuem et elaſticam ſubſtantiam in motum ducere, hancque ideo incaleſcere, putat;

putat; eadem autem affuſam aquam, aere plenam, calefieri et expandi, hacque, exitum quaerente, cum nullus vltro particularum calcis terreſtrium nexus firmus neque ideo vlla reſiſtentia ſit, omnes partes disiungi et a ſe inuicem recedere, adeoque maius ſpatium occupare, autumat.

Ad ſoluendam calcem inſignem copiam aquae ſenſim paulatimque affudit Noſter, vſque dum aqua affuſa fere inſipida deprehenderetur; tuncque reperit, parum ſemper calcis definita portione aquae ſaturari. Tandem terram inſipidam non ſolubilem ex libra calcis viuae vncias quatuor ſexque drachmas pondere aequantem obtinuit, ideoque calcem viuam ex duplici parte, altera in aqua ſolubili, altera non ſolubili conſtare, hancque ex terris variis, arena v. g. etc: in igne nunquam in calcem mutandis compoſitam eſſe, illam vero ſubſtantiam calcis proprie conſtituere, et cum aqua coniungi, aſſerit. p. 28.

Dum aqua calcis viuae euaporatur, ſiue lente ſiue violente id fiat, ſemper terra inſipida, in aqua non ſolubilis, et pauca portio ſalis ſicci cauſtici, alcalici, amaricantis, nauſeoſi obtinetur; ex quo colligitur, id, quod terram illam in aqua ſolubilem reddat, inque euaporatione abeat, totum homogeneum eſſe, neque, vt alias ſubſtantias, ex craſſioribus et ſubtilioribus conſtare, ſed ſubſtantiam ſingularem eſſe, cum terra illa in aqua coniunctam, quam tamen aere liberiori accedente derelinquat et in aerem ſe recipiat. Subſtantiam hanc acidam eſſe, nunquam tamen ob id, quod terram illam in aere derelinquat, cum ſulphuris, nitri, ſalis communis et aceti acido comparandam, Noſter autumat, ſiccum vero illum ſalem cauſticum, in parua quantitate obtentum, ex pauco illo in lapide calcareo reperiundo ſale communi prouenire, et alcali minerale eſſe, ſtatuit. p. 33.

p. 39. Affuſo oleo tartari per deliquium, ex aqua calcis viuae terra praecipitatur, quae plerumque in duabus libris cum dimidia aquae calcis nondum drachmam pondere aequat, quaeque edulcorata inſipida eſt, neque quidquam cum cauſtico illo, in aqua calcis alias deprehendendo, commune habet. Lixiuium vero ſuperſtes magis alcalicum, magis acrem et pungentem ſaporem habet, ac ſolet, ſi tantilla portio ſalis tartari in aqua ſoluti deguſtatur. Ex quo colligitur, duplicem aquae calcis viuae ineſſe ſubſtantiam, alteram, quae terram puram abſorbentem ſiſtit, alteram, quae terram hanc in aqua ſolubilem reddit, eam nunc ob maiorem affinitatem cum ſale alcalico derelinquit, ſeque ſali alcalico vnit et a Noſtro *Cauſtici* nomine inſignitur. Cauſticum hoc ſingularis indolis eſſe, idemque iſtud, ad quod in diſquirenda calce viua et explicanda eiusdem natura attendendum ſit, Noſter monet.

p. 44. Cum cauſticum illud ſali alcalico fixo ſe vniat, et ſic dictum ſal Cauſticum, quod alias quoque Lapis Cauſticus, cauſticum commune fortius, Ruptorium commune, Cauterium potentiale vocatur, conſtituat, accuratam ſalis cauſtici fixi praeparationem Noſter communicat et proceſſum exquiſite deſcribit. Ad proportionem ingredientium quod attinet, maiorem quantitatem calcis ac alias fieri ſolet, hic adiectam eſſe, notamus, quod eum in finem factum eſt, vt alcalicum ſal cauſtico illo principio perfecte ſaturari poſſit; minori enim quantitate calcis adiecta, lixiuium ex alcali et calce factum cum acidis adhuc efferueſcere, ideoque alcalinae indolis eſſe, expertus eſt Auctor. Ne vero nimia quantitas calcis recipiatur ſicque terrae calcareae abundantia impediatur, ad vnam partem ſalis alcalici tres vel quatuor partes calcis adiici iubet, quo facto lixiuium obtineri notat, in quo ne-

que

que alcali neque calcis viuae terra abſorbens abundet. Itaque in lixiuio, ex alcali et calce facto, neque ab affuſis acidis efferueſcentiam neque ab adiecto oleo tartari per deliquium praecipitationem terrae obſeruari, liquet. Ex his colligit Noſter, cauſticum illud in calce deprehendendum principium acidae indolis eſſe, cauſticum vero ſalem, ex calce et alcali factum, pro ſale medio ſingularis indolis haberi poſſe, dictumque acidum neque acidum vitrioli, neque acidum nitri, neque acidum ſalis communis eſſe, cuius vero indolis ſit, inferius exponi, notat.

Si ſal alcalinum volatile, ex ſale ammoniaco ſeparatum et aqua ſolutum, aquae calcis viuae affunditur, eadem ratione, vti ab oleo tartari per deliquium fieri ſolet, terra praecipitatur, lixiuium vero inde obortum ſpiritum ſalis ammoniaci cum calce viua, multa aqua dilutum, ſiſtit et ex ſale alcalino volatili, cauſtico calcis viuae principio et aqua conſtat. Quod ad accuratam ſpiritus ſalis ammoniaci cum calce viua praeparationem attinet, ad vnam partem ſalis ammoniaci tres ſeu duas partes cum dimidia calcis viuae requiri, recte Noſter monet; inde autem adfuſa ſimul aqua ſpiritus obtinetur, qui ſecundum Cl. Auctoris ſententiam eadem ratione, vti cauſtici illius connubium cum alcali fixo ſal cauſticum fixum conſtituit, nunc ſal cauſticum volatile exhibet, quod non ad alcalia volatilia, qua in re per experientiam edocti ſententiae Cl. Auctoris ſuffragamur, ſed ad ſalia media pertinet, et ſal exhibet, quod ex cauſtico calcis viuae, vtpote acido ab omnibus valde diuerſo, cum alcali volatili ſaturato conſtat. Ex his autem liquet, cur ſpiritus ſalis ammoniaci, cum calce viua paratus, cum nullo acido efferueſcat, neque etiam terram calcaream puram, in acido quodam ſolutam, praecipitet; cauſſam autem, p. 53.

cur

cur dictus ſpiritus in deſtillatione nunquam in forma ſicca, ſed ſemper liquida tranſcendat, neque etiam hyeme cryſtalliſetur, in cauſtico illo principio Auctor quaerit, ſiquidem obſeruauit, cauſtico illo principio per affuſum acidum in aerem propulſo et alcali fixo poſtmodum addito ſal volatile ſiccum demum obtineri. Nunc coniicit, cauſticum illud principium eſſe acidum quoddam volatile pingue cum ſubſtantia ignis ſingulari modo effictum, quod cum alcali fixo aeque ac volatili affinitatem habeat, nunquam tamen eam, quae inter dicta alcalia et acidum purum quodcunque obſeruetur, ſiquidem affuſo acido quocunque ex ſale fixo alcalico, cum cauſtico calcis ſaturato, hoc diſſipetur et ſal medium fixum enaſcatur et affuſo acido ſalis ex ſpiritu ſalis ammoniaci cum calce viua parato itidem iſtud principium diffletur et ſal ammoniacum obtineatur. Praeterea ſi ſolutio ex creta et acido ſalis facta cum lixiuio ex alcali fixo et calce viua miſcetur, creta omnis praecipitatur et cum cauſtico illo coniungitur, quo mediante in calcem viuam mutatur, quae aqua affuſa ſoluitur et aquam calcis viuae ſiſtit.

p. 63. Num calx viua ſeu cauſticum eiusdem absque additione ſalis alcalici, vt in praeparatione ſaponis alias fieri ſolet, cum rebus pinguibus connubium iniret, fruſta calcis viuae oleo oliuarum immerſit Cl. Auctor, et ambo per triginta horas in quiete reliquit. Calcem viuam tunc neque fatiſcere, neque calorem neque ebullitionem oriri, obſeruauit, praeter id, quod eo in loco, vbi rimae in calce viua apparebant, veſiculae aereae aſcenderent. Sex poſtea horis praeterlapſis coagulum quaſi, lateribus fruſtorum calcis adhaerens vidit, hinc oleo effuſo, quod turbidum et craſſius euaſit, coagulum iſtud cum aqua commixtum album et tenax apparuit, cum aqua tamen

tamen connubium reſpuens. Affuſo tunc ſpiritu vini, miſcela, ſaepius agitata ſaporem ſaponis Hiſpanici obtinuit. Alii fruſto calcis viuae deterſo inque puluerem redacto ſpiritum vini affudit et poſt quadraginta octo horas, ſpiritum vini per linteum exprimens, iſtum turbidum euadere, ſaponaceum ſaporem habere, et ab eo in aquam infuſo hanc albam et turbidam fieri, obſeruauit. Solutum poſtea in ſpiritu vini oleum euaporationi committens, guttulas aliquot olei flaui obtinuit, quarum nonnullae cum ſpiritu vini commixtae in eo ſe ſoluerunt, cum aqua vero, ſpiritu vini euaporato, commixtionem non inierunt. Praeterea cum viderit Noſter, etiam oleum expreſſum absque calce viua aliquantum in ſpiritu vini ſolui, vaſculum ſpiritu vini, oleum expreſſum calce viua non commixtum in ſe continente, repleuit, in aliud vaſculum eiusdem capacitatis ſpiritum vini, oleo expreſſo cum calce viua praeparato foetum, infudit, et vtrumque euaporationi commiſit, tuncque ex priori olei grana quatuor, ex poſteriori autem ſcrupulum olei expreſſi obtinuit, hocque odorem ſaponaceum, illud vero rancidum exhibere, inſimulque in frigore coagulari, cum alterum in eodem fluidum maneat, animaduertit. Ex his colligit Cl. Auctor, calcem viuam vinculum ſuppeditare, quo mediante oleum expreſſum cum ſale alcalico coniungi poſſit, ipſam vero cum oleo commixtam nullum ſaporem producere, oleum tamen ab ea depurari, ita, vt maiori in quantitate quam non depuratum in ſpiritu vini ſoluatur. Caeterum, licet quoque absque calce viua cum ſale alcalino igneo acerrimoque et oleo expreſſo ſapo parari poſſit, hunc tamen, ſi alcali cauſtico illo principio deſtitueretur, nunquam obtineri, et cauſticum ſali alcali adhaerens, idem cum cauſtico calcis viuae eſſe et eadem ratione ab igne prouenisse, putat. Cum tandem

ex

ex antecedentibus pateat, cauſticum calcis viuae ad terram, in calce reperiundam, et ad ſalia alcalia ſe habere vt acidum, idemque iſtud cauſticum magnam inſuper affinitatem alere cum oleis pinguibus, ita, vt ex parte terram propriam deſerat et oleo ſe vniat, ex ſententia Noſtri colligendum eſt, acidum iſtud cauſticum calcis viuae ab omnibus acidis diſtinctum et cum maiori quantitate ſubſtantiae pinguis coniunctum eſſe, eiusque naturam mixtioni oleoſae propius accedere, atque ſubſtantiam valde ſubtilem et penetrantem ſiſtere, minime tamen cum acrimonia adeo inſigni, vt reliquis acidis ineſt, praeditam, cum olea ea imbuta nullum plane ſaporem acrem in lingua excitent.

p. 75. Eadem ratione Noſter calcem viuam cum oleo aethereo anthos commiſcuit, et experimentis inſtitutis affinitatem cauſtici iſtius principii cum mixtione oleoſa iterum obſeruauit, inprimis autem cauſticum illud terram calcis derelinquere ſeque oleo vnire, cum partibus ſubtilioribus horum oleorum ſe coniungere eaque, ratione ſubtilitatis, exaltare, eademque teneriora, magis penetrabilia et volatiliora reddere; contra vero non ſolum partes reſinoſas craſſiores ſeparare, ſed et teneriores viſcoſas partes, in oleo contentas, extrahere et in extractum gummoſum colligere, vidit: itaque cauſticum illud memorata olea, quae multo vehementius aggrediatur, ſi cum ſale alcalico coniunctum ſit, nequaquam deſtruere, ſed ea tantum depurare, colligit.

p. 82. Spiritus vini, calci viuae adfuſus, ſaporem, vt Noſter obſeruauit, multo acriorem quam ſpiritus vini ſimplex obtinet, ſique ſuper calcem viuam aliquoties abſtrahitur, itidem cauſtici iſtius principii quidquam in ſe ſuſcipit; talem autem, cauſtico illo ditatum, ſpiritum vini maiorem vim, ambram aliaque corpora bituminoſa et reſinoſa ſoluendi, habere

et

et ad praeparandas eſſentias atque tincturas valde aptum eſſe, Noſter autumat. Alios dein et notatu magis dignos effectus obſeruauit, cum ſpiritum vini ſali cauſtico ex tribus partibus calcis viuae et vna parte depuratorum cinerum clauellatorum parato, adfunderet. Spiritus vini enim rectificatiſſimus, ſali iſti cauſtico adfuſus, poſt quinque dies ſolo tantum adiuuante calore aeſtiuo colorem valde obſcurum obtinuit, eoque effuſo, ſpiritus vini denuo reſiduo ſali adfuſus colorem rubrum oſtendit. Hunc poſtea cum priori commiſcuit, eumque diſquirens, ſalis cauſtici vnciam vnam cum tribus drachmis in ſedecim vnciis ſpiritus vini ſolui, obſeruauit. Cum autem neque ſola calx viua, neque ſolum ſal tartari, tantam mutationem in ſpiritu vini producat, eandem hanc mutationem alcali et cauſtico illi, vtrisque coniunctis, tribuendam eſſe, Noſter colligit, ita, vt cauſtici iſtius principii ope alcalico ſali ingreſſus in ſpiritum vini concilietur, et cum hoc maior quantitas dicti cauſtici in ſpiritum vini introducatur. Tinctura haec, ex cauſtico ſale parata, adeo ignea et corroſiua eſt, vt, niſi multo ſpiritu vini diluatur, deglutiri prorſus nequeat; hinc ex dimidia vncia ſalis cauſtici et viginti vnciis ſpiritus vini tincturam parari, tartari tincturae ſimillimam, eiusdemque ope, ſi ambra, ſuccinum, balſamum peruuianum etc. in ea ſoluantur, tuncque ſpiritus rurſus abſtrahatur, efficaces admodum ſpiritus balſamicos obtineri, floresque ſulphuris in ea ſolutos tincturam ſulphuris extemporaneam praebere, perhibetur. Eadem haec tinctura ignea deſtillata, ſpiritu vini abſtracto, liquorem exhibet, cui ſubſtantia craſſa, ex rubro fuſca, innatat, quae primo quidem intuitu ſpeciem reſinae ſemifluidae ſiſtit, ſed ab affuſa aqua ſoluitur, hancque colore obſcure rubro tingit, ideoque ſubſtantia gummoſa eſſe videtur. Liquor, cui

dicta

dicta ſubſtantia innatat, ſaporem admodum cauſticum habet, et euaporationi commiſſus ſalem exhibet, cum quo oleum vitrioli affuſum fumat et incaleſcit. Eundem iſtum ſalem eandemque ſubſtantiam gummoſam poſt longum tempus ſponte ex tinctura ignea ſecedere, Noſter animaduertit. Lixiuium hoc, cui dicta ſubſtantia gummoſa ineſt, deſtillationi ſubiectum, liquorem in recipiente collectum praebet, cuius tertia pars ex oleo conſtat, quod vulgari oleo philoſophorum quoad odorem et colorem ſimile eſt. Ex his colligit Cl. Auctor, ſubſtantiam illam obſcure rubram ex ſpiritu vini plane deſtructo oriri, neque, vt ipſe tamen antea putauit, a partibus ſpiritus vini craſſioribus prouenire. Spiritum vini enim prorſus mutari, aquam eius ſeparari, et reliquas pingues atque teneriores partes eiusdem in craſſam illam, obſcure rubram, ſubſtantiam conuerti, hancque in aqua ſolui, et cum extracto gummoſo potius quam ſubſtantia reſinoſa comparandam, nouum quaſi concretum ſiſtere, ex ſpiritu vini deſtructo et ex parte etiam ex alcalico ſale ortum, per experimenta, ſollicite inſtituta, patet.

p. 94. Lixiuium, ex ſolo alcali, vel ex alcali et calce viua, vel demum ex ſola calce viua paratum, ſi quodlibet eorum ſeorſim cum ſulphure coquatur, hoc ſoluere, idemque ſolutum ope affuſi acidi praecipitari, conſtat. Inprimis autem de praecipitatione ſulphuris, in lixiuio calcis viuae ſoluti, notandum eſt, hoc quidem affuſi acidi cuiusuis ope praecipitari, ſed plerumque cum ſulphure terram inſimul calcaream deiici, ideoque purum ſulphur non obtineri, ſi tamen ſpiritus ſalis affundatur, purum ſulphur fundum petere, et terram calcaream in acido ſalis ſolutam relinqui. Quod ad cauſſam attinet, cur ſulphur a calce viua ſoluatur, eam non ſolum in cauſtico calcis viuae principio, ſed et in terra calcarea quaerit Cl. Auctor.

Si

Si enim ſolum cauſticum absque adiuuante terra calcarea ſolutionem praeſtaret, ex cauſtico et ſulphure ſpiritum ſulphuris volatilem productum iri, neque ſulphuris disiunctionem in partes integrantes, vti poſtmodum in praecipitatione eiusdem obſeruandum eſt, ſecuturam eſſe, Noſter autumat. Cum vero terra calcarea ad ſolutionem ſulphuris ſimul iuuet, et cauſticum terrae calcareae ex parte adhaereat, iſtud, vt Noſter putat, omnem vim ad reſoluendum ſulphur impendere non poteſt, neque etiam ſulphuri ſe vnire, ita vt cum eodem in ſpiritum ſulphuris volatilem mutari poſſit. Hanc rem ita ſe habere, ex eo Noſter probari autumat, quod, ſi per praecipitationem, ope acidi praeſtandam, terra calcarea a cauſtico ſeparetur, hoc partem ſulphuris non exiguam aggrediatur, et in ſpiritum ſulphuris volatilem, late ſe diffundentem, mutetur, ſulphur vero ex parte non mutatum praecipitetur. Qua vero ratione ſulphur, in calce viua ſolutum, ope acidi affuſi praecipitetur, ex Noſtri ſententia ita declarari poteſt: attendendum nimirum eſt ad terram calcaream, cauſticum illud principium et ſulphur, quae cuncta in hac ſolutione inter ſe inuicem coniuncta ſunt. Si nunc acidum ſuperuenit, hoc terrae calcareae ſe vnit, ſulphuris quaedam pars ſeparatur et fundum petit, cauſticum vero, quod per ebullitionem, dum praecipitatio fit, in motum inſuper ducitur, cum alia ſulphuris parte in ſpiritum ſulphuris volatilem mutatur, maximam partem in auram abit, ſimulque aliquid ſubtiliſſimi illius pulueris ſulphurei, ad fundum ſecedentis, ſecum abripit. Solutione itaque mutata, ſulphur praecipitari neque vlterius ſolutum manere, Noſter autumat.

Cauſticum calcis viuae a calce viua ſeparari et cum metallis coniungi poſſe, omnium fere ſolutionum metallicarum praecipitatio per aquam calcis p. 120.

viuae perque ſalem cauſticum oſtendit. Inter metallicas has, per calcem viuam factas, praecipitationes, quae in officinis pharmaceuticis obueniunt, ea fere in vſu tantum eſt, quae in praeparatione aquae phagedaenicae obſeruatur: quippe quae, vt conſtat, ex mercurio ſublimato corroſiuo et aqua calcis viuae conficitur. Cauſſam, cur mercurius praecipitetur, ex eo Noſter declarat, quod acidum ſalis mercurii ſublimati magis terrae calcareae, quam mercurio, ſe vniat, hinc terram, in aqua calcis deprehendendam, aggrediatur et mercurium deſerat, cauſticum vero cum metallico corpore ſe coniungat, et cum eo fundum petat, ſiquidem cum coniunctione acidi ſalis terraeque calcareae, vtpote ſale medio, nulla ei eſt communio. Quod ad praecipitatum puluerem mercurialem attinet, varia experimenta cum eo inſtituit Noſter. Sic eum cum ſoluto ſale alcalino fixo vegetabili commiſcuit, et lixiuium deguſtatum cauſticum ſaporem obtinuit, euaporatum vero ſalem cauſticum exhibuit, qui cum ſpiritu vini mixtus acrem tincturam ſuppeditauit. Praecipitatum itaque ex cauſtico et mercurio conſtare, ex his colligendum eſt. Idem puluis, retortae vitreae commiſſus, igne leniori et paulo fortiori non magnam mutationem paſſus eſt, igne vero fortiſſimo excitato, tantam, vt vitrum fere funderetur, mercurius viuus tandem prodiit et in retorta parua quantitas pulueris albi remanſit, qui vera calx viua fuit. Aqua enim ſimplex affuſa, in aquam calcis viuae tranſiit, idemque puluis, magna cum efferueſcentia in ſpiritu nitri ſolutus, aliquot grana non ſoluta reliquit, quae verum gypſum exhibuerunt. Caeterum nullum ſublimatum apparuit et omne cauſticum plane abiit. Eadem quoque ratione omnia metalla ſoluta per aquam calcis viuae praecipitantur; terra enim calcarea cum acido coniungitur, et cau-

ſticum

ſticum, terrae adhaerens, hanc deſerit, metallis ſe vnit et cum iisdem fundum petit. Pari quoque ratione praecipitatio ſe habet, ſi loco aquae calcis viuae lixiuium cauſticum vel ſal cauſticus, in aqua ſolutus, affunditur. Ex his autem colligitur, omnibus metallis, vel per aquam calcis, vel per cauſticum ſalem, vel per ſodae lixiuium praecipitatis, cauſticum principium adhaerere, cum iſtud et aquae calcis et ſali cauſtico et ſodae, alcali minerale continenti, inſit, immo metallis quoque per alcali volatile praecipitatis, idem iſtud cauſticum adhaerere poſſe, non male coniicit Noſter, ſiquidem metalli menſtruum, acidum nempe, vt recte monet, cauſticum iam continere vel ſali alcali volatili, per alcali fixum ſeparato, vel etiam absque eo per ignem fortiſſimum producto, idem iſtud cauſticum ſe vnire poteſt; ſi etiam alcali volatile, per ſolam putredinem productum, adhibeatur, hoc tamen absque cauſtico per putrefactionem corporum ſeparato, et cum alcali coniuncto, non eſſe, autumat. Cauſſam itaque, cur metallorum calces, per praecipitationem ortae, ſibi inuicem tam ſimiles ſint, et cur eaedem, ſi cum debili lixiuio alcalico commiſcentur, huic rurſus ſaporem magis cauſticum et pungentem concilient, ſpiritumque ſalis ammoniaci acriorem et volatiliorem reddant, in cauſtico illo, ſalibus alcalinis aeque ac calci viuae adhaerente principio quaerendam eſſe, coniicit. Licet vero calx viua nullum ſalem alcalicum contineat, calx viua tamen in vniuerſum conſiderata, ex Noſtri ſententia, alcali itidem in vniuerſum conſiderato ſimilis eſt. Alcali enim, ex eſſentialibus plantarum ſalibus ſola partium transmutatione per ignem obortum, ex terra calcarea, cum acido et pura ſubſtantia oleoſa non combuſtibili coniuncta conſtat, calx viua autem ex terra calcarea et ſingulari quodam igneo acido pingui com-

ponitur, ita tamen, vt ſubſtantiae illae integrantes in alcalico ſale intime inter ſe inuicem coniunctae ſint, et terra calcarea per circulationem in variis plantae machinis cum reliquis ſubſtantiis integrantibus ſubtiliſata et a natura in verum ſalem mutata ſit, calci viuae autem eadem haec terra calcarea craſſior plane inſit, eique igneum illud acidum pingue ex igne exterius quaſi absque arcta coniunctione ſe applicuit. Licet autem nonnullae proprietates, quae ſali alcalico competunt, calci viuae deſint, ſiquidem calx viua non niſi multa aqua ſoluitur, in igne non fluit, et cum acidis nullum ſalem medium dat, quae res aliter ſe habet cum alcali, multa tamen nihilominus cum alcali communia habet. Calx viua enim cum aqua mixta incaleſcit, ſyrupum violarum viridi colore tingit, aquam ex aere attrahit, cum acidis efferueſcit, metalla in acidis ſoluta praecipitat, ſal volatile ex ſale ammoniaco ſeparat, mercurio ſublimato corroſiuo ſoluto in praecipitatione aurantium colorem communicat, ſulphur ſoluit, ſpiritum vini rubro colore tingit, et ſaporem acrem linguae imprimit, quae phaenomena itidem ab alcali obſeruantur, ita, vt ex his pateat, quatenus calx viua ſubſtantia alcalina dicenda ſit nec ne, licet paucum vel nullum plane ſal alcali in ea deprehendatur.

p. 136. Ad ſeparandam cauſticam ſubſtantiam ſalem cauſticum, aqua dilutum, cum oleo vitrioli, aqua diluto, commiſcuit Cl. Auctor, et liquores commixtos deſtillationi ſubiecit, tuncque liquorem in recipiente obtinuit, qui ſaporem nequaquam acidum, ſed quodammodo empyreumaticum et ſtypticum linguae imprimebat. Sali alcali affuſus, hoc cauſticum reddidit, et cum ſpiritu ſalis ammoniaci commixtus hunc ſtatim odore acriorem et volatilem fecit, ſyrupum vero violarum non mutauit. Ex his colligitur, cauſticam illam ſubſtantiam reuera ſeparari et cum

aqua

aqua miſceri poſſe, eandemque ad ſulphuris modum ex acido et ſubſtantia inflammabili compoſitam, et vtramque ſubſtantiam ita coniunctam eſſe, vt acidum a lingua percipi nequeat. Cum deinde cauſticum illud cum ſola aqua coniunctum ſaporem adſtringentem tantum, neque adeo acrem, contra vero cum terra calcarea, vel ſalibus alcalinis acrem adeo, corroſiuum et pungentem excitet, colligitur, cauſticum per ſe non adeo acre eſſe, ſed tum demum fieri, ſi ex coniunctione cauſtici cum terra alcalina et ſalibus alcalicis ſal pungens producatur. Cum porro cauſticum illud ex aqua calcis viuae etiam absque notabili calore adhibito in auram abeat, idemque ex ſale cauſtico et oleo vitrioli cum aqua deſtillatum cum eadem coniunctum prodeat, cauſticum illud ſumma volatilitate donatum eſſe, patet. Cum tandem liquores ex deſtillatione ſalis cauſtici et olei vitrioli, aqua dilutorum, obtenti inque vitris bene obturatis aſſeruati paucos poſt dies ſitum contrahant, hunc ex cauſtico et aqua produci, ex Noſtri ſententia colligendum eſt. Tandem quoque, ad ſeparandam cauſticam illam ſubſtantiam, calcem viuam cum aqua commiſcuit et deſtillationi ſubiecit, tuncque aquam cauſtico illo impraegnatam obtinuit, cauſticum vero, aquae inhaerens et cum ea deſtillationi denuo ſubiectum, non concentrari, id autem per frigus factum fuiſſe, obſeruauit.

Cauſticum memoratum non ex lapide calcareo, p. 148.
ſed ex igne prouenire, ſequentibus Noſter probat. 1) In lapide calcareo, ex quo calx viua obtinetur, partes acidum cauſticum conſtituentes non continentur; 2) terra calcarea, ex aqua calcis praecipitata et ab omnibus partibus peregrinis libera, in igne denuo in calcem viuam mutatur; 3) ſubſtantiae, forti igni ſubiectae, cauſticum illud acidum, vt calx viua, habent: exemplum praebent minium, lithargyrium,

 oleum

oleum vitrioli etc. 4) abſque igne nullum cauſticum producitur; 5) ſal tartari et omnia ſalia alcalia in igne magis magisque cauſtica fiunt, lixiuiumque alcalinum, in quo carbones candentes exſtinguuntur, cauſticum redditur; 6) cauſticum multa cum igne communia habet; ſic calx viua et ſal cauſticum eandem ſenſationem, vt ignis, linguae imprimunt; cauſticum, aquae immixtum, partes oris corrugat; ſal cauſticus corium et pennas, vt carbo candens, corrodit etc.

p. 153. Praeter calcem viuam alia etiam corpora, quibuscum Cl. Auctor experimenta inſtituit, cauſticum ex igne ſuſcipiunt; ſic magneſia alba, terra aluminis oſſaque calcinata dicto principio in igne ditantur. Terram ſiliceam quoque et argillaceam, licet neque cauſticum ſaporem linguae imprimant, neque etiam adfuſo lixiuio alcalino cauſticitatem communicent, cauſticum tamen ex igne ſuſcipere, Noſtro probabile eſt. Nunquam enim ſilices aut arenam per ſe, niſi alcali addatur, in vitrum mutari, conſtat. Hinc coniicit Cl. Auctor, cauſticum forſan, ſali alcalino ſeu terrae alcalinae applicatum et cum ſilicea coniunctum tanquam partem vitri eſſentialem et intime mixtam conſiderandum eſſe, immo videtur ei neceſſe eſſe, vt terra calcarea ex igne cauſticum ſuſcipiat ſicque ſiliceae ſimilis magis fiat: arenam enim et ſilicem a natura acidum, immo adeo cauſticum continere, ſilicesque ex intima coniunctione cauſtici cum terra quadam et aqua conſtare, ex Noſtri ſententia probabile eſt; hanc autem terram indolis argillaceae fuiſſe, et partes argillaceas ſubtiliſſimas, aquae inhaerentes, cauſticum, in quacunque aqua deprehendendum, ſuſcipere et ope aquae durum adeo ſilicem prouenire poſſe, coniicit. Cauſticum porro ex igne ſuſcipit ſal alcali vegetabile fixum oleumque vitrioli, quod, vt Noſter putat, ob idem

idem iſtud cauſticum interdum coagulatur et fumat, ſubque ſpecie ſubſtantiae cryſtallinae et quaſi glacialis et fumantis apparet. Metalla denique memoratum cauſticum ſuſcipiunt, vt calces metallorum, in igne diu ignitae, inprimis minium et lithargyrium teſtantur: hae enim plumbi calces lixiuia alcalina cauſtica reddunt, ſal volatile vrinoſum volatilius magisque cauſticum efficiunt, immo ex ſale ammoniaco ſpiritum fluidum et cauſticum expellunt. His conſideratis denuo quaeſtio a Noſtro mouetur, num etiam metallis fuſis cauſticum inhaereat? ad quam affirmando reſpondet, ita tamen, vt cauſticum hoc partim tanquam pars conſtitutiua, partim tanquam ſubſtantia, interſtitia metalli replens, conſideretur.

Ex omnibus corporibus inflammabilibus, dum p. 170. in aere libero comburuntur, cauſticum in aerem abire, vel corporibus impoſitis ſe applicare, hoc autem, non niſi illis deſtructis, in puritate ſua ſeparari, corpusque inflammabile quodcunque non niſi in aere libero per ignem deſtrui, idemque, ſi flamma eiusdem fuliginem dat, plenariam deſtructionem non pati, experientia docet, quod exemplo ligni fagini et carbonum, ex eo productorum, per experimenta illuſtrat Cl. Auctor. Ex his autem patet, cauſticum maximam partem ex carbonibus, in libero aere candentibus, in auram quidem abire, partem tamen, cineribus relictis, ſi indolis calcareae ſint, vel etiam alcalico ſali, ſi quid cineribus inſit, ſe vnire. Liquet porro, cauſticum calorem ſuum aliis corporibus communicare ſicque teneritudinem ſuam probare. Licet autem partes eiusdem admodum tenerae ſint, tantam tamen teneritudinem habere non videntur, vt vaſa metallica, vitrea et terrea penetrare poſſint, niſi eadem perfecte candeant, ſed tantum caleſiant. Cur autem corpora, igni admota, caleſiant, ex eo Noſter deducit, quod corpora per ſolam tantum

 commu-

communicationem caloris alius antea calefacti corporis, a quo cinguntur, incaleſcant. Cauſticum enim in interſtitia corporum ſe inſinuare, atque hoc modo corpora calefacere, ſed in aerem abiens, hunc calidum reddere, eundemque calefactum corpora circumfluere, ideoque haec calefieri, Noſter arbitratur.

p. 193. His praemiſſis nunc exponit Cl. Auctor, quid illud ſit, quod cauſtici nomine venit. *Cauſticum*, ait, *mixtum ſubtile primi generis, ſubtilis ſubſtantia ſalina volatilis eſt, quae ex acido quodam conſtat, quod cum puriſſima ignis ſubſtantia intime coniunctum eſt.* Itaque in cauſtico hoc mixtionem, ſulphuri analogam et ab omnibus naturae corporibus diuerſam, inſeparabilem nec vnquam deſtructibilem deprehendi eique conueniens nomen acidi pinguis imponi poſſe, autumat. Acidum ei ineſſe, ex eo probat, quod eius ope terra calcarea in aqua ſolubilis euadat, et aqua calcis additione ſalis alcalini terram calcaream dimittat, et ſalia alcalia, eo ſaturata, non vt alcalia ſe habeant, cum neque cum acidis efferueſcant, neque terram calcaream, in acidis ſolutam, praecipitent. Cauſſam autem, cur cauſticum hoc, aquae immixtum, nullum ſaporem acidum excitet, in eo ponit, quod cum inflammabili ſubſtantia intime cohaereat, ſimili ratione, vt ſulphur ſe habet, quod maximam partem ex acido, cum inflammabili ſubſtantia coniuncto, conſtat, neque tamen ſaporem acidum excitet. Verum, cauſticum iſtud non merum acidum, ſed acidum pingue eſſe, quod cum ſubtiliſſima et puriſſima ignis ſubſtantia intime cohaerere debeat, Noſter aſſerit. Alias enim iſtud, vt recte monet Cl. Auctor, nunquam cum ſulphure omnibusque ſubſtantiis pinguibus tam cito, immo citius, quam cum terra calcarea, coniunctionem inire poſſet. Si porro dictum cauſticum merum acidum eſſet, acidum ſaporem ab

eo

eo excitatum, et, ſi ad vnum cognitorum acidorum pertineret, ex coniunctione eiusdem cum ſalibus alcalicis cognita illa ſalia media productum iri, Noſter autumat. Producitur quidem ex coniunctione cauſtici et ſalis alcalini ſal medius, ſingularis igneus, qui alcalicum quidem ſaporem habet, cum ſpiritu vini vero aliisque corporibus oleoſis ſubtilibus ſeſe miſcet, quod alcalino ſali per ſe antea poſſibile non fuit. Quod ad ſubſtantiam igneam cauſtici iſtius attinet, eam tenerrimam puriſſimamque ſubſtantiam igneam eſſe, ex eo Noſter probare putat, quod cum acido coniuncta nullum corpus ſolidum, ſed ſubſtantiam valde ſubtilem, volatilem et penetrantem efficiat. Subſtantiam hanc igneam, praeter acidum, cum quo coniunctum eſt, nullam aliam ſubſtantiam ideoque ne minimum terrae continere, hinc etiam nunquam pro phlogiſto, ſed pro materia lucis habendam, hanc autem ſubſtantiam igneam puriſſimam eſſe, igneamque cauſtici partem pro materia lucis haberi poſſe, Noſter autumat. Solutum enim argentum, cum aqua calcis praecipitatum, et praecipitatam lunam cornuam albam in vitro obturato ſolis radiis expoſitam, et mercurium, in oleo vitrioli ſolutum tuncque cryſtalliſatum, itidem in vitro obturato ſolis radiis expoſitum, eundemque ſublimatum ſoli expoſitum, et mercurium dulcem affuſa aqua calcis colorem nigricantem obtinere, huncque a materia lucis produci, notat. Igneam vero hanc ſubſtantiam et acidum in cauſtico illo inſeparabilia nec vnquam deſtruenda deprehendi, docet. Hoc tandem acidum ab omnibus corporibus, ideoque etiam ab omnibus acidis diuerſum eſſe, nihilominus tamen ob id, quod cum omnibus fere ſe coniungat, cum omnibus affinitatem habere, idemque acido vitrioli vel ſulphuris proxime accedere, et acido quoque nitri ſimile eſſe, aſſerit, idque acidum pingue,

 vt

vt veteres ſubſtantiam ignis vocarunt, nuncupari poſſe, et maſſam integrantem omnium corporum pinguium et mucilaginoſorum ſiſtere, putat.

p. 213. De ortu acidi pinguis aſſerit Noſter, partes eius conſtitutiuas, acidum nempe et materiam lucis, in creatione mundi iam productas, ipſamque harum partium coniunctionem itidem in creatione factam ſtatim eſſe, acidum pingue autem, iam productum, ex aere in corpora inſinuari; et in eorum deſtructione non mutatum egredi, putat.

p. 217. Ex hactenus dictis ſummam nunc colligit Cl. Auctor et ſequentia commemorat. Acidum pingue eſt corpus, cuius genus adhuc incognitum habetur; materies admodum ſubtilis eſt, eiusque praeſentia ſenſibus percipitur; pondus habet, et neque deſtructibile neque ſeparabile, elaſticum vero et volatile eſt; concentratur idem et rurſus expanditur, cum aqua incaleſcit; vim conſtringentem habet, in igne et extra eum plurimis corporibus, neque tamen omnibus, ſe vnit, ex alio in aliud tranſit; cum aliis corporibus coniunctum noua concreta ſiſtit, priſtinas corporum proprietates immutat, et in omnibus corporibus deprehenditur.

p. 236. His de acido pingui praemiſſis, quaeſtio nunc mouetur, an et quomodo iſtud pro materie ignis habendum ſit? Vt haec quaeſtio rite explicetur, triplicem ignis differentiam annotandam eſſe, innuit, primam ignis materiam et puriſſimam, quae omnia corpora inflammabilia tam in foco ſpeculi vſtorii, quam in corporibus ipſis accendit, inflammantem, alteram, in igne culinari deprehendendam, puriſſimae iſtius materiae ignis materiam proximam ſeu acidum pingue, et tertiam demum materiam inflammabilem ſeu ſic dictum phlogiſton vocat. Prima materies ignis puriſſima inflammans materies lucis ſeu

ſeu radiorum ſolarium eſt, quae cum nulla alia ſubſtantia coniuncta, in concentratione ſua exiſtens, lucet, calefacit et inflammat, quae proprietates has atque effectus in foco ſpeculi vſtorii manifeſtat et ignem puriſſimum, cum nulla alia materie coniunctum, nec in alia reconditum ſiſtit. Indoles huius materiae incognita eſt, et non niſi Creatori nota, interim tamen, licet ſubtiliſſima ſit, pro materie habenda. Eadem haec, in foco ſpeculi vſtorii deprehendenda, materies ignis ſubtiliſſima in corporibus inflammabilibus, ligno e. g. carbonibus etc. adeſt, ignemque culinarem conſtituit, qui vero nunquam percipi poterit, niſi inſignis copia particularum lucis ſtatim in ortu corporum inflammabilium ſe inſinuarit, ita tamen, vt eaedem hae particulae profunde in iisdem reconditae ſint, ne corpus inflammabile confeſtim ſe inflammet, ſed ſuo tempore inflammari poſſit. Acidum pingue autem pro materie inflammante ignis culinaris haberi non poteſt, neque vnquam corpora inflammat, niſi inſignis inſuper copia particularum lucis, quae cum nullo acido coniunctae ſunt, in inflammabili corpore adeſt. Particulae hae lucis ex ſole ſplendente et aere in corpora vegetantia intrant, dumque intrant, cum ſubtilibus mucilaginoſis, oleoſis et ſalinis ſubſtantiis, ope acidi pinguis ſimul intrantis irretiuntur; cum autem hoc acidum pingue vim conſtringentem habeat et cum omnibus corporibus, aqua, terra, aere, oleo ſe coniungat, inſtrumentum quoque ſiſtit, quo mediante exiguae illae, leues et volatiles particulae lucis retinentur et irretiuntur, quae cum aqua et terra coniunctae corpus inflammabile formant, ita tamen, vt neutiquam disiunctae, ſed concentratae in eo adſint, ſi corpus inflammabile inflammare debeant. Quodſi nunc corpus inflammabile per frictionem aut calorem aliorum iam ardentium corporum incaleſcit,

elaſti-

elaſticum acidum pingue vna cum lucis particulis, aere et aqua expanditur, nexus incluſarum ignis particularum ſoluitur, corpus in peripheria ſua aperitur, ignis particulae erumpunt, confluunt et corpus accenditur. Itaque primam puriſſimamque ignis materiam lux concentrata, alteram vero proximam mixtamque materiam acidum pingue ſiſtit, quod tot lucis particulas continet, quot acidum eiusdem capere poteſt; hinc vtramque ſubſtantiam in corpore inflammabili adeſſe, et priori inflammationem corporum, ad quam etiam quidquam faciat acidum pingue, poſteriori autem coniunctionem particularum in omnibus corporibus adſcribendam eſſe, colligitur. Patet etiam ex his, vtramque ſubſtantiam, lucis nimirum materiam et acidum pingue, a ſe inuicem differre, et hoc idem eſſe, quod ab aliis aether vocatur.

p. 264. De acido pingui aſſerit Cl. Auctor, iſtud quidem pro materia proxima puriſſimae, inflammantis ſubſtantiae igneae, habendum eſſe, ſiquidem ex puriſſima ignis ſubſtantia, lucis nimirum materie et acido ſubtili conſtet, primum autem ignis principium non eſſe, cum nunquam inflammet, licet in concentratione ſua exiſtens cum aqua incaleſcat, et, ſi cum lucis particulis in corporibus ſubito moueatur, pauxillum lucis reflectat. Idem acidum, vt docet Noſter, ad producendum corpus inflammabile neceſſarium eſt: ſola enim lucis materia connubium cum aqua et terra reſpuit, neque per ſe inflammabile corpus producit, quod tamen accedente acido pingui fieri ſolet, quippe quod altera ſua parte cum materia lucis, ex qua partim iam conſtat, altera vero, acida, cum terra calcarea et aqua ſe coniungit, ſicque inflammabile corpus producit, quo deſtructo materia lucis et acidum pingue in atmoſphaeram, ex qua prouenerunt, rurſus abeunt. Ex his colligitur, nullam

lam aliam ſubſtantiam ad producendum corpus inflammabile requiri, hocque ſic produci et ex terra, luce, acido pingui et aqua componi. Cum vero plurimi, et primus eorum BECCHERUS, alius ſubſtantiae, phlogiſti dictae, mentionem faciant, idque tanquam ignis principium in omnibus corporibus deprehendendum aſſumant, de eo pauca quaedam commemorare Noſtro libuit. Cognitum nimirum eſt, BECCHERUM, qui fuliginem olei aromatici in nullo menſtruo ſolui, nec in vaſe clauſo, ſed in igne aperto deſtrui, tuncque in aere libero ardere vidit, in ea principium igneſcens, ſolam ignis materiam, quae non niſi motu ſubitaneo opus habeat, conſtituiſſe, ideoque dictum principium, ex igne et terra teneriore conſtans aſſumſiſſe. Cum vero Noſter fuliginem tanquam ſubſtantiam mixtam inflammabilem, ex materie ignis, terra et aqua conſtantem conſideret, ea pro materia proxima ignis puriſſimi ſeu pro principio, vt recte monet, haberi nequit; fuliginem interim, inter omnia naturae corpora, maxima in copia tam lucis materiam quam acidum pingue continere, concedit, eandem tamen pro interiori tantum inuolucro materiae igneae, materiam lucis autem et acidum pingue pro duplici quaſi nucleo habenda eſſe, putat.

Cum Cl. Auctor hinc inde dixerit, materiam lucis in corporibus inflammabilibus incluſam eſſe, hanc loquendi formulam ita aſſumendam eſſe cupit, vt materies lucis nullo modo tanquam ſubſtantia, quae in interſtitia corporum tantum ſe inſinuat, ſed tanquam pars conſtitutiua conſideretur. Sic enim oleum ob id, quod materies lucis pars eiusdem conſtitutiua ſit, incenditur et ſaporem pinguem vel cauſticum excitat, ſicque tanquam oleum ſe praebet. Caeterum lucis materia diuiſibilis eſt, et ex partibus admodum exiguis conſtat, eaedemque parti- p.285.

culae

culae adeſſe poſſunt, licet nec luceant, nec calefaciant, nec accendant, nec oculis percipiantur. Si enim multae particulae lucis propius ad ſe inuicem accedant, tunc ignem ſiſtunt, ſi remotius a ſe inuicem diſtant, tunc lucem conſtituunt, ſique magis adhuc ſeparantur, tunc neque conſpici, neque vllo modo ſenſibus percipi poſſunt. Eaedem particulae nunquam ſub forma ignis apparent, niſi calefiant, quo facto, acidum pingue, in corporibus inflammabilibus deprehendendum, et lucis particulae adeo extenduntur, vt omnis nexus tollatur, et multae propiusque iuxta ſe inuicem poſitae lucis particulae ſub ignis forma ex corpore egredi poſſint. Dantur tamen nonnulla corpora inflammabilia, in quorum partibus inflammabilibus elementa ſeu maſſae primordiales tam laxe ſibi inuicem adhaerent, vt eiusmodi corpora etiam absque incaleſcentia facile deſtrui lucisque particulae diſſipari poſſint. Inter eiusmodi corpora eminet phoſphorus vrinae, ad cuius generationem quidquam confert acidum pingue, quippe quod, cum phoſphorus non niſi igne fortiſſimo parari poſſit, omnia vaſa penetrat et reliquis materiis phoſphori ſe vnit. Lucis materiae praeſentia in corporibus etiam absque ignea deſtructione ſe manifeſtat, ſi ad reliquas lucis proprietates attendamus. Sic lux nullam cum aqua communicationem habet; ſic color corporum tum inflammabilium, tum non inflammabilium, ſplendor porro et laeuor materiae lucis, fixitas eiusdem in igne, pondus et calor eam manifeſtant. Cauſſa autem, cur calor oriatur, vel in materie lucis puriſſima, vel in acido pingui, vel in vtrisque, quaeritur. Sic enim calor oritur, ſi materia lucis denſius corpori noſtro applicatur, vt de radiis ſolis, in foco ſpeculi vſtorii, applicatis obſeruatur; ſi porro acido pingui concentrato aqua adfunditur; ſi demum corpus

vario

vario modo motum incaleſcit, quo in caſu tum ad materiem lucis, tum ad acidum pingue reſpiciendum eſt.

Ad decidendam quaeſtionem, num acidum pingue elaſtica aeris materies ſit, primo ad elaſticam illam in atmoſphaera deprehendendam et in corpora quaecunque intrantem materiem, a pluribus aetherem dictam, Cl. Auctor attendit, et, quicquid de aethere dictum ſit, acido pingui applicari poſſe, hocque aetherem eſſe, autumat, quod ſequenti experimento probari, putat. Sulphur viuum nimirum, cum calce viua mixtum et fuſum, maſſam exhibuit ſonantem, quam non obtinuit Noſter, cum ſulphur et terram calcaream non calcinatam, cretam nempe, funderet. Cum itaque maſſa haec et omnia corpora, in igne calcinata ſonora euadant, et ſonus eorum in motu elaſtico acidi pinguis, atque in vi eius, omnes corporis partes extendente corpusque in motum tremulum ciente, conſiſtat, acidum pingue et aetherem, cui idem effectus tribuatur, eadem eſſe, Noſter colligit. Licet autem ex Cl. Auctoris ſententia veriſimile ſit, elaſticam aeris externi materiam eandem eſſe, quae corporibus ineſt, et in deſtructione eorundem ex illis exit, quaeque demum ex igne in alia corpora tranſit, eadem tamen iſta materia ſub variis his conditionibus non vnius indolis eſſe poteſt, interim omne diſcrimen non niſi in maiore minoreque puritate, ſiccitate et concentratione conſiſtit. Externum enim aerem chaos eſſe, in quo acidum pingue baſin quaſi conſtituat, aliis vero cum rebus ita commixtum, vt a puro acido pingui valde diſtinguendum ſit, Noſter aſſerit. p.32.

Alia quaeſtio, an acidum pingue pro materie electrica haberi poſſit, ita explicatur. Monet nimirum Cl. Auctor, acidum pingue partem conſtitutiuam vitri eſſe, ſiquidem nec pura terra calcarea, nec p.33.

ſal

ſal alcalinum, nec terra ſilicea per ſe vitreſcant, vitreſcere autem haec corpora, ſi terra ſilicea cum calcarea aut ſale alcalino commiſceatur. Cum porro vitrum fundi, et fuſum duci poſſit, et frigefactum elaſticum ſit, acidi pinguis praeſentiam in vitro negari non poſſe, Noſter colligit. Quodſi nunc acidum pingue vitro inſit, atque hoc, vt experientia docet, electricum ſit, per frictionem vitri materiae iſtius partem ex eo exire, effectus electricos producere, ipſamque ad minimum materiem electricitatis primariam ſiſtere, colligitur. Requiritur autem, vt vitrum fricetur: frictione enim ſuſcepta non ſolum partes electricae commouentur, ſed vitri fricti fibrae in motum tremulum ducuntur, quo facto elaſticae vitri fibrae hinc inde agitantur, inſimulque materies electricitatis ex vitro depellitur. Quod ad lucem electricam, ignem et pulſum, ſonumque electricum attinet, lux ex Noſtri ſententia a ſolo concentrato acido pingui eiusdemque ſubita extenſione et motu prouenit, eaque a ſcintillis igneis differt, ſcintilla vero electrica verus ignis et flamma quidem eſt, haecque ex acido pingui et ex ſubtili corpore inflammabili, quod in atmoſphaeram electricam abit et accenditur, oritur, et dum ex vitro in atmoſphaeram acidum pingue et vna cum partibus inflammabilibus etiam aqueae intrant, cum his acidum pingue adeo incaleſcit, vt particula inflammabilis pariter quoque incaleſcat, adeo, vt ſe aperiat ſeque inflammet. Hoc igne acidum pingue, cum quo particula aquea ſe coniunxit, adeo extenditur, vt particula aquea rumpatur, ſicque ſonus ſcintillae electricae in aere circumfluente producatur.

p. 359. Vltima quaeſtio, an acidum pingue acidum primigenium ſeu vniuerſale ſit, affirmando iterum explicatur. Recte enim monet Cl. Auctor, neque acidum vitrioli, neque acidum ſalis, vt nonnulli aſſeruerunt,

ruerunt, pro primigenio haberi poſſe, et acidum pingue his prius, imo iam in creatione mundi adfuiſſe. Acidum ſulphuris quoque, vt docet Noſter, pingui acido recentius, ſulphure tamen prius eſt. Vnde autem dictum ſulphuris acidum ortum duxerit, ſequenti modo declaratur: acidum ſulphuris nimirum acceſſu ſubtilium quarundam materiarum ex acido pingui proueniſſe, 1) inſignis copia acidi pinguis in mundo deprehendendi, 2) indoles omnium acidorum, quae cuncta proprietates quasdam acidi pinguis habent, 3) generatio acidi nitroſi in muris calcareis cellarum ſubterranearum ſuadent.

Tandem appendicis loco quaedam de elementis ſubiunxit Noſter, ſub quo nomine materias primordiales intelligit, quae a Deo ſtatim in initio tanquam ſubſtantiae, ad generanda corpora quaecunque maxime neceſſariae creatae ſunt, quaeque nullo modo deſtruuntur, ſed ſemper eaedem manent, ita, vt, dum in deſtructione corporum haec relinquunt, ſe ipſas neutiquam deſtruant, ſed indolem et proprietates immutatas retineant, ac nouorum corporum generationi et compoſitioni denuo impendantur. Ratione numeri elementorum quatuor agnoſcit Noſter, materiem nimirum lucis, acidum pingue, aquam et terram; reliqua cuncta tanquam compoſita, deſtructioni obnoxia conſiderat. Ex quatuor hiſce materiis primordialibus omnia naturae corpora componi, et multa, absque accuratiori luminis et acidi pinguis contemplatione, non explicanda relinqui, Noſter aſſerit, atque, vt ſententia haec paululum illuſtretur, ad fertilitatem humi, quae ex admiſtione calcis viuae, ſuboritur, attendi vult. Si enim calx viua in aggerem accumulatur, ei poſthac aqua affunditur, tumque humus imponitur, vt a vaporibus, ex incaleſcente calce viua prodeuntibus, vndique penetretur, humum hanc, iſtis vapo- p. 373.

ribus foetam et a calce remotam, inſigni fertilitate inſtructam eſſe, experientia docet. Ex hoc autem colligitur, acidum pingue vna cum aqua et luce eam eſſe ſubſtantiam, quae terram fertilem reddat, immo eidem huic acido pingui, in aqua calcis reperiundo, diſſolutionem calculorum renalium et veſicae adſcribendam eſſe, liquet. Quaeritur tamen, vbinam locorum quatuor iſta elementa, in puritate ſua conſtituta, reperiantur? De luce aſſerit Noſter, eam in foco ſpeculi vſtorii, et acidum pingue forſan in calce viua reperiundum eſſe, locum autem ſeu corpus, vbi aqua et terra in puritate elementari deprehendantur, determinare Noſter non audet, atque id difficile eſſe, autumat. Difficile inprimis, vt putat, probari poteſt, terram primordialem, ex qua reliquae terrae conſtent, in natura dari, et forte omnes terras corpora eſſe, ex materia lucis, quae per ſe ſicca et fixa ſit, deinde ex acido pingui, quod ſiccae et durae mixtionis capax deprehendatur, tandem ex aqua, quae in magno frigore vt corpus ſiccum et friabile ſe habeat, compoſita, coniicit. Licet autem materiae hae primordiales in puritate et ſimplicitate ſua difficulter obtineantur, eaedem tamen a ſe inuicem facile diſtinguuntur. Sic character terrae primarius in eo conſiſtit, quod tanquam puluis viſibilis ſiccus in igne aperto nunquam comburatur, ſed fixus maneat. Character aquae in fluiditate conſiſtit, quae ab exiguo ignis gradu producitur, ſine quo in frigore in corpus durum mutatur. Acidi pinguis character eſt, quod inuiſibile ſit et ſapore ſalino ſe manifeſtet. Materia lucis demum, in concentratione ſua exiſtens, vt ignis tantum percipitur, ſique menſtruum inſipidum detur, quod ex corpore aliquo ſolam materiem lucis extraheret, talem ſolutionem ſenſatione caloris vrentis in lingua excitata ſe manifeſturam eſſe, Noſter autumat. Caeterum duas

proprie-

proprietates, elaſticitatem et volatilitatem, lucis materia, acidum pingue et aqua communes habent, ita tamen, vt in luce elaſticitas maxima, in acido pingui minor, in aqua vero paullo minor ſeu minima, nulla autem in terra deprehendatur; ab elaſticitate autem volatilitatem dependere, hinc nullam terram volatilem eſſe, aſſerit. Primordiales has rerum materias, eſſentia ſua immutabiles nec vnquam, niſi ſummum Numen id iubeat, deſtructibiles eſſe, neque etiam vllum elementum per naturam aut artem in aliud mutatum eſſe, nec mutari poſſe, ſed omnia ad conditionem telluris noſtrae neceſſaria, et a ſapientiſſimo Creatore hunc in finem creata eſſe, idque ex conſideratione proprietatum harum materiarum patere, Noſter innuit. Quid autem ſint quatuor iſtae materiae primordiales, quomodo componantur, quaue ratione ex his tam innumera corpora producantur, explicare non audet Cl. Auctor, ſed potius omnipotentiam, ſapientiam et benignitatem Dei admiratur.

Haec itaque ſunt, quae ex egregio hoc libro decerpere licuit: paulo prolixiores quidem in recenſendis hiſce rebus fuimus, id vero tum ob exteros, germanicam linguam raro callentes, tum etiam ob laudandam docti huius, et accurate conſcripti, et candore morumque integritate pleni operis indolem, factum eſſe, fatemur.

X.

The vegetable Syſtem, or a ſeries of experiments and obſervations tending to explain the internal ſtructure and the life of plants, their growth and propagation; the number, proportion, and diſpoſition of their conſtituent parts, with the true courſe of their juices, the formation of their embryo, the conſtruction of the ſeed, and the encreaſe from that ſtate to perfection. Including a new anatomy of plants. The whole from nature only. By IOHN HILL. M. D. London ſold by Baldwin 1759. fol. maj. 1. Alph. 16. plagg. tab. aen. 21.

Id eſt.

Syſtema vegetabile, ſiue ſeries tentaminum et obſeruationum, quibus interna plantarum ſtructura, earumque vita, incrementum et propagatio explicantur: nec non numerus, proportio diſpoſitioque partium conſtituentium, verus in iis ſuccorum decurſus, embryonis conformatio, ſeminis conſtructio eiusque ad perfectionem vſque vegetatio declarantur. Noua plantarum anatome, ab natura deſumta. Auctore IOANNE HILL. M. D.

Qui iam aliis, ad hiſtoriam naturalem pertinentibus, nec non plantarum ſtudium illuſtrantibus, operibus inclaruit Cl. HILLIUS, nunc nouo opere omnis vegetabilis regni ambitum emetiri ſibi propoſuit. Quare iam de ſtructura et fabrica plan-

tarum

tarum acturus, nouam non ſolum anatomen ſe exhibuiſſe adſerit, ſed nouam etiam methodum et vegetabilium diſpoſitionem ſuſcepit. Pretioſum quidem hoc opus, chartae elegantia, characterum nitore, iconum accurata indole ſatis ſe commendans, ad omnium facile manus deuenire nequit, quum vero a Cl. Auctore ſingularia fuerint praeſtita, quae ſollicitum eius ſtudium declarant, totius operis dabimus delineationem, nunc ab anatome, ceu volumine primo, incepturi.

Primum itaque hoc volumen in duas iterum partes ſeu libros diſtribuitur, quorum primum hiſtoriam botanices tradit, alterum vero anatomen plantarum complectitur.

Hiſtoria botanices eſt litteraria et in ſex diuiditur diuerſas periodos. Breuis ea eſt et ſuperficiaria. Cognitio vegetabilium manca erat et triuialis ab initio, in ſcientiae naturalis partem abiit penes veteres Graecos, inter quos THEOPHRASTUS ERESIUS praecipue eminet, cuius doctrinae explicationem ex lectione eius ſcriptorum ſuggerit Cl. Auctor in prima periodo, in altera ad Romanos progreditur, quos inter, quod valde miramur, DIOSCORIDES occurrit, et deinde PLINIUS inclaruit. Ille hoc antiquior eſt, aſſiduus obſeruator, ad qualitates plantarum magis attendit, quam ad characteres, hic incompletum et compilatum opus reliquit. Ab hoc tempore inter botanicos nullus fere referri meretur ad Arabes vſque, tertiam periodum conſtituentes. Hi vero, licet cognitione variorum aromatum botanicam auxerint doctrinam, ex graecis tamen profecerunt. Inter barbaros, quarta periodo, nil acceſſit, quinta demum incidit in tempora reſtauratae ſcientiae. Sexto demum ſeculo p. C. N. RUELLIUS comparuit, laude omni dignus, quem multi exceperunt. Noua autem et ſexta periodus cum CAESAL-

PINO incipit, qui ſyſtematicorum botanicorum primus eſt, poſt eum ſequuntur multi; alii ſemina ſeu fructus, flores vel eius partes iterum alii adſumſerunt, quos nominat Cl. Auctor. RIVINI tamen mentionem ſub RIVERII nomine ſemper facit, HEUCHERO inuentionem ſyſtematis tribuens. LINNAEI methodum perennem futuram eſſe praeſagit, ſed, quod ipſe breuibus notiſſimum hoc ſyſtema tangit, nos quoque cum eodem ad librum progredimur ſecundum.

Propius in eo ad ſtructuram vitamque plantarum conſiderandam accedit, et vegetabilium partes ſingulas ſolidas, deinde fluidas, harum denique decurſus per illas diſquirit. Verum, quod natura aliquando a conſueta recedit via, extraordinarias conformationes ſimul contemplatur, ſuamque peruestigationem variis corroborat exemplis. Quadraginta nouem capitibus abſoluitur tractatio.

p. 26. Vegetabilibus locus animalia inter mineraliaque medius eſt, a quibus, qua ratione diſcrepent, ex Ill. LINNAEI ſententia declarat Noſter. Materia quidem omnibus eadem eſt, ex terra deſumta, differentiam facit vaſorum ordo et ſtructura. Variis adminiculis et maceratione potiſſimum partium conſtituentium cohaeſio tollitur, quarum hac ratione ſeptem diuerſae partes, in ſingulis praeſentes plantis, digno-
p. 29. ſcuntur; cortex nimirum exterior, interior, contextus celluloſus, (*blea*) ſubſtantia carnea, medulla, inter carnem et contextum celluloſum vaſorum ſeries, tandemque coni vaſculoſi. Nulla planta non has partes habet, quae ad ſummum apicem progredientes, ſi flos ibidem conſtituitur, terminantur ſic, vt exterior cortex calycem, interior petala externa, contextus celluloſus petala interna, vaſorum ſeries nectaria, caro filamenta, coni receptaculum, medulla ſemina atque capſulas efformet. De ſingulis

his

his partibus nunc ſeorſim agit Cl. Auctor, et exempli loco elegit *Helleborum nigrum foetidum*, cuius ſcilicet planta integra cum radicibus teneris, non admodum profunde deſcendentibus, ex terra erui facile poteſt, quod exhibita icon docet. Haec eadem planta eſt, quam Noſter in partium ſtructura declaranda vbique fundamenti loco ponit. Singula radicis fibra a principio ad finem amplitudine imminuitur et in tuberculum oblongum definit. Tres in ea partes diſtingui poſſunt, prima, ceu initium, glabra obſcure fuſca, altera villoſa, tertia prope tuberculum albida deprehenditur. Tuberculum autem illud, quod ab aliis nondum obſeruatum eſſe dicit, non craſſius tantum eſt, ſed etiam in fine coecum, nec apertum. Sic apparet hyemali tempore, vernali vero mutatur. Quare huius ſpecialem diſquiſitionem ſuſcepit Noſter, nec non cuncta momenta figuris expreſſit. In diſſecto eodem media apparet cauitas, alba inueſtita medulla, huic viridis ſubſtantia ſeu caro ſupereſt, cui interius adhaerent ſex vaſculorum coni, finibus ſuis medullam perforantes. Ad externum carnis latus vaſculorum ſeries decurrit, ſuper qua occurrit tela celluloſa tandemque ſequuntur cortices. Ex hac itaque obſeruatione nouum conditur ſyſtema; nutrimentum plantae a ſpongioſa ſuſcipi cauitate et ex hac demum in hiantia ibidem vaſcula diſtribui. Coniicit porro, in animalibus forte vaſorum lacteorum eandem ſtructuram eſſe, vermem Gordium, qui capite deſtitui creditur, habere illud, ſimiliter gelatinoſo ſucco obductum, radices vegetabilium gelatinoſum ſuccum ſtillare, ſi reſcindantur, immo vulnus ſuum eo claudere. Addimus, quod obſeruatio nos docuit, radiculam quamcunque, recens formatam in planta iam vegetante, primo loco ſub pellucidi ſucculentique tuberculi forma apparere, id, quod optime in Balſamina conſpicitur. p. 31.

p. 34. Vtut autem a radicis fibra nutrimentum ſuſcipitur, haec non corpori radicis originem dat, quin potius ab ea producitur, id, quod in Hellebori radice manifeſtum eſt. Corpus tamen radicis medullam habet, a reliquis partibus diſtinctam et ſeparatam, ſuper quam conica vaſa feruntur, quae ſubſtantia viridi ſeu carne teguntur. Haec cum medulla nectitur, per eam vario decurrit modo, immo proceſſus format, ſeries deinde vaſculoſae apparent, et contextus celluloſus circa radicem in arcum ducitur ad eius baſin, ſuperius in caudicem continuatur. His tandem reliquae partes ſuperimponuntur. Fibrae vero ipſae ex carnoſae radicis partis externa ſuperficie naſcuntur, quae veſicae inſtar intumeſcens per ceteras partes tranſit, ſimulque contextum celluloſum et corticem ſecum rapit. Eadem ratione ex
p. 37. ſuperiore loco radicis caudex progreditur, et quidem duplici modo, vel in ſummitate gemmam conſtituit, vel productio radicis eſt profundior, ſummo tantum in loco gemmam habens, eadem illi ac in fibra eſt conformatio, directio ad ſuperiora tantum variat. Gemma itidem tanquam veſicula ſuperius procedit, quae ex vaſorum confluxu exeat. Tota itaque planta ſimiles conſtituentes partes habet, quae niſi proportione ſua variant, vbiuis autem ſeptem illae, ſuperius a nobis nominatae, ſubſtantiae adſunt.

p. 42. Expoſitis his, ſingularum partium quaeuis ſpeciatim conſideratur. Externus cortex, cuius praeparandi et a reliquis partibus reſoluendi modum deſcribit Noſter. Ex ſimplici membrana conſtat, cui interius viridis materies adhaeret, quae tenuior in radice, in reliquis autem partibus craſſior fit. Per microſcopium vero tum extus tum intus ex retiformi ſubſtantia conflatus apparet, immo ſtudioſior diſquiſitio docuit, duplicem membranam eſſe, cui ſubtilia vaſcula interſint, quae ingenti numero perpetuis

tuis anaſtomoſibus iunguntur. Color exterioris membranae luteus, interioris albus, vaſculorum fuſcus videbatur. Ex his vaſculis quaedam in interna ſuperficie minutis oſculis aperiuntur, vnde Cl. Auctor ſucculentum corticis ſtatum deriuandum eſſe coniicit. Ex variis porro exemplis comprobat, in omnibus plantis eandem eſſe ſtructuram, leuioribus tantum intercedentibus differentiis, et, vbi ſuperficies piloſa eſt, pilos vaſcula eſſe extus aperta et exhalantia. Hinc ex vaſculis concludit, ſuccum in corticem deſtillari, qui cum alius ſit ac in ipſis vaſculis indolis, forte glanduloſo, ad orificia vaſculorum conſtituto, opere eundem perfici. Ab hoc ad interiorem corticem pergit Noſter. Hic exteriore craſſior eſt, et colore variat, omnibus in partibus plantae exteriori cortici ſubeſt, exceptis petiolis, quibus exterior tantum cortex et alius nullus datur. Conſtat autem ex variis ſtratis, quorum ſingulum ex duplici membrana, cui vaſcula interſunt, conflatur, vt in externo cortice. Vaſculorum numerus magnus copioſas facit anaſtomoſes, vaſa vero non arcuata, ſed obliqua decurrunt. Singulum vaſculum tubus eſt, ornatur autem oualibus glandulis, vnitur cum vicinis per obliquos canales, et obtuſioribus oſculis patet in exteriorem corticem. Sed, quod ſtratis intercedit ſpongioſa ſubſtantia, arbitratur Cl. Auctor, humores per glandulas ſecerni, in contextu ſpongioſo mutari, mutatos ab oſculis obtuſis iterum recipi reuehique. Tela enim celluloſa, quae poſt deſcribitur, omnes partes ambit, et ſuccos diuerſos continet, cellulae tamen vaſcula adhuc quaedam decurrentia admittunt, in quibus, praeter inflexionem irregularem et fere ellipticam, connexionem notat cum interiore cortice, per propagationem nempe membranularum et eodem modo cum parte ſubiecta ſeu cum ſeriebus vaſculorum. Haec vaſa, ab

p. 45.

p. 55.

altera parte carni, vt vocat Cl. Auctor, imponuntur,
in Helleboro ita procedunt, vt nectaria floris for-
ment. Vnicum autem horum vaſorum ſtratum eſt,
hinc etiam hucusque praeteruiſum. Ipſe vaſorum
decurſus ad longitudinem fit, nullaque iis intercedit
communicatio: teguntur vbique membranula lute-
oli coloris, ſimulque vberius oſtenditur, quo modo
p. 59. ad nectaria accedant. Poſt corticem in arboribus
ſequitur lignum, ſubſtantia mollior huius loco in
aliis herbis eſt, quare nouo nomine eam partem No-
ſter *carnem* appellat. Haec in Helleboro tandem
in filamentis ſtaminum deſinit. In omnibus autem
plantis haec ad eſſentiam pertinet, ſi deſtruitur,
planta abſolute perit, et ab omnibus aliis corporibus
naturalibus hac ſola plantas diſcerni credit Noſter.
p. 60. Structura per microſcopia aegre cognoſcitur, quod
eius materia opaca eſt. In tranſuerſim diſſecta fibra
lignum hoc vaſculis et conis intereſt, vaſa autem,
quae hanc partem ſimul conſtituunt, non album,
aquoſum, ſed coloratum et eſſentialem plantae ſuc-
cum vehunt, qui odore, ſapore, et virtutibus ſeſe diſ-
cernit, atque, quod omnia replet, impellucidas par-
tes reddit. Exterior carnis ſuperficies vaſculis tene-
rioribus ramoſisque ornatur, quae valuulis interdi-
p. 62. ſtinguuntur. Coni tandem vaſculoſi, etſi in carne
deliteſcant, diſtincta tamen ſunt corpora, a coloratis
vaſculis, certa ratione inter ſe coniunctis, proueni-
entia, pellucidisque vaſculis iterum conteguntur.
Nutritia vero cenſentur vaſa eſſe, quod in foliis etiam
praeſentia deteguntur. Ex nodo enim vaſculoſo,
coloratum ſuccum continente, nouus ſaepe naſci-
tur, ex quo tum colorata, tum pellucida vaſcula pro-
cedunt. Horum conorum diſtributio et expanſio
totius plantae ſceleton exhibet; deſcribuntur et pin-
p. 64. guntur ex Helleboro. Ex meris cellulis conſtat me-
dulla, intimo loco poſita, ſingulae parti, exceptis
foliis

foliis, peculiaris data, ſic, vt vnius partis medulla cum alterius non communicet; has cellulas vult Noſter materia ſpongioſa inter ſe iungi. Continent autem ſuccos, qui etiam exſudantes ex carne et conis iam dictis, inſpiſſatique videntur originem dare membranulis, medullam facientibus.

Perluſtratis itaque omnibus partibus, plantam conficientibus, melius intelligitur, in quo vita plantae conſiſtat, ſub quo nomine venit Noſtro omnis vegetandi et creſcendi facultas. Hanc vero Cl. Auctorem in carnoſa ſubſtantia plantae ponere, iam ſupra monuimus, ſiquidem illa in omnibus non ſolum plantis eſt, ſed etiam, ſi illa deſtituitur, perit. Neceſſe tamen eſt, vt ſucci in hac ſubſtantia moueantur, ſine quo motu vita nulla eſt. Is autem motus, quum carnoſa materies filamenta faciat atque antheras, formationi plantulae, quam in farina vel puluere antherarum contineri ſtatuit Noſter, inſeruit. Vaſa quippe illa, variis anaſtomoſibus iuncta et in ſe redeuntia, oualem circulum faciunt, ex quo ramuli ad filamenta, antheras ſeminaque pertingunt. In antherarum ergo cauum deponitur ille ſuccus, atomos carnoſae maſſae continens, exſiccatus farinam formans, quae ex rupta anthera ad ſtigma decidit. Singulus farinae globulus, ceracea quaſi materie obductus, diſſiliens plantulam ſiue particulam vaſcularis carnis huic tribuit, et nouum rudimentum plantae conſtituit. Eodem modo, a vaſculorum ramulis, ad ſemina delatis, lobi ſeminales et ſeries vaſculoſae efficiuntur, quod ſtudioſe deſcribitur, in primis, quum carnem, vt diximus, vim omnes partes plantae faciendi et reſtituendi habere adſumſerit Cl. Auctor.

Huius rei demonſtrandae cauſſa nunc in exemplo Raphanus conſideratur, cuius partes omnes egregie delineantur. Liceat ex his praecipua adducere.

p. 66.
p. 68.
p. 70.

cere. Filamenta ſtaminum, quae ex carnoſa ſubſtantia plantae oriuntur, reticulari inueſtiuntur cuticula: ſub hac decurrunt ſimul vaſcula ex ſerie vaſculari, quorum officium eſt, ſuppeditare humores viſcoſos, quaſi ceraceos, quibus, qui ex ſubſtantia filamenti formatur embryo, defendatur. Subtiliſſima nempe vaſcula in veſiculas excreſcunt, qui per maturitatem fiunt globuli farinae, in has carnoſa ſubſtantia ſimul intrat, et augetur, vſque dum ob impeditum vlterius incrementum veſiculae ſiue globuli cum vaſis accedentibus exſiccentur et oualis circulus embryonis remaneat. Hic ob teneritudinem in terra ſolus creſcere nequit, hinc in ſemine prius recondi debet. Globuli farinae plerumque, vt aliorum etiam ex tentaminibus ſcimus, in aqua diſſiliunt, aliqui tamen
P. 73. non aeque vt in raphano; quod autem aqua praeſtari nequit, per artem, adhibito quandoque oleo, obtinetur. Eiusmodi vero atomorum in vna anthera multa millia continentur, quae, vt Cl. HILLIUS putat, per minutos ſtigmatis poros ad ſtyli cauum et ſemina ſic feruntur, vt eadem intrent: ſiquidem in illis ante antherarum aperturam vacuitas, poſt diſperſum puluerem embryonis praeſentia, et quidem eadem ſub forma, qua in farina haerebat, fuerit de-
P. 76. tecta. In tali embryone, quem alii plantulam ſeminalem vocant, ſeptem plantam conſtituentes partes ſolas oculo bene armato iam apparere adſerit Noſter, neque tamen omnes partes plantarum formatas hic in compendio quaſi inuolutas adeſſe, ſed per vegetationem continuatam ſenſim naſci. Cauſſas incrementi in aere et calore quaerit, in primis autem in
P. 79. ſeminalium foliorum ſtructuram inquirit. Notat praecipue, ad fabricam horum foliorum carnis particulam accedere, quae in foliis radicalibus non adſit. Haec carnis molecula intumeſcens, ad foliorum ſeminalium petiolum accedens, in tres partes abit

abit arcuatas et cauas, in tubos extendendas, vbi ad folium acceſſerint, a ſe inuicem recedentes, ſimulque vaſculares conſtituunt glomeres ſiue conos ſemper duos, qui in folia diuiduntur. Mediantibus itaque his et innumerabilibus exinde productis ramuſculis ſubſtantia foliorum exiſtit, quae membranis teguntur et contextu celluloſo ſtipantur, orificia autem membranarum, cum ſpongioſo habitu communicantia aeque humores imbibunt, ac ex radice coſtae foliorum faciunt. Hi ſucci calore mouentur, in foliis praeparantur et nunc ipſam ſeminalis plantulae plumulam ad incrementum diſponunt. Gemma p. 84.
enim diu quieſcens et ad ſenſum vix creſcens nunc ſubito incrementa capit. Conſtat ex carnoſa parte, quae ex radice accedit, arcuata et intus caua eſt, ſed medulla repletur. Carni extus omnes reliquae conſtituentes adhaerent. Iuxta gemmam exoriuntur folia radicalia, quae ex illa maſſa enaſcuntur, quae gemmam ſuſtinet, ita, vt ſint expanſio membranarum huius partis. Conſtant enim ex duplici membrana, contextu celluloſo et conis vaſculoſis, exiguaque carnis portiuncula. Senſim expanſa folia ſuccos ad radicem mittunt, iisdemque nunc demum gemma expanditur in caudicem, ex quo folia, eodem modo formata, exeunt, quae in ſuis alis denuo gemmas propellunt, rudimenta ramorum. Gemma talis integram plantam producit, quod tentamina docuerunt Cl. Auctorem. Immo eadem ratione ex ramis noui naſcuntur, vel flores, farina et embryones. Sicque totius abſoluitur plantae vita. Num circulatio ſuccorum fiat, diſputatur, ſed ex p. 88.
noua carnis et conorum vaſculoſorum formatione, nullibi deſcripta, apparere iudicat Noſter, ex parte tantum circulationem fieri, ſuccos autem, ex gemma, dum creſcit, ad omnem plantam ferri et in flore deſinere. Quo de his euidentiora conſtent, conſiderat

derat ſeorſim *Colchicum*, quod ex radice et flore, *Aconitum hyemale*, quod ſine caudice, ex radice, folio florali et flore, et *Anemonem*, quae ex caudice folioſo cum flore conſtat.

p. 89. Colchicum radicem habet ſolidam, bulboſam nonnullis ſquamis extus tantum tectam, irregularem, oualem, in baſi vtrinque productio eminet, fibris radicalibus ornata, longior florem huius anni, breuior ſequentis continet. Teneriorem praeter ea laxioremque in ſummitate ſubſtantiam habet, ex qua flos
p. 91. producitur. Bulbus enim ipſe, neque radix vera eſt, neque aliquid producit, ſed placentam conſtituit, fere vt in animalibus praeparantem ſuccos ad nutritionem foetus. Summitas autem haec radicis increſcit, floremque producit, dum prior ſemina perfecit: mox noua formatur gemma tertia, quae ex ſubſtantia bulbi producitur. Hinc vitae plantae origo eſt in calloſo luteolo capitulo radicis, vnde fibrae naſcuntur et floris receptaculum. Idem enim apparet in ſato colchici ſemine, in quo plantula ſub forma annuli elliptici carnis luteolae apparet, quae cum capitulo radicis dicto conuenit. Ex hoc annulo, motu ſuccorum dilatato, quaedam partes intus protruduntur, quae conos vaſculoſos formant, quaedam extus, quae ſeries vaſorum, contextum cellu-
p. 95. loſum, corticesque efficiunt. Succi ex terra hauſti, aquoſi in carne igitur praeparantur, mutantur, miſcentur, ſaporem odoremque contrahunt, quod officium carnis eſt. Euaporantur per diem ſucci, nocte iterum reſorbentur, hinc nulla vera circulatio fit: qua vero ratione ex vna parte ad alteram ſucci deueniant, per glandulas perficiantur, immo carni traditi ad nutritionem adhibeantur, vberius Cl. Auctor exponit.

p. 98. Simplex hic ſuccorum in Colchico decurſus, iam magis fit compoſitus in ſic dicto Aconito hyemali,

quippe

quippe quod praeter ſcapum floriferum ex radice quoque folia quaedam producit. Conſtat enim ex quinque diuerſis partibus, radice, foliis radicalibus, caule, folio florali et flore. Sed in hac planta ſucci ex carne radicis ad omnes partes, quae inde participant, deueniunt, ex foliis autem ad radices iterum reuertuntur. Radici eius tuberoſae horizontali omnes inſunt genuinae plantae partes, ex ea quoque nouae hinc inde gemmae naſcuntur, ſquamis inſtructae. Hae, prout fibrae radicis, ex carne et reliquis partibus proueniunt, ſibique ipſis medullam faciunt. Qui vero ſurſum producitur ſcapus, ſex tantum conſtituentes partes habet, ſicuti folia radicalia, quae exteriore cortice deſtituuntur, quippe qui ad caput radicis deſinit. Caro foliorum tubos conſtituit, ad quos intus ſex coni vaſculoſi formantur. Hinc folia p.101.
a Cl. HILLIO pro glanduloſo opere, ſecernendis praeparandisque ſuccis inſeruiente, habentur. Scapus quidem intus ex parte cauus eſt, conos autem habet duodecim, qui, quo magis ad ſuperiora veniunt, eo propius ad ſe inuicem accedunt, formato vero folio florali fere confluunt ad receptaculum floris formandum. Folium florale ex interno cortice, contextu celluloſo, ramisque vaſculoſorum conorum formatur, hinc reliquae tantum quinque partes ad florem accedunt. Contextus celluloſus exteriori ſua membrana petala, quae euoluta lutea euadunt, conſtituit, caro ad filamenta fertur, quae exterius nouam membranulam luteolam ſupra ſe habet, ex qua nectaria fiunt. Haec autem ex pedunculo et corpore conſtant, quod colorem cerae habet, ſuccumque continet, vaſcula quoque membranis contegentibus inſunt. Cum petalis tamen non connectuntur, ſed cum filamentis; ſingulum nectarium ad tria ſtamina pertinet iisdemque ſuccos largitur. Anthera ſingula duplex eſt, quae immediate p.104.
ex

ex filamento dilatato producitur. Vaſcula tandem ſeminalia ex medulla generantur et in ſtigmata caua deſinunt, quae apta ſint excipiendis globulis farinae. Quum autem carnis maior copia ſit ac in Colchico, plures non ſolum partes in hoc Aconito formantur, ſed etiam totum altius excreſcit. Obiter notat Cl. Auctor, ſuccos caulis coccineo colore tingere.

p. 108. Plura adhuc cognoſcuntur ex Anemone, in qua duplex ſyſtema circulationis eſt, alterum in radicis corpore, alterum in caulis inferiore parte. Ex radice nempe ſucci ad medium adſcendunt caulem, ibi carnoſa maſſa arcum facit, per quem ſucci iterum redeunt: ex hoc loco autem noui etiam ſucci ſuperiorem partem caulis propellunt. Deſcribit autem Noſter vegetationem totius plantae: radices tuberoſae, a latere decurrentes, gemmae ſunt ſquamoſae, quae, quamdiu cum radicis principis corpore cohaerent, fibras non formant, ab eo vel ſeparatae, vel amplius non nutritae, nouum corpus radicis efformant, fibras propellunt et in integram demum plantam excreſcunt. Quum per aliquot annos gemma increſcat, prius florem quam producit, vberrime et docte omnes hic euenientes mutationes deſcribit Cl. Auctor, quae vero cunctae eo collimant, vt carnem ſic dictam, rudimentum in radice plantae aeque eſſe demonſtret, prout ab eo in ſemine et farinae antherarum globulo adſumitur. Quieſcere tamen vegetationem, vel admodum lente procedere alia

p. 121. quoque exempla probant. Campanulae Canarienſis radicem per integrum annum, vtut ſaniſſimam non vegetaſſe vidit Cl. Auctor, nec non Polypodii radicem, quae per quinque et ſupra annos non increuerit, vsque dum in aliud deferebatur ſolum.

Aſt, ſicut natura aliquando minus, ac ſolet, efficit, ita quandoque plus praeſtat, quod exemplo *Ananas proliferae* comprobat Noſter, quae loco

vnius coronae folioſae plures efformauit. Comparat communem creſcendi modum cum hac, et quum carneae fibrae decurrant in medio fructu ſine medulla, ſolo contextu celluloſo praeſente, qui pulpam fructus conſtituit, illae in ſummo loco in ellipticam concurrunt formam et coronae foliorum originem praebent. In prolifera itaque fibrae plures eiusmodi ellipſes et coronas conſtituebant.

His expoſitis, externam formam parteſque plantarum nec non conformationis rationem breuiter deſcribit Cl. Auctor; nos vero notamus, naturalem methodum, vt arbitratur, ex conſtituentibus ſeptem ſic dictis partibus, optime conſtrui poſſe, quippe p.131. quae non niſi ex anatome poſſit recte debeatque deſumi. Huius itaque ductu ſeptem ſequentes tantum plantarum familias facit: 1) *Fungos*, carnoſae ſubſtantiae ſine foliis, aliisque viſibilibus partibus. 2) *Algas*, quae folia habent praetereaque nihil. 3) *Muſcos*, qui proceſſus ſunt interioris corticis foliorum loco. 4) *Filices*, quae ex ſolo folio conſtant, ad caulem adhaerente, ſemina in dorſo gerente. 5) *Gramina* geniculatis caulibus, foliis integris, ſeminibus intra glumam reconditis. 6) *Palmas*, ſimplici ex trunco conſtantes, foliis in ſummitate, floribus et fructibus in diſtincta ſpica ſeu ſpadice. 7) *Plantas communis ſortis*, quo pertinent omnes reliquae, radice, caule, foliis, floribus fructibusque inſtructae.

Singulas haſce familias ſingulari exemplo illuſtrat Cl. HILLIUS. Ex fungis exempli loco elegit *Tuber*, quod ad Lycoperdon retulit Ill. LINNAEUS. Deſcribitur omnis eius fabrica. Rotundus eſt globus, ſuperficie tuberculata, tuberculis ſtellatis, duplici cortice cinctus. Exterior fuſcus, interior denſior eſt luteusque, intereſt materia glutinoſa, ſubeſt corpus tuberis, materia nempe alba gelatinoſa, tubercula faciens et carnoſa tuberis pars. Intus deinde

inde vaſculum ponitur vario conuolutum modo et gyroſum, cuius ſuperficiei ſemina adhaerent. Microſcopio patet, vaſculum duas habere membranas pellucidas, quarum exterior denſior eſt, interior veſicularis, quaelibet veſicula quatuor continet ſemina, quorum ſingulum tuber nouum eſt. Omnium harum partium datur operoſa deſcriptio per microſcopia facta.

p. 136. *Algarum* familia explicatur ex *alga conuoluta* mere membranacea. In hac quidem Cl. Auctor ſemina videre non potuit, comparat autem cum vegetatione metallica. Naſcitur ex plana baſi, extenditur in tubum cauum, inteſtinorum in animalibus ad inſtar, varie gyratum et conuolutum, terminatur in finem coecum.

p. 138. *Muſcorum* naturam explicat: *Bryum collo oloris* (*Swan's Neck Bryum*) quod eſt *Bryum caeſpiticium* LINN. Conſtat ex caule tenero, nutante, vnde nomen eſt, capite florifero inſtructo, foliis oualibus, circa caulem poſitis et fibris radicalibus fuſcis. Folia ſunt oualia, acuminata, caua, ſubſtantia reticulata. Potiſſimum attendi meretur capitulum caulis, calyptra cylindrica, reticulata, ſuperius aperta, ore coccineo, obtectum. Capitulum autem illud non mera eſt anthera, ſed fructificationis partes continet. Figura eius oblonga eſt, pyriformis, ſubſtantia coriacea, caua, per cuius medium vaſculum ſeminale adſcendit, quod transuerſis vaſculis ad ſuperficiem internam capituli adfigitur, et ſemina intus adfixa habet. Operculum capituli intus radiatum, ſub membrana inueſtiente recondit antheras ſeu globulos farinaceos, qui puluerem, maturi redditi, ſeminibus inſpergunt.

p. 144. Inter *filices* deſcribitur *Polypodium folio vario*, aut folio quercus dictum. Notatu digna ſunt tubercula, in auerſa foliorum parte poſita. Haec an-

nulo

nulo geniculato ad auerſam foliorum paginam adfiguntur, et pedunculo filamentoſo inſident. Papillam receptaculum eſſe dicit, annulum antherarum collectionem. Hae diſſiliunt ſemenque replent.

Ad *graminum* naturam explicandam elegit Noſter *gramen luxurians* ſeu Poam viuiparam LINN. Deſcribit totam plantam, differentia eſt in valuulis, quae ob lautum incrementum in folia, gramineis ſimilia, excreſcunt. p. 145.

Palmae tandem ſpecimen adducitur. *Palma* nempe foliis pinnatis ſeu coccifera, quae in ſpadice diſtincto flores mares et feminas fert. p. 147.

Ex his itaque differentiis partium conſtituentium varietas fabricae et creſcendi modus dependet. Sed, quum aer et humiditas vegetationem faciant, vltimo tandem loco Noſter inquirit in lucis efficaciam in plantas. Priores cauſſae molem, hae formam, colorem et qualitates tribuunt vegetabilibus, id quod variis exemplis experimentorum docetur, ſimulque ſomnus plantarum explicatur, de quo tamen iam alibi expoſuit Cl. Auctor, et varia demonſtrauit Ill. LINNAEUS.

Perſpicuum tamen ex his fieri arbitramur, nos non immerito laudes adhibitae operae Cl. Auctoris decernere, quum ex compendio adducto appareat, eum potiſſimum in inueniendo rudimento plantarum fuiſſe occupatum, nec improbabilem plane hypotheſin defendiſſe. Deſideramus tantum, ex omni hac theoria arborum, ſeu lignoſorum truncorum perenniorem vitam, nouamque ſtratorum conformationem, libri lignique ſucceſſiuam indurationem, non ſatis cognoſci, nec non plantarum hybridarum geneſin, quae tamen certis tentaminibus confirmatur, minus eidem fauere. Optamus etiam, vt aliquis naturae perſcrutator, cui vires et occaſio ſuppe-

 tunt,

tunt, haec nimis multa nouaque inuenta ſollicite repetere atque confirmare velit.

De methodo, in ſequentibus voluminibus propoſita, aeque ac de generibus plantarum adſumtis, propediem ſumus dicturi.

XI.

Kongl. Vetenſkaps Academiens Handlingar för År 1762. Vol. XXIII. Med Kongl. Academiens Tilſtånd. Tryckte i Stockholm hos direct. Lars Salvius 1762. 8vo. pl. 20. tab. aen. 7.

h. e.

Acta Academiae Regiae Scientiarum Suecicae. Vol. XXIII. Anni 1762.

Trimeſtre primum.

p. 1. 1) PETRI IONAE BERGII ſcriptum *de arthritide* praemio decoratum. Quaeſiuerat Academia, cur arthritis recentioribus temporibus magis communis in Suecia eſſet, et quibus remediis vel praecaueri vel tolli poſſit. Primo ergo ex antiquis libris medicis Suecorum oſtendit, nec olim plane ignotam, imo tempore GUSTAVI I. ſatis vulgarem fuiſſe. An aucto ditiorum et lautius viuentium numero increuerit, vix credit, ſatis expediri poſſe, ea igitur, quae in genere efficiunt, vt latius diſſeminetur morbus, ſaltim recenſet. Primo vero generalem morbi hiſtoriam, ſua experientia nixus tradit,
p. 7. vbi podagrae et arthritidis vagae id diſcrimen ſtatuit, quod tranſpiratione pedum fortiore criſis citius et perfectius obtineatur. Deinde cauſſas, quae producunt arthritidem, enumerat. Sunt vero illae: 1. paren-

parentes, haereditatem illam liberis relinquentes; 2 contagium, quod vxoribus arthriticorum inprimis contingit; 3. vita lautior, cibi nutrientes, vinum, otium ab animi corporisque laboribus immune; 4. frigus; 5. febres diuturnae neruoſae. Addit cauſſas ſecundarias, errores in iuuentute commiſſos, ſudorem pedum ſuppreſſum, ſanguinis euacuationes conſuetas cohibitas; paſſionem hyſtericam et hypochondriacam in rheumatiſmos et arthritidem abeuntem. Arthritidem minantur fila, in vrina recens emiſſa natantia, inprimis, ſi vna trium priorum, quas diximus, cauſſarum praegreſſa fuerit. Huic praeſcribit Noſter diaetam inprimis vegetabilem, motum, venaeſectionem in pede, ſi plethora adſit, aquas minerales aeſtate, et hieme remedium quotidianum ſaponaceum. Analyſin etiam chemicam nodorum arthriticorum parum nos docere de ipſius materiae morbi productricis natura exiſtimat, cum nihil oſtendat, quam ſtatum humorum noſtrorum, dum induruerunt. Plus diſci putat a caſu, quem Cl. PYE *) adduxit, arthritici, qui vomitu materiam viridem, ad minerale acidum acrimonia accedentem, reiecerat ſicque liberatus a morbo fuerat. Credit Noſter, huic viro id ſubito contigiſſe, quod alias paulatim euenit, cum materia peccans ſudore et tranſpiratione educitur. Durante paroxyſmo non alia remedia adhiberi poſſunt, quam quae arthritidem in artubus coerceant et materiam malignam, vt facilius auolare poſſit, praeparent. Tempore a paroxyſmo libero curandum eſt, vt materia morbi ſemper ad pedes pellatur, vbi ob tranſpirationem fortiorem facilius exit. Si pars arthritica tumet et materia peccans tranſpirat, ceſſat dolor, ſaltim eo in loco, et donec noua materia acceſſerit. Si regur-

p. 11. p. 13. p. 15.

 gitat

*) vid. Medical Obſeruations and Inquiries. Vol. I. Lond. 1757. 8. p. 41. et Comment. hor. Vol. VIII. p. 299.

gitat, nouosque inſultus excitat, febris inprimis remedii loco adhibenda eſt, quo in extremitatibus coerceatur. Si in nodos cogatur, ſal cornu cerui vino rhenano ſaturatum praebetur, adhibitis veſicatoriis. Suadentur etiam diluentia ex floribus ſambuci et dulcamara. Parti adfectae optime pannus laneus imponitur, qui calore et frictione prodeſt.
p. 16. Repellentia omnino prohibentur. Arthritidem plerumque in podagram commutari poſſe credit, ſi ſtatim ſub initium veſicatoriis aliisque irritantibus materia ad pedes alliciatur; vel excipit eam, a quarta cauſſarum ante enumeratarum oriundam, quae venaeſectione, laxantibus, diaphoreticis et nitroſis, potuque diluente cum dulcamara, feliciſſime tolli
p. 17. poteſt. Diaetam moderatiorem eamque inprimis vegetabilem, et lactis vſum arthritidi tollendae commendat, iisque ſolis eam ſublatam eſſe nouit. Remedia ſuadet ſaponacea, materiam arthriticam reſolutura et abſterſura. Calcem, cuius vſum alii in arthritide ob vim eius lithontripticam ſuadent, vix probat, plures enim vidit aqua calcis fruſtra copioſius vſos. Magis conuenire credit amara veterum, inprimis aegris corporis laxi et mollis, viditque multis arthriticis amara profuiſſe. Nulla vero remedia proſunt, ſi diaeta non ſeruetur. Tolli nequit arthritis, ſi vel ob aetatem prouectiorem vires corpori deſint, illam in extremis detinendi, vel extremitates ita nodis repletae ſint, vt haerere ibi maior materiae arthriticae copia non poſſit; tunc non poteſt non in viſcera ſe recipere, aegrum occiſura.

p. 20. 2) *Erucam, et in quam abit, phalaenam, apum deſtructrices*, deſcribit ADOLPH MODEER. Eſt illa tum omnibus fere, qui de apibus ſcripſerunt, tum inſectorum hiſtoricis nominata, LINNAEO Mellonella in Syſt. nat. ed. X. T. I. p. 537, 577. ſed oeco-

noinis

nomis ſuecis minus cognita. Vtilis ergo his aliisque eſt Noſtri labor. Duo erucarum genera, apibus infeſta, quae SWAMMERDAMIUS Bibl. Nat. p. 209. verſ. germ. adducit, ex Noſtri ſententia ad vnum pertinent. Phalaenae enim, quae cum tardius ad mutationem ſuam ſe accingunt, tota hyeme in chryſalidum ſtatu manent, vere ſequente emergunt, et ab his erucae naſcuntur, minores vtique illis, quae iam in aluearíis hyemarunt. Ipſarum etiam phalaenarum color, magis aut minus obſcurus, vel a ſexus differentia naſci poteſt, vel a ſquamulis, quibus alae et corpuſcula pulueris ad modum teguntur, minus aut magis detritis. Reliqua de origine inſecti, damnis, et modis illud deſtruendi, fere cum aliis ſcriptoribus communia habet. p. 31.

3) *Montes et alpes minores vtiliter pecudi paſcendae adhiberi, experimento probat* ANTON ROLANDSSON MARTIN. Sermo ipſi eſt inprimis de alpibus Noruegicis prope Bergam vrbem, vbi commoratus eſt. Monet vero, pecudes in his locis natura duce excelſa quaerere, plantas autem, animalium pabulo idoneas, omnibus in locis creſcere, ad quae adſcendere poſſunt animalia, vix altius; vnde colligit, fimo animalium et diſſeminari has plantas, et loca, vbi creſcunt, ſtercorari. Iam, quas plantas, pecori paſcendo aptas, in his alpibus repererit, enumerat. Sunt vero illae: feſtucae, decumbens, ouina viuipara, rubra; anthoxantum odoratum, quod ineunte Iunio inter niues alpium, vel in locis, vbi defluxerat nix, reperit; poa alpina viuipara copioſiſſimum eſt poſt anthoxantum graminis genus in Noruegia; calore aeſtiuo ſiccatur et flaueſcit, ſed autumni humiditate et temperie ſubfrigida reuiuiſcit, foliis ad radicem et intra ipſos flores luxuriat, folia decidua radices agere obſeruauit LINNAEUS; poa p. 45. p. 48.

annua ſtatim poſt niuis defluuium progerminat, copioſe creſcentem vidit in agris, vbi auena creuerat; aira ceſpitoſa; airam coeruleam, copioſe ad litus maris in pratis non ſtercoratis creſcentem, miratus eſt; aira montana; allium vrſinum, adeo proficuum pecori pabulum, vt Noruegi, quam bene paſcatur pecus deſcripturi, allium vrſinum comedere dicant, ſaporem tamen allii cum lacte communicat; feſtuca fluitans, agroſtis capillaris, holcus lanatus, phleum alpinum et alia gramina montana. Suadet, vt his pratis Sueci vtantur, et habitationes ad montes rei pecuariae deſtinatas exſtruant, cum iam vel nulli omnino vſui adhibeantur, vel magno cum incommodo aeſtate ſaltim pecora inde a pluribus milliaribus illuc agantur. In monte, qui PONTOPPIDANO iudice hexapodas ſuecicas 400 ſupra maris ſuperficiem eminet, anthoxantum et alia graminum enumeratorum reperit. Sunt vero illorum radices perennes, quod de ipſa poa annua ſuſpicatur, cum poſt primum niuis defluuium, radices eius in plures ramos excurrentes, folia, flores repererit.

4) *Problema ad geometriam curuarum pertinens* ſoluit ANDERS PLANMAN.

p. 62. 5) *De electrica vi cryſtalli Islandicae* agit TORBERN BERGMAN. Scripſerat ei WILSONUS, in cryſtallo Islandica, mediocriter calida, frictione vim electricam nullam excitari, ſed ei fini frigefaciendam eſſe, commendaueratque Noſtro, vt in Suecia, vbi facilius frigori exponitur, idem tentaret. BERGMANUS vero primum examinauit ſpatum n. 2. LINN. in Suecia reperiundum, *dubbelſten* appellant; eſt illud cryſtallo islandicae per omnia ſimile, ſaltim minus pellucidum. Id vero non frigidum, ſed calefactum electricum reddi potuit. Eodem modo

res

res ſucceſſit cum lapidibus, quos cryſtalli nomine Noſter accepit. Ex his igitur et DELAVALLI, de quibus WILSONUS ſcripſerat, experimentis colligi poteſt, non omnem cryſtallum vel ſpatum omne hac in re ſimile eſſe, ſed rem curioſorum inquiſitioni vlteriori eſſe commendandam. Simul edit Noſter WILSONI obſeruationem, in *tourmalino* vt vocant, qui cryſtallos hexedras habebat, fluidum electricum ſemper iuxta granum quod appellant, ſeu directionem, qua cryſtallus formata erat, ſe mouiſſe. Hinc colligit, polos velut electricos cuiuis tourmalino eſſe binos, a formatione lapidis pendentes. p. 64.

6) *De optimo modo conchas margaritiferas aperiendi, et de ſtatu piſcationis concharum illarum in Suecia* agit NIC. GISSLER. Amant conchae illae aquas in vallibus infra montes ſitis fluentes, item cauitates, quarum fundum ſaepius ſol illuſtrat. Plerumque verſus auſtrum iacent in vmbra, vnde fluuios meridiani directione currentes, quod illos ſyluae adiacentes minus tueri poſſunt aduerſus ſolem, parcius incolunt, quam qui ad orientem vel occidentem vergunt. Iam aquas, conchis his diuites, nominat, ſed dolet in multis iam vix amplius reperiri, vel enim conſilio exemtae ſunt, vel exſiccatis rimis minoribus effectum eſt, vt perierint. Moueri conchas fluuiatiles eo inprimis indicio colligit, quod ad litus in fluuium proiectae poſtridie in medio fluuii reperiantur, et via velut, per quam progreſſae ſint, in arena conſpiciatur. Amant conchae aquas frigidiuſculas et limpidas; ſi aquis, quas inhabitant, impuriores aut ochra ferrea fetae admiſceantur, margaritarum et concharum color eſt ferrugineus. Optimae ſunt, quarum longitudo quartam vlnae partem, latitudo manum tranſuerſam adaequant. Superficies muſco et luto tegitur, figura lata eſt et obtuſa ad p. 65. p. 70.

 extre-

extremum minus; fundo argillaceo inſiſtentes, intus
albidae et in paruis fluuiis reperiundae, margarita-
rum bonarum ſpem praebent. Alia bonitatis indi-
cia ſunt faſcia aequabilis a puncto ſplendente in ex-
terna teſtae ſuperficie ad marginem prope extre-
mum minus extenſa; teſtarum figurae curuatae, cur-
p. 71. uaturis ſibi mutuo reſpondentibus cet. Plurimae
margaritae reperiuntur in teſta ſiniſtra ad extremum
minus, rarae et viliores ad maius extremum et in
parte teſtae inferiore. Alia ſigna bonitatis recenſet
FISCHERSTRÖM *). In aquis parum profundis
conchae manu prehenduntur, aut pedum digitis, in
profunditate 3 aut 5 vlnarum forcipe ex abietis li-
p. 72. gnis conſtructa. Sedet autem margarita inter et in
membrana conchae fimbrioſa alba aut griſea, prout
parti albae et ſplendenti teſtae, aut margini griſeo
imminet, vt ſi in confiniis reperiatur, partim alba
ſit, partim griſea. Figura margaritae ſaepius com-
preſſa, vndulata, conica, hemiſphaerica cet. repe-
p. 73. ritur, quod ſine motu contingere non poteſt. Nun-
quam albam, quae teſtae adhaeſerit, reperit, omnes
adhaerentes griſeae aut alio modo informes ſunt.
Quo magis margarita intra albam teſtae partem re-
peritur, eo durior, contra eo mollior, quo magis
margini griſeo imminet, extremo eius adhaerentes
adeo molles ſunt, vt cultro poſſint ſecari et ſtrata
illarum numerari. Griſeae pleraeque albis mollio-
res ſunt, et ſi faſcia griſea margaritam ambiat, vel
dentibus in duas partes ſcindi poteſt. Interdum
albae margaritae maiores ſtrato griſeo circumdantur,
cultro facile ſeparando; ſi fundus fluuii argillaceus
eſt, margaritae pellucidae albido-coeruleae ſunt, to-
tae albae et pellucidae, ſi fundus ex arena aut lapide
puro conſiſtit. Interdum nucleus griſeus ſtratis al-
bis ſatis bonis circumdatur, ſi margarita in margine
orta

*) vid. Kongl. Vet. Acad. Handl. för Apr. Mai. Iun. 1759.

orta ſit, poſt, compreſſione teſtarum magis verſus interiora protruſa. Interdum etiam expellitur, vnde margaritae in arena, aut in auibus aquaticis, quae arenam deglutiunt, reperiuntur. Si griſea margarita in concha detegatur, remota membranae, in qua includitur, parte, contractione membranae margarita propius parti teſtae ſplendenti admouetur, a qua ſtrata albida accipit, colore poſt albido coeruleo futura. Prodeſt etiam margaritam griſeam, par- p. 74.
tibus teſtae albidis contuſis circumdatam, linteo inuolutam ſoli exponere et ſubinde aqua ex teſta madefacere. Albidae margaritae, ſed non ſatis pellucidae ſole, aquam, cui immittuntur, calefaciente, puriores redduntur. Ad geneſin margaritarum cognoſcendam haec faciunt: in excrementis animalis reperiuntur ſubtiliſſimae laminae albidae, ſubſtantia et colore teſtae albidae interiori per omnia ſimiles, in inteſtinis animalis et in primis prope exitum ſaepius minimae rotundae margaritae reperiuntur, item anguloſae, pellucidae, informes. Nec difficile eſt, viam, qua hinc ad teſtam progrediantur, detegere. Igitur margaritam credit Noſter particulam p. 76.
matris, quam vocant, perlarum, ſtaminum ſcilicet, qualia membranam, teſtam interius perioſtei ad modum inueſtientem, componunt, in partibus animalis inferioribus ortam et rotundatam, motu vero animalis et teſtae ea in loca, vbi reperitur, propulſam. Iam prolixe methodum docet, qua exemtae ex aqua p. 78.
conchae, nullo ſuo damno, poſſint aperiri, margaritae, ſi quae inſunt, tolli, conchis vero rurſus in aquam proiectis nihilominus vitam conſeruantibus et genus propagantibus, forte etiam alias margaritas producentibus. Aetatem concharum ex incre- p. 80.
mentis teſtae annularibus computat, et eſſe colligit, quae ſeculum viuant, margaritiferarum vero externam faciem ſenium et velut habitum reliquis

dete-

deteriorem prodere, vixque 60 annis ſeniores reperiri.

p. 81. 7) *De ſpartio ſcopario eiusque viribus medicis* agit IO. ODELIUS. Exercitum Suecicum, medio Ianuarii 1759 hyberna in Rugia intrantem, inuaſit febris catarrhalis, plerumque criſi imperfecta finienda, tumentibus aegrorum pedibus et hydrope ſaepius ingruente. Purgantia parum profuerunt, quaeſiuit ergo Noſter, militibus curandis tunc occupatus, diureticum pro copia, qua adhibendum erat, ſatis vile, adhibuitque primo lixiuium cinerum iuniperi, non infelici ſucceſſu; ſed cum frequentius in inſula creſceret ſpartium ſcoparium, adeo vt igni faciendo adhiberetur, cremauit illud igne aperto, et lixiuio cinerum, eo ſucceſſu, vſus eſt, vt copioſe vrina flueret et tumor ſubſideret. Accidit hoc februario et martio, antequam ver inciperet. Alius lixiuii huius ſapor fuit, et effectus fere melior lixiuio cinerum iuniperi.

p. 83. 8) Ex *diario Academiae* haec referuntur: aureos duos ſingulos 10 ducatorum Sparrianos, optimis ſcriptis cuiuis anno inſertis deſtinatos, Academia dedit LUNDIO, *piſces quomodo velut ſeminandi ſint*, docenti, et KALMIO *de frigoris vehementis in vegetabilia effectu* exponenti. In poſterum vero hos nummos praemia eſſe vult quaeſtionum proponendarum ſolutionum, cuiuis vero, cuius ſcriptum de quacunque materia edi in Actis Academiae meretur, nummum argenteum promittit. Praemio *medelae pratorum muſcis obductorum* propoſito dignus iudicatus eſt
p. 84. IAC. STENIUS *). Quaeſtioni *de arthritide* BERGIUS optime reſpondit, et alii ei proximo argen-
p. 85. teus numus datus eſt. Proponuntur nouae quaeſtiones; *an conducat arbores aedificiis ſtruendis dicatas,*

*) vid. Comment. hor. Vol. XI. P. II. p. 355.

tas, dum adhuc radicibus terrae inſiſtunt, cortice priuari, aut ſi id negetur, quomodo poſſit fullonibus alio modo ſubueniri? item, *quomodo erucae, arbores frugiferas deuaſtantes, poſſint deſtrui?*

Trimeſtre ſecundum.

1) IO. LECHÊ *hiſtoriam mellis roſcidi (Honigthau)* refert. REAUMURIUS detexit, ab aphidibus excerni, et inprimis ab iis, quae ſambucum incolunt. Noſter vero aphides omnes excrementa ſua proiicere aſſerit, docetque, quomodo obſeruari id poſſit, ſiue in arbore humili, cuius ſuperiora ſaltim ſol illuſtrat, vbi particulae proiectae lumine ſolari reſplendentes conſpiciuntur; ſiue ramum aphidibus onuſtum, imponendo aſſeri colore obſcuro tincto, vbi ſplendore ſuo proiectae partes in aſſere diſtinguuntur, etiam cum ſiccae ſunt ſplendentes, ſiue parte tubi terreſtris tria vitra ocularia continente, microſcopii ad modum adhibita, vulgare enim microſcopium vſui hic non eſt, cum propius accedendo ad haec inſecta, ſimus illa forte in excretione hac turbaturi. Eodem modo obſeruauit chermem lucido-griſeam, malos et ribes incolentem, ex poſterioribus guttulam pellucidam emittere, quam formica lambit, et, ſi aliquamdiu nulla emiſſa ſit, chermen antennis leniter pulſans quaſi ſollicitat. Ceterum dulce illud, quod aphides excernunt, non formicae ſolum amant, ſed muſcae, papiliones, ichneumones, cantharides cet. innumeras eam ob cauſſam arbores, quas aphides inhabitant, frequentantes, vt eadem ratio ſit, haec inſecta ac formicas culpandi, quod arboribus detrimentum adferant. Cum igitur mellis roſcida ab aphidibus ſit, non reperitur, niſi vbi aphides copioſae ſunt. Imbre abluitur, roris et nebulae humore deducitur, et in guttas formatur. Qui

p. 87. p. 93. p. 94.

p. 95. Qui ſub arboribus aphidum plenis, dum ros decidit, verſantur, poſſunt hoc mel in veſtimenta aut crines recipere, quod PLINIUS illuc e coelo decidiſſe refert. Frumenta illo infici dixerunt, qui alios omnes plantarum morbos cum hoc melle confuderunt. ACREL in deſcriptione coloniarum Suecicarum nouae Sueciae narrat, a certis arboribus pluuiam decidere, coelo ſereno, nullo indicio vnde oriatur, nulloque eius circa arbores veſtigio. Id, niſi ab aphidibus aut inſectis ſimilibus, eſſe non poteſt. Aeſtate feruida et ſicca copioſe adeſt mel roſcidum, fauet enim calor et ſiccitas procreationi aphidum, et
p. 97. mel pluuia non abluitur. Tali aeſtate 1761 vix planta erat ſine aphidibus. Ipſum tanacetum criſpum (LINN. Fl. Suec. ed. 1741. 666.) vaſtabant. Erant tanaceti aphides rubrae, et comminutae ſuccum rubrum edebant, illasque formicae ſequebantur, indicio, vel illum tanaceti amarorem ab his inſectis in dulcedinem mutari. Extra dubium igitur poſitum eſt, mel roſcidum ab aphidibus excerni, eſſe vero plantarum, quem ſugerunt, humorem, vnde hac re ſine dubio damnum plantis adferunt, nullo qui no-
p. 101. tus ſit inſectorum horum vſu. Iam vbi de auxiliis contra haec damna acturus eſt, monet, inſectorum variorum ouula in ipſo, quod ſeritur, ſemine eſſe poſſe, eaque in re forte prodeſſe macerationes ſeminis in lixiuiis variis inſtitutas, quod haec oua deſtruant, non ſemina fecundiora reddant. Deinde de aliis quibusdam inſectis, damna vegetabilibus inferentibus, ſuſpiciones profert.

p. 105. 2) *Nouum fungi genus* deſcribit OTTO. FRID. MÜLLER. Ex corpore ſphaerico paucis diebus cylindrica forma excreſcit; pars ſuperior diffinditur, vnde foramen exiguum circulare in medio naſcitur, quod paullatim ampliatur, dum latera recedunt, et velut

velut calicem efficiunt, margine fuſco, materia ſplendente repletum, cuius, vbi omnem amplitudinem conſequutus eſt, ſuperficies ſuperior, ante ſplendens, nigreſcit, margo perit et abit in pileum picis nigredine horizontalem, ſuper pedunculo verſus terram acuminato. Mox pileus verticaliter deorſum inclinatur ad 3 aut 4 latera, ſeminaque ſua diſpergit, fungus vero in mucum fuſcum mutatur. Hunc fungum vnice reperit in ligno fagino caeſo, in fagis radici inſiſtentibus nec ipſi nec aliis viſus eſt. Floret a ſeptembri ad decembrem et vtcunque ſaeuiat tempeſtas, ſex ſeptimanis ab origine matureſcit. Differt ab aliis fungis inprimis hac re, quod ſemina in pilei ſuperiori ſuperficie reperiantur et ex ea diſpergantur, vnde etiam pileus non, vt alii fungorum pilei, verſus ſuperiora erigitur, ſed quo excidere poſſint ſemina, verſus inferiora inclinatur. Saporem habet gelatinae ſubdulcem, et ſunt, qui eum edunt, lignis caedendis occupati. Eoque magis veroſimile eſt, eſculentum eſſe, cum inſectis nullis domicilium aut eſcam praebeat. Sed in aqua coctus gluten ſatis forte praebuit, vnde *fungum glutinoſum* inuentor appellat.

3) *De qualitatibus et vſu rubri coloris ex hyperico obtinendi* agit PETR. ADR. GADD. Chem. Prof. Aboenſis. Tres hyperici ſpecies examinauit; hypericum flor. trigynis, perforatum et quadrangulare LINN. ſyſt. nat. T. II. p. 1184. quae duae Finniae indigenae ſunt, et flor. pentagynis, caule fruticoſo, fol. lineari - lanceolotis, a KALMIO ex America adlatum. Hoc nullum plane colorem rubrum praebet, ne quidem ex antheris rubeſcentibus, quas prae reliquis duabus praecipuas habet. Prima ſpecies plus coloris ſecunda praebet. Exit vero color ex vtriculis, accuratiore demum examine detegendis, p. 115. p. 116.

ex

ex nulla alia plantae parte. Ea coloris receptacula in foliis, flore, caule, ſuperfuſo ſpiritu vini deteguntur. In ſicca planta punctulorum obſcure rubeſcentium ſpeciem praebent. In ſecunda ſpecie plerumque ad exteriora petalorum, corollae, calycis et in foliorum marginibus reperiuntur, in prima magis in diſco foliorum et ad caulem plantae. Ambae ſpecies maxima habent in ſuperioribus ſtaminum aut antherarum, ex quibus acu apertis humor rubeus effluit. Eae ſemiplenae ſunt, antequam antherae piſtilla impraegnauerint, poſt ſicceſcunt. Neque tamen inde colligere licet, nutriendo pollini in-
p.117. ſeruire, cum et aliis in locis reperiantur. Tentamina cum ſicca planta inſtituens reperit Noſter, quod olea deſtillata citius, quam expreſſa, ruborem extrahant: inprimis oleum aniſi citius, ſed oleum terebinthinae tardius, citiſſime et plurimum ſpiritus vini extrahit. Aqua parum, item acetum vini et aqua, ſolutiones ſalium continens. Spiritus vitrioli ruborem viuidum extraxit, ſed tarde; ſpiritus ſalis communis pallidiorem, ſpiritus nitri acido ſuo ruborem deſtruxit, dilutus vero effectus ſpiritus vitri-
p.118. oli oſtendit. Alcalinorum alia alium colorem extraxerunt, ſed heterogeneis adeo mixtum, vt purus obtineri non potuerit, cum alcalia et materiam omnem ruboris huius deſtruant et reliquas partes hyperici ſoluant. Igitur, quo purum hunc colorem alcalinorum ope obtineret, valde diluta adhibuit, neque diu ſtare infuſa ſuper hyperico paſſus eſt. Ita vitello oui et ſpiritu ſalis ammoniaci etiam
p.119. hunc colorem obtinuit. Ex quibus omnibus colligit, ſuccum hunc nec gummi eſſe, cum aqua ſola non ſoluatur, nec reſinam perfectam, cum ſpiritu vini, quo ſolutus eſt, diluto, nihil rubri praecipitetur; proxime vero accedere ad gummi laccam, (habita ratione effectuum, quos acida edunt) et pro

molis

molis ratione magis tingere, quam gummi laccam et ſanguinem draconis, vt optandum eſſet, hypericum noſtrum multum eius coloris continere. Credit vero, medicamentis praeparandis aeque adhiberi poſſe hypericum quadrangulare, ac primam illam ſpeciem, quae ſola iam officinalis eſt. Tandem quae in vſum tinctorum tentauerit, enarrat, et experimentis confirmat, varios colores, pannis tingendis aptos, ſatis elegantes et conſtantes etiam obtineri hinc poſſe. p.120.

4) *Obſeruatio eclipſis lunaris d.* 18. *Maii* 1761 a STRÖMERO et WARGENTIN *inſtituta.*

5) *Cajaneborgi ſitum geographicum* definit ANDR. PLANMAN.

6) *Gallam ſingularem* deſcribit TORBERN BERGMAN. Multas eiusdem generis reperit vnica vice in cortice quercus, et cum LINNAEO communicauit, qui nouae editioni Faunae Suecicae eam ſub nomine Cynips quercus corticis inſeruit. Proprium inprimis haec galla habet marginem, velut annulum conicum inuerſum, tubulis inſtructum, in quorum nonnullis microſcopio detexit corpuſcula, rotunda, radioſa, polypis ſimilia, quae, an recentibus tubulis omnibus inſint, definire non audet, cum ſiccos tantum examinauerit. In gallis quibusdam cynipedes integras, mortuas reperit. p.139.

7) *Pendulorum per arcus finitos in aere, qui in ratione duplicata velocitatis reſiſtat, excurrentium velocitatem* in quouis loco inuenire docet FRID. MALLET. Aſtron. Obſ. Reg. Vpſal. p.143.

8) *Modum facilem palos in terram etiam ſolidam adigendi, ope gruis et feſtucae* deſcribit C. F. NORDENSKIÖLD.

9) *Aquam ex receptaculo prope Landscronam hauſtam chymice*, methodo MARGGRAFII examinat ALEX. MICH. STRUSSENFELT.

p. 158. 10) *Obſeruatio rarior obſtructionis glandularum.* Auctore I. G. WAHLBOM. Puer ſesquiennis, febri lenta peribat, nullis vnquam remediis adhibitis. Noſter, cui cadauer ad vſus anatomicos concedebatur, poſtquam in arterias venasque ceram iniecerat, et abdomen venam portae repleturus aperibat, eam cum meſenterio et inteſtinis iniectione viridi iam plenam reperit, cuius multum etiam per venam emulgentem dextram extrauaſatum in abdomine inueniebatur. Glandulae vero meſentericae omnes durae erant et obſtructae, inprimis hepar integrum, nulla parte excepta, durum et ſcirrhoſum, quo vaſa hepatis anguſtiora ita erant compreſſa et obturata, vt pauca vaſa, quae ſanguinis circulationem adhuc permittebant, eam amplitudinem eſſent conſecuta, quae materiem ceraceam ad venam portae admitteret; imo venas maiores cultro vſque ad anaſtomoſes illarum cum venis hepaticis proſequi licebat; arteria vero parua hepatica iniectionis ſuae rubrae multum in venam hepaticam transmiſerat. Veſicula fellis fere vacua, iniecta materia in abdomen extrauaſata, remota reperiebatur. Ren dexter durus et obſtructus, eiusque ſuperficies anterior et conuexa vna cum tunica propria exulcerata et exeſa, velut a putredine fortiore, qua etiam vena emulgens fragilis reddita erat et vreter dexter, vt forcipe prehenſus diffringeretur. Penetrauerat vero exulceratio ſaltim ſubſtantiam corticalem ad paucas quasdam papillas,

pillas, altera pars dorſo obuerſa ſana erat, nulla materies et nihil inſueti in ventre.

11) *De terra ſcabiei hominum animaliumque tollendae* adhibita refert IO. L. ODELIUS. Suecis a morbo, cui medetur, *Skabb-jorden* dicitur: ad accliuia collium reperitur, vbi humiliores betulae, abietes, iuniperi fruteſcunt, iis in locis, vbi humidi quidpiam reſtare ſolet, etiam ſupra lapidibus terra tectis. Colore eſt albo griſeo, ſaepius in ſuperficie externa inaequalis. Vere efferueſcere dicitur et farinae aqua ſubactae atque in panes nondum coctos formatae ſimilis eſſe, creſcente vero calore, concidit et in orbes plerumque formatur. Nulla alia herba tegitur quam muſcis. Cultro tollenda eſt, nam ad digiti profunditatem infra eam alia terra eſt; quo magis alba eſt et criſpa, eo melior iudicatur. Humida lenta eſt et cohaerens, ſicca vero, tactu in puluerem tenuem albido griſeum diſcutitur. Ruricolae in Södermannia contra ſcabiem animalium cuiuscunque generis hanc terram adhibent, ſiccam manu applicant loco adfecto, cui ſi exeſus ſit, cum ſaxo nitroſo (*Muria* LINN. *n. 6. S. N. ed. Lipſ. p.* 164.) remixtam adhibent, ſecuri de auxilio. Canibus et felibus interne praebent: hinc factum eſt, vt et hominibus contra ſcabiem interne daretur, cuius rei tres ſaltim caſus refert Noſter, duorum infantum et viri adulti, felici ſucceſſu non deſtitutos. Vni infantum os, vbi morbus ſe exſerebat, etiam vnguento ex terra hac et pinguedine animali facto illitum eſt. Sapor eſt argillae, ex qua tubuli tabaco ſugendo fiunt, aut teſtarum ouorum. Carbonibus iniecta crepitat et ſcintillas rubro coeruleas proiicit, odorem vero tunc nullum edit, ſed flamma candelae admota fere ad modum ceſpitis bituminoſi foetet. Cum acidis non efferueſcit; neque coloris aut ſaporis

p.160. p.161. p.162.

ris quicquam ex ea extrahit aqua calida diu ſuperinſiſtens, ſpiritus vini quatuordecim dies cum ea digeſtus, oleum quoduis expreſſum; ſed oleum terebinthinae eo tempore paulo magis flaueſcere viſum eſt. Calcinata crepitat, deinde rubet, rurſusque refrigeſcens puluerem nigro griſeum, ſubtilem, ſaporis expertem relinquit, vix cum ſpiritibus acidis efferueſcentem. Nullus motus ab adfuſo oleo tartari per deliquium: nulla magneti obedientia. In calcinatione adſcendebat pinguedinis aliquid, ipſum fundum crucibuli ſuperioris permeans, colore nigrum, odore primum empyreumatico, ſed euaneſcente. Eſt igitur haec terra proprium argillae genus.

p. 164. 12) *Aquilam tripedem* deſcribit ERIC. GUST. LIDBECK prope Londinum Sconiae viſam. Tertius pes intra duos conſuetos poſitus erat, curuatus, forte quod aui impedimento eſſet, digitis 7 inſtructus, nullo poſteriore. Plumarum et vnguium colores ſollicite deſcribit Noſter, de nexu huius pedis cum corpore animali nihil dicit, forte quod examinare illum accuratius non licuit.

Trimeſtre tertium.

p. 168. 1) *De ventis* quaedam notat PETR. VARGENTIN. Poſt illa, quae de ventis conſtantibus HALLEIO debemus, breuem hiſtoriam Suecicarum obſeruationum meteorologicarum Auctor texit. Inde ab anno 1720 *Vpſaliae* tales inſtituerunt Profeſſores aſtronomiae et obſeruatores; Cl. HELLANT inde
p. 176. a 1740. meteora et phaenomena coeleſtia *Torneae* vel ipſe obſeruauit vel obſeruari curauit. Similem induſtriam adhibuere SCHENMARK *Londini Scanorum*, GISLER *Hernoſandiae*, RÖNGREN *Louiſae*

ſae: omnes autem *Aboae* ſuperauit Cl. LECHE, cuius obſeruationum conſpectus, miro artificio concinnatus, ſtatim nobis occurret. Ex eo, cum Cl. MUSSCHENBROEKII obſeruatis comparato, colligit Cl. VARGENTIN, in Finnia, vt in Batauia, maximam anni partem occupare ventos, occidentalem et inter occidentalem et auſtrum medium. Tandem monet, Cl. CELSIUM quatuor gradus venti, qui in obſeruationibus Vpſalienſibus ſolent annotari, non aliter diſtinxiſſe, quam ab effectu venti in quercum aliquam magnam horti obſeruatoris vicini.

2) Sequitur ipſum illud *compendium obſeruationum meteorologicarum*, quas Aboae inſtituit IO. LECHE. Et quidem hic eius pars I. *de ventis*. Exhibentur vero 19 tabulae, in quibus perſpici poteſt, quinam venti, quibus anni diebus, qua vehementia inde ab initio anni 1750 vſque ad finem 1761 flauerint. Subiiciuntur corollaria, vt: per integros hos 12 annos non niſi 89 dies omnino ſine vento fuiſſe, eorum plurimos ianuario, decembri, martio, pauciſſimos maio, iunio, octobri, vnicum anno 1757; mediocres ventos aut nullos plus quam dimidiam partem horum 12 annorum occupaſſe; vehementiores tertiam; et ſimilia, quae ad leges tempeſtatum tandem eruendas vtiliſſima eſſe poſſunt; ſed obſeruationes poſtulant, a priuatis non expectandas. p. 179. p. 187.

3) *De rubo arctico plantando* Auctore Ill. CAR. LINNAEO. A reliquis rubi ſpeciebus caulibus, quartam vlnae partem altis, non ſpinoſis, annuis, foliis ternatis, floribus rubris, et baccis receptaculo non deciduo, facile diſtinguitur. Proxime ad polarem circulum, ad eius tamen latus meridionale vbique terrarum creſcit, ad ſinum Hudſonis, in Sibiria, circa ſinum Bothnicum cet. non tamen repe- p. 192.

ritur in denſa illa ſilua arborum reſinoſarum, quae Lapponiam a Bothnia diſtinguit. Baccas fruticis ſapore omnium, quae ſine cultura per vniuerſam Europam creſcunt, optimo eſſe dicit, quapropter in Suecia auſtraliore plantare rubum plurimi tentarunt, ſed parum feliciter. Ill. LINNAEUS, cum in horto academico eam regulam obſeruat, vt cuilibet plantae ea adhibeatur cultura, quae climati, in quo indigena eſt, ſit ſimillima, vidit, borealibus inprimis plantis nocere magnam illam viciſſitudinem vernalium dierum in Suecia calidarum et noctium frigidiſſimarum. Igitur rubum ſub hyemis initium muſco texit, qui, cum glacie eſſet obductus, vere ineunte abietum ramos ſuperiniici iuſſit, ne praecox calor glaciem funderet, remoueri vero haec demum menſe maio: inde felicem fructuum illorum prouentum obtinuit. Qua occaſione ſimul monet, errare illos, qui plantas, vt a frigore tueantur, muſcis tegunt, cum enim muſci humorem inſugant, hieme conglaciantur, vt hoc ſit, plantas glacie tegere.

p.197. 4) *Suberes lagenis obturandis praeparare, vt euaporationem impediant, aerem excludant, et tum acidis, tum ſpiritibus reſiſtant*, docet ULRIC. RUDENSCHÖLD. Qui animaduertit, acidis reſiſtere ceram, a ſpiritu vini exedi, ſebum ſpiritui non obtemperare, ſed ab acidis corrumpi, iudicauit, mixturam ex vtroque, et a ſpiritu et ab acidis tutam fore, obtinendoque huic fini, ſi ſuberes illa impraegnen-
p.201. tur, parari poſſe idoneam. Ceram itaque albam, ſiue arte dealbatam, ſiue virgineam aequali ponderi ſebi bouini vel hircini bene depurati admiſcuit; hircinum, quod firmius cohaereat, praefert. His liquatis bis vel ter immerſit ſuberes, molles et non nimium cauernoſos. Poſt quamuis immerſionem, extremo minore ſuperiora verſus ſpectante, impo-
ſuit

ſuit vaſi lapideo aut ferreo et ad ignem aut fornacem calefecit, donec miſcela ſiccata eſſet. Interdum etiam acubus in parte inferiore ſuberis vias mixturae huic aperuit, quo melius intraret. Tandem panno laneo abſterſit. Coqui in hac mixtura ſuberes, neceſſe non eſt, ſiquidem ex illa re mollitiem ſuam et rotunditatem aliqua ex parte perdant. His ſuberibus adhibitis, non opus eſt picem ſuperfundere aut veſica eos tegere. Naphtham nitri per anni tempus in feneſtra, ſoli pomeridiano expoſita, ne minimum imminutam ſeruauit, indicio notae adamante in vitro, vbi primo conſtiterat, factae. Oleum vitrioli et ſpiritum ſalis per ſeſquiannum hi ſuberes coercuerunt, ab oleo vitrioli tamen parum nigreſcentes, vt conſultum ſit, illos ſingulis annis renouare. Minime omnium aquae forti reſiſtunt ob ſebum admixtum, paulo tamen melius, ſi duae partes cerae vni ſebi addantur. Ceterum aqua fortis et aqua regia continentur etiam ſolo obturamento ex cera alba facto, et ad marginem orificii lagenae applicato. Veſica vero ſuper illud liganda eſt, nam frigefacta cera a margine recedit et interſtitia relinquit. Aquam etiam ita occluſam, in itineribus maritimis longinquis, potui idoneam ſeruari poſſe, colligit Noſter.

p.202. / p.204.

5) *Experimenta de electricitatibus contrariis, dum vis electrica accumulatur* Auctore IO. CAR. WILCKE. Cum in illa congeſtione electricae vis, quae primum experimento Muſſchenbroekiano innotuit, multa nondum perfecta, dubia et erronea ſupereſſe videantur, accuratius in omnia inquirere inſtituit Cl. WILCKE. Quae vero in tentaminibus praeter expectationem ſaepe contingere ſolent, breuiter exponit; vt: vitri, in quod congeritur vis electrica, vtramque ſuperficiem poſſe eandem electricitatem p.206.

poſſidere, ſiue vitream, ſiue reſinoſam, vel etiam aliam ſuperficiem hanc, aliam illam; conductorem cum metallicarum laminarum, quae vitro inducuntur, illa, quae ad easdem partes ponitur, vim electricam a latere iuncto vitri, in quo congeſta eſt, accipere, ſed non, vt expectari poterat, eiusdem generis, ſaepius oppoſitam; electricitatis genera ſaepius leuiſſimis mutationibus in oppoſita abire. Haec omnia vt accuratius examinari poſſint, apparatum, qui colligendae vi electricae inſeruit, ita conſtruxit, vt quaelibet pars eius reliquis admoueri et remoueri ab illis poſſit, non turbato vis electri-
p.211. cae curſu: huic rei deſtinatas duas machinas deſcribit, et experimenta cum iis inſtituta tradit, indeque concluſiones elicit congeſtioni huic explicandae inprimis deſtinatas. Ex experimentis id annotari meretur: quaedam vitra vim electricam aeque ac me-
p.228. talla transmittere, quod expertus eſt in vitris viridibus tenuiſſimis, vix $\frac{1}{20}$ lineae craſſis. Quae vero craſſitie $\frac{1}{8}$ lin. aequabant, in illis congeri vis electrica iam poterat, et maxima copia in illis, quae lineam erant craſſa. In genere vero ex obſeruatis ſuis concludit, vitrum, in quod electrica vis congeritur,
p.229. eodem plane modo ſe habere ac aliud quoduis corpus communicatae electricitatis capax, niſi, quod multo difficilius vitrum materiem electricam dimittat, hincque accumulari intra ſe patiatur.

6) *Noua ſtructura horologii portatilis, ſecunda monſtrantis*, Auctore SAM. ANGUILIN.

7) *Agros, lino conſitos ramuſculis abietum denſe tegendos* ſuadet PETR. NYGREN. Vtilitates exinde expectandae potiſſimum in eo conſiſtunt, quod ardor ſolis et venti exſiccantes arceantur, ager vero foliis decidentibus foecundetur; hinc itaque fiat multo

multo copioſior lini prouentus. Cannabim ramis volubilibus lupuli tegendam eſſe, idque admodum proficuum eſſe, ſimul tradit. p.240.

8) *Obſeruationes anatomicae de infante, cuius inteſtina ſitum praeternaturalem habebant*, Auctore GABR. LUND, M. D. Infans hernia laborabat, a dimidio digito infra vmbilicum ſecundum abdominis longitudinem vſque ad ſternum extenſa. Sternum ipſum inferius verſus regionem epigaſtricam in arcum acutum curuabatur, a cuius medio ad initium ſterni ad collum vſque non niſi digitus transuerſus erat. Hernia figurae oualis acuminatae erat, vltra duos digitos nullibi latae. Infans poſt miſeram 14 dierum vitam interiit. Muſculi recti abdominis duos digitos transuerſos inter ſe diſtabant, neque coibant, etſi inteſtina eo in loco remouerentur, Omentum nullum, ceterum inteſtina ſana. Diaphragma herniae arcui ſuperiori adhaerens eumque ſequens, ibi p.242. tenue et membranoſum, verſus dorſum vero carnoſum et fortius. Hepar in plures lobulos diuiſum, conuexa ſua parte planum inaequale exhibens, quod directionem diaphragmatis ſequebatur, et anguſtiſſimum cauum thoracis relinquebat. Exigua, quae ſupererat, ſterni parte, et coſtis integris cartilagineis exemtis, cauitas pectoris apparuit, mediaſtino conſueto more diuiſo, cor absque pericardio, vaſis vero coronariis, a ſanguine, velut iniecta eſſent, tumentibus, in dextra caui parte inuerſum, mucrone anterius verſus coſtas, baſi verſus mediaſtinum vergente. Dextra auricula inſuetae magnitudinis, ſiniſtra vero valde exiguae et vix conſpicuae. Vaſa pulmonaria per mediaſtinum ad pulmones transibant, qui in parte caui thoracis iacebant parui et contracti, parte exteriore pleurae adnati. Plura examinari non permiſerunt parentes. In viuo infante p.243.

 pulſus

pulſus, cordis pulſationi ſimilis, animaduerſus eſt in ſuperiore herniae parte ad mammam ſiniſtram, qui autem a corde alibi ſito non efficiebatur. Excrementa ſola natura, auxilium ferente, exiere, etſi nec diaphragma, nec muſculi abdominis illis protrudendis idonea viderentur. Infans inquietus erat, et interdum plorabat, ſiue faſciis inuolutus ſiue non, aliquod leuamen ſentire videbatur a compreſſa ex aſſulis tenuibus corio obductis hernia, maximum vero hernia manu tecta et preſſa. Sugere non poterat, lacte cochlearis ope ei dato, dum viueret, ſuſtentatus.

Trimeſtre quartum.

1) *Experimentorum de electricitatibus contrariis Pars poſterior* Auctore I. C. WILCKE.

2) *Obſeruationes eorum, quae cum maniacis variis acta ſunt,* Auctore IO. IOHANSON HAARTMAN. M. D. Hiſtorias morborum prolixe enarrantem vix ſequi poſſumus, hinc quaedam ſaltim, quae prae reliquis, vt annotentur, digna nobis viſa ſunt,
p.267. excerpamus. Opium diu et magna copia ſumtum nihil profuit aegrae, niſi vt quaedam velut lucida interualla procuraret, ſed tamen tandem plane inſaniit, et camphora necquicquam adhibita.
p.274. Efficacior fuit moſchus. Felicem tamen etiam effectum ſenſit ruſticus adhibito durantibus tribus ſeptimanis elixir Hjärnei et olei tart. per deliqu. aa. ℥iß, opii ℈ij. Femina plebeia, quaeſtiones theologicas maiori animi intentione rimari ſolita, tandem inſaniit, et interuallis quietioribus de dolore in fronte eſt conqueſta. Extractum hellebori aquoſum, ex antiquiore pharmacopolio ei datum, nullum effectum edidit, ex recentiore vomitum et aluum mouit.

uit. Radix ex priore, ſi diffringebatur, nigra erat et friabilis, ex altero alba et firmior. Ipſe monet, ſi ammoniacalia, additis magnis doſibus camphorae, vel ſola, vel anodynis iuncta, poſſint ſomnum aegro procurare, plerumque mox eum reſtitui.

3) *Fulgura Naſturtii indici* detecta ab ELISABETHA CHRISTINA LINNAEA. Flores naſturtii menſibus iulio et auguſto, hoc vero debilius, ſub crepuſculum veſpertinum, donec nox plena terram tegeret, fulgura, quae velociora concipi non poſſint, per interualla emittere, prima vidit, et oſtendit aliis, patri quoque, non niſi ſuis oculis credituro. Is vero monet, trium varietatum huius plantae primam tantum id facere, floribus fuluis, non duas reliquas fl. flauis baſi maculatis et fl. flauis immaculatis. Addidit Cl. WILCKIUS ſuſpicionem, ſed vlterius examinandam, a materia electrica id eſſe, et dum vitrorum, quae in tenebris fracta lucent, reminiſcitur, quaerit, annon poſſint fibrae quaedam a ſole exſiccatae hic rumpi? Sed et ſimul inquirendum eſſe putat, annon inſecta lucentia adfuerint. p.284.

4) *Peziza arenae volatilis* deſcripta a PETR. OSBECK. Eſt Peziza (arenaria) acaulis, iunior globoſo campanulata, margine integra, ſenior magis dilatata lacerata: an Peziza ſubfuſca maior RAI. Syn. ed. 3. p. 17? Habitat in arena volatili in via inter Haſſlöf et Växtorp Hallandiae meridionalis, menſe ſeptembri. Radices tenues, flabelloſae, interdum ad quartam vlnae partem productae, arenam colligunt. Nodulo ob exiguitatem vix conſpicuo adhaerent, qui pes fungi eſſe videtur. Magnitudo fungi, pro aetate varia minimis piſis, quae ſaccharinae vocantur, aequalis; rotundus eſt et in ſummitate foramine exiguo circulari apertus. Si prouentus eius augeri p.288.

augeri poſſet, multum faceret ad firmiorem reddendam arenam illam, quae a vento circumfertur et amplos Sconiae et Hallandiae tractus occupat.

5) *Venas quarzo plenas in aurifodina Aedelfors* examinat ANDR. SWAB. Quae ad metallifodinarum vſum colligi poſſunt, ſedulo oſtendit.

6) *Farris (Spält) culturam et vſum* deſcribit CAR. FRID. LUND.

7) *De ſternutatione vehementi, cortice peruuiano*
p.296. *ſublata*, narrat PETR. ION. BERGIUS. Foeminae 26 annorum, doloribus capitis, dentium cet. inde a prima inuentute ſubiectae, contigit ſternutatio, paroxyſmi leges ſeruans. Praeceſſere paroxyſmum quemuis palpitatio cordis, anxietas, ardor infra ſternum prope orificium ventriculi, inquietudo; ex quibus certo et aduentum paroxyſmi praedixit et durationem. Sternutatio vehementiſſima fuit certe pro conuulſiua habenda, ſolum vero ab orificio ventriculi excitata, ſiquidem nihil animaduertebatur irritationis, quae ſternutationes alias cum rheuma-
p.298. tiſmis coniunctas comitatur. Paroxyſmi non niſi primis diebus, hora 9 antemeridiana et 6 pomeridiana accedentes, ſtatum tempus ſeruarunt. Per integram horam, imo duas horas durarunt ſternutationes. Vno paroxyſmorum 1820 numeratae ſunt, aliis 600 vel 800. Finito paroxyſmo ſudore maduit foemina, et viribus plane proſtratis. Multis fruſtra tentatis, corticem peruuianum ei praebuit Noſter, eo ſolo indicio motus, quod morbus paroxyſmos ſeruabat et ſudore finiebatur, tametſi ipſe fateatur, nulla alia ſymptomata febrilia adfuiſſe, et ſudorem ab agitatione corporis eſſe prouocatum. Interim adeo felix fuit haec coniectura, vt paucis diebus

diebus praeterlapſis et ſternutatio ceſſaret et morbus omnis. Sequutus fuerat hic morbus moerorem feminae inſignem et diuturnum. Aliquot menſes poſt, cum valuiſſet, alio moerore correpta, in ſimilem morbum denuo, appetitus defectu, doloribus artuum et capitis, ſternutationibus, palpitatione cordis, irritatione orificii ventriculi cet. ſe monſtrantem, incidit, paroxyſmis tamen multo debilioribus, et poſt 14 dies, nullo omnino remedio adhibito, ceſſantibus. Abiit vero morbus in febrem, dolore punctorio thoracis et artuum iunctam. His etiam euaneſcentibus, pedes tumuerunt. Deinde nil amplius de morbo feminae audiuit Noſter, vnde colligit, bene eam valuiſſe. Coniecturam, quam formauerat, adhuc probat, moeroris magnas ſaltim hic partes fuiſſe, idque confirmat ex ſymptomatibus hyſtericis, cum paroxyſmis ingruentibus, et quod irritatio nunquam percepta fuerit in naribus et ſinu frontali, ſed prope diaphragma. Recordatur etiam hypochondriaci, qui, cum ſuctionis quendam ſenſum in abdomine et ventriculo haberet, quem faſtidium et conatus vomendi ſequebantur, ſimul ſternutauit et ſtatim poſt ſternutationem rigorem quendam linguae ſenſit, quem a conſenſu neruorum, phrenici et parium intercoſtalis et vagi eſſe colligit. Recenſet plures alios caſus ſternutationis frequentioris maxime damnoſae.

8) *Compendium diarii meteorologici Aboenſis, Pars II*, Auctore IO. LECHE. Quibus diebus ſerena tempeſtas, aut nubila aut pluuioſa fuerit, recenſet et conſectaria inde deducit: decembri et nouembri plurimos dies nebuloſos fuiſſe, vix quartum quemuis ſerenum; dierum vero ſerenorum numerum, hyeme ingruente, ideo imminui, vt ſuccorum adſcenſus in arbores paulatim deſinat: nouembri plu- p.309.

rimum

rimum pluuiae aut niuis cadere, quod optant ruſtici, vt paludes repleantur, antequam glacie obducantur: maxime hoc tempeſtatis genere cum nouembri conuenire decembrem, eam ob rationem, vt frigoris vis in terram et aquam niue imminuatur. Vnicus ſeptember nec grandinem habuit nec niuem: iunius, iulius, auguſtus, a niue liberi, grandinem habuerunt: grandinem nunquam obſeruauit nocturnam.

p. 313. 9) *Natorum, mortuorum, matrimonio iunctorum numeros per 40 annos in congregatione Waſſenda prope*
p. 317. *Venersborg* exhibet TORSTAN I. WASSENIUS. Ex iis, quae occaſione huius catalogi obſeruat, adducimus ſaltim, ex 39 paribus geminorum, his 40 annis in lucem editis, 6 paria adhuc ſupereſſe, ex 4 paribus ſingulos, ideoque 16 ex 78 natis; inter caeteros alii ſine vita in lucem prodierunt, alii mox diem ſuum obierunt. Bis accidit, vt gemini, tribus et quinque menſibus exactis, eadem die morerentur. Inter 2818 natos 2692 viui in lucem prodierunt; non niſi tres ex his 40 fuerunt anni, in quibus nulli ſine vita editi fuerunt.

10) *Eclipſin lunae d.* 18 *Maii* 1761 *Torneae viſam* deſcribit ANDR. HELLANT.

p. 324. 11) *Lycoperdon molis eximiae* deſcribit B. BERGIUS. Repertum eſt ineunte ſeptembri, in colle ex fimo putrido nato, ceterum tabaco plantando deſtinato. Peripheria minor fuit ſeſquiulnae, maior duarum vlnarum et trium digitorum; pondus 18 librarum. Erat Lycoperdon Bouiſta LINN. ſp. plant. n. 83. 3. Ad hanc magnitudinem quinque aut ſex ad ſummum diebus creuit.

XII. Avis

XII.

Avis au Peuple ſur ſa Santé, par Mr. TISSOT D. M. de Montpellier, de la Soc. Roy. de Londres, de l'Acad. Medico - Phyſ. de Basle, de la Soc. Oecon. de Berne. Seconde Edition originale, augmenté par l'Auteur. a Lauſanne chez Jean Zimmerli 1763. 12. Alph. 1. pl. 5.

h. e.

Conſilia ſanitatis, genti ruſticae data a Cl. TISSOT.

Cuius diu iam, ob inſignem vtilitatem in aegros aeque ac in ipſos medentes redundantem, facere debuiſſemus mentionem, eum maiore cum voluptate nunc librum recenſendum nobis ſumimus, quo nitidiorem correctioremque, quin variis etiam additamentis a Cl. Auctore locupletatum euoluimus. Etenim non modo varii articuli notaeque, quibus haec editio praeſtat, in priori *) deficiunt, verum totum etiam caput trigeſimum primum, caſus quosdam promtum auxilium exigentes complectens. Prius autem quam ad ipſum librum, vt in genere, ſic vel inprimis ob formularum ſimplicitatem, perplacentem propius accedamus, paucis praemonendum eſſe putauimus, Cl. Auctorem in vſum gentis ruſticae ab vrbibus remotae librum confeciſſe, ideoque acutos tantum morbos pertractaſſe, chronicos vero ideo non deſcripſiſſe, quod, longi cum ſint, medici facile conſuli, nec in tam magna cauſſarum copia, qualis chronicorum eſt, et quae prudentis omnino medici indagationem poſtulat, vera atque cuique

*) Prodiit illa Lauſann. 1761.

cuique cauſſarum appropriata remedia praeſcribi poſſint.

Depopulationis cauſſarum in introductione Cl. Auctor tres nominat, quarum prima eſt, quod multi ad procreandam ſobolem aptiſſimi apud varios principes ſtipendia mereantur, alii vero ſacra auri fame incenſi diuitias mercatura contracturi patrios lares relinquant; altera cauſſa luxus eſt; tertiam praua medendi methodus, aegris adhiberi ſolita, conſtituit. His praemiſſis modum docet, quo vtilis liber eſſe poſſit, verbi diuini miniſtris quippe, aliisque in pagis vltra vulgum ſapientibus commendat, in quorum vſum varias etiam pulſuum diuerſitates aliaque artis vocabula explicat.

p. 30. In capite primo *cauſſas morborum ruſticae genti frequentius infenſorum* ſequentes proponit 1) exceſſum laboris, ſaepe ineuitabilis, qui potu refrigerante temperandus eſt; 2) frigidam auram calenti corpori admiſſam, cuius nociuos effectus tepida infuſio florum ſambuci, aceto et melle permixta, ſufflaminat; 3) potum frigidum in calefactum corpus infuſum, cuius noxis larga venaeſectione, potu aquae tepidae cum quinta parte lactis miſtae et fomentationibus praeueniendum eſt; 4) aeris viciſſitudines, veſtitu praecauendas; 5) fimi et paludum ante feneſtras collectarum exhalationes putridas; 6) ebrioſitatem 7) alimenta, inprimis panem non bene fermentatum atque placentas, et 8) tandem aedificiorum conſtructionem. Potus in regionibus Helueticis, vt Noſter

p. 45. oſtendit, vt morborum cauſſa conſiderari nequit. Caput ſecundum cauſſas morbos populares adaugentes complectitur. Harum prima eſt, quod falſa ducti opinione incolae, vix non quamcunque aegritudinem calidioribus ſudoriferis, regimineque calido profligare ſtudeant; ſecunda, quod alimentis nutrientibus pinguibusque aegrum ſuſtentandum exiſtiment,

ment, neſcii, quod in morbis eiusmodi cibis, non aegrotantis, quin potius aegritudinis vires adaugeantur. Tertia cauſſa purgantium vomitoriorumque ſtatim ab initio propinatio eſt, quae licet aliquando deſideretur, tantum tamen abeſt, vt in plerisque, inprimis in inflammatoriis morbis bonum effectum exſerat, vt potius, motum humorum intendendo, fluidiſſimaque ſanguinis diſſipando, ſumma producat mala, mortemque maturet.

In capite tertio diaetam in acutis obſeruandam, ipſumque regimen poſt horum decurſum adhuc ſumme neceſſarium praeſcribit, et ad *inflammationem pectoris*, in quarto capite contentam, tranſit, in qua praeter venaeſectiones largas iteratasque, potum diluentem et emollientem, infuſionem florum ſambuci cum oxymelle ſcillitico commixtam, vaporem aquae feruentis, et aceti, fomentationes emollientes, pediluuia et clyſmata commendat, emetica vero atque purgantia acriter vetat. Si in vomicam morbus tranſit, ea quantocius variis corporis et praecipue pectoris motibus aliisque ad rupturam diſponenda, vbi vero in ſcirrhum degenerat, ſerum lactis, melle permixtum, cum ſequentibus pillulis tentandum eſt: rec. ſapon. alb. dr. vj. extr. taraxac. dr. iß. gum. ammon. dr. ß. f. cum ſyr. capill. vener. pill. gr. iij. quarum viginti quouis mane ſumantur. Succedit *pleuritis*, quam vt veram inflammationem pulmonum, exteriores horum partes forte obſidentem, raro pleuram inficientem conſiderat, proindeque eodem modo, quo praecedentem, tractari iubet. In *angina* praeter ea, in quacunque inflammatione conuenientia, cucurbitulas cum ſcarifatione, poſt aliquas praemiſſas venaeſectiones collo impoſitas, mire prodeſſe adſerit, et anginae, anno 1761 epidemice in iis regionibus graſſantis, mentionem facit, in ſecunda de febribus tractatus edi-

p. 62.
p. 80.
p. 115.
p. 126.

tione, quam auide expectamus, prolixius deſcribendae.

p. 149. Sequuntur *catarrhi*, qui veram leuiorem faucium, pulmonum aut membranae, nares intus inueſtientis, inflammationem ſiſtunt, ideoque non negligendi, ſed eodem modo, vt morbi mox deſcripti,
p. 161. curandi ſunt. *Odontalgia*, vt a variis cauſſis v. c. carie, inflammatione nerui, aut membranae hunc ambientis, etc. proficiſcitur, ſic variam etiam et cui-
p. 170. uis harum oppoſitam medicinam exigit. *Apoplexiam* more ſolemni in ſanguineam et ſeroſam diuidit, ſigna, quibus diſtingui poſſint, tradit, iisque me-
p. 179. dendi methodum ſubnectit. *Inſolationem*, fecundam plurium morborum matrem, venaeſectionibus, refrigerantibusque in potu, balneis, clyſmatibusque adhibendis, ſubigere ſuadet, in eaque praeuertenda pileos albos, aut chartam albam pileis nigris ſubdi-
p. 190. tam, aliquid poſſe exiſtimat. *Rheumatiſmum* in acutum ſeu talem, qui febrem comitem habet, et chronicum ſeu febre carentem diſpeſcit, varias ſpecies exacte deſcribit, et poſtquam optimam cuiusque methodum docuit, nocentia ceu ſpirituoſa, aquam vitae, ſclopetariam et vnguenta acria pinguiaque nominat, et ab his prorſus abſtinere ſuadet.

p. 209. Subſequitur *rabies*, cuius venenum mercurialibus vnguentis, laeſae inprimis parti huiusque confiniis illiniendis, reſtinguendum, irritatio autem ſyſtematis neruoſi abhinc oriunda antiſpaſmodicis ſopienda eſt, pro quo ſcopo ſequentem bolum, puluere iſto, ex Moſcho et cinnabari confecto, praeſtantiorem, Noſter commendat: rec. rad. ſerpentar. virg. dr. j. camphor. aſſ. foetid. aa. ſcr. ß. opii gr. j. conſeru. ſambuc. q. ſ. fiat bolus, quauis veſpera deglutiendus. Praeterea partem morſam aqua tepida, quod paululum ſalis excepit communis, aut oleo oliuarum ſaepius abluere praecipit.

Hanc

Hanc *variolae* excipiunt, quas in iis regionibus p.222.
quolibet ſexennio epidemice ſaeuire, Cl. Auctor obſeruat, qui in curatione puſtularum aperturam, quod et pus et ipſam cutis tollant tenſionem, maximopere extollit, regimen calidum acriter vetat, narcoticorum vero vſum, ſi vnquam, in eo modo caſu, vbi ob infantum debilitatem, aut conuulſiones difficulter erumpunt, admittendum autumat. Infantes ſanos et robuſtos, inoculationis felicitate orbatos, victu parciore, vegetabili, pediluuiis et vſu ſeri lactis, ad morbum felicius tolerandum ſubigendumque diſponit. *Morbillorum* inoculationem felici p.257.
euentu non deſtitutum iri ſuſpicatur, ſi modo in noſodochiis, pro ea adminiſtranda conſtructis, inſtitui poſſet. *Febris ardens* eandem, quam reliqui morbi in- p.258.
flammatorii, curationem poſtulat. Ab inflammatoriis ad putridos nunc morbos Cl. Auctor deſcendit, et in *febre putrida*, quae cauſſam corrigunt atque e p.263.
corpore eliminant, commendat, quae vero adaugere poterant, vt iuscula carnium etc. plane proſcribit. Has *malignae* excipiunt, ſeu tales, quae p.272.
ſummum periculum afferunt, ſine eo, quod funeſti admodum atque atroces eſſe videantur. Id quod Noſter ideo fieri adſerit, quod organa, viribus ſubito exhauſta, validis motibus cauſſae morbificae reſiſtere, abindeque vehementiora ſymptomata in corpore aegrotantis exoriri nequeant. Curationem vomitoria, laxans ex aequalibus portionibus rhei et cremoris tartari, altera quauis die exhibendum, acida, antiſeptica et veſicatoria abſoluunt. In *intermit-* p.286.
tentibus cortex peruuianus reliquis facile palmam praeripit, qui et alios per acceſſus adfligentes morbos aeque feliciter diſſipat. *Eryſipelas* et *ictus ani-* p.306.
malium venenatorum breuiter Noſter examinat, et ad *inflammationes pectoris et pleuritides ſpurias* et *bilioſas* p.318.
deſcendit. Hae a veris pulſu minus duro, celeriori,

nauſea, cute ſicca et ſputis minus craſſis rubrisque, aſt flauo colore magis tinctis diſtinguuntur, ad febres putridas pertinent, eandemque, quam illae, me-
p.327. thodum expoſcunt. *Colicae* quinque ſpecies Noſter enumerat, vtpote inflammatoriam, bilioſam, ab indigeſtione, flatulentam, et eam, quae a frigore proficiſcitur. Cuilibet, quomodo medendum ſit, docet, plures ſpecies autem ideo non recenſet, quod
p.345. raro iisdem ruricolae corripiantur. In *ileo* nunquam nec excrementa, nec clyſmatum contenta vomitu reiecta, ſe vidiſſe fatetur, et, ſi vnquam, quomodo hoc factum fuerit, intellectu difficillimum exiſtimat. Curatio venaeſectionem in brachio, clyſmata emollientia, opiata, ſerum lactis melle permixtum, balnea aquae tepidae, ipſumque peti fumum ano immittendum exigit. In *cholera*, quae acrem bilem diluunt et obtundunt, venaeſectio et balnea tepida conueniunt, opiata vero non, ante quam violentia ſpaſmorum ſummaque aegri debilitas vrgeant, propinentur.

Sequitur pars ſecunda, in qua, poſtquam bre-
p.360. uius de *diarrhoea* Noſter expoſuit, ad *dyſenteriam* tranſit, quam vomitoriis, rhabarbarinis, ptiſana demulcente profligare ſuadet. Fructus horaei tantum abeſt, vt morbum producant, vt potius optimum prophylacticum remedium conſtituant. Opiata inter nocentia, peſſima et cane peius atque angue
p.374. fugienda ſunt. Succedit *ſcabies*, purgantibus, decoctis mundificantibus, et vnguentis e ſulphure, ſale ammoniaco et axungia porci paratis eradi-
p.379. canda. Hanc *morbi* excipiunt *feminarum*, quae licet omnibus caeteroquin valetudinum generibus expoſitae ſint, ob quatuor tamen cauſſas, menſtrua nimirum, grauiditatem, partum et huius ſequelas, frequentius aegrotant. Menſtrua ſi a debilitate retinentur, limatura ferri non rubiginoſi amaris nupta,

opti-

optimum praeſtat auxilium, quod, vbi a plenitudine vaſorum malum ortum fuit, a venaeſectione et iis, quae hanc imminuunt, expectandum eſt. Varia incommoda, grauidis moleſta, ſanguinis detractio diſſipat. Plurimae, quae in ipſo partu moriuntur, feminae, aut imperita manu obſtetricia, aut calidioribus ad partum promouendum remediis adhibitis interficiuntur, quae ſeruari potuiſſent, ſi peritior quisquam venaeſectione et clyſmatibus emollientibus ipſis ſuccurriſſet. Morbi, qui partum ſequuntur, ſunt: 1) nimia ſanguinis iactura, 2) inflammatio vteri, 3) ſubita lochiorum ſuppreſſio, et 4) incommoda a lacte oriunda. Inter haec peſſimum, ſi lac in mammis coagulatur, et duros ſcirrhoſosque gignit tumores, in cancrum perquam facile degenerantes. Pro crudeli hoc malo auertendo, nodulos adhuc dum paruos cicuta, quam in priori editione dolores modo lenire, ob aliam plantae ſpeciem, vel non iuſtam praeparationem adhibitam, vt ex notula concludimus, Cl. Auctor eradicare ſatagit, vſumque plantae vel in aliis multis curatu difficillimis morbis vt ſumme proficuum commendat. Conuulſiones, p.404. quibus plerumque infantes pereunt, a quatuor vtplurimum cauſſis, a meconio nimirum retento, aciditatibus ventriculum aggrauantibus, dentium proruptione, vermibusque in inteſtinis nidulantibus, interdum tamen etiam a cruditatibus primarum viarum, lactis vitiis et morbis febrilibus exoriuntur, proindeque multifariam et cuiuis cauſſarum reſpondentem methodum deſiderant. Infantes, elapſis aliquot a partu diebus, frigida lauare recte Noſter praecipit, parique iure ipſis adultioribus frequentiorem balneorum frigidorum vſum commendat, vtpote a quibus tantum corpora robur accipiunt, quantam a tepidioribus debilitatem experiuntur.

p. 434. Sequuntur *auxilia ſubmerſis ferenda*, quae in eo
conſiſtunt, vt diutius totum corpus calidis linteis
perfricetur, fumus herbae nicotianae per fiſtulam
pulmonibus infletur, iugularis vena aperiatur, ipſe-
que peti fumus per anum ad inteſtina deferatur, et
ſternutatoria tandem naribus immittantur. Quam-
primum ad ſe redeunt aegri, oxymel ſcilliticum aqua
dilutum, aut huius defectu, infuſum cardui bene-
dicti aut chamomillae propinandum eſt, non negle-
ctis interim iis, quae ad ipſos ſuſcitandos commen-
p. 443. data fuerunt, adminiculis. Haec excipiunt *corpora
in oeſophago retenta*, quae pro circumſtantiarum ra-
tione, aut variis inſtrumentis extrahenda, aut in ven-
triculum protrudenda, aut vomitu ad reiectionem
diſponenda ſunt. Qui mediante celluloſo contextu
fieri poſſit, vt varia corpora peregrina, in ventricu-
lum illata, per veſicam, aut varios corporis locos eli-
minentur, nos quidem, quantum etiam auctoritas
Noſtri valeat, nobis adhuc dum perſuaderi non-
p. 471. dum potuiſſe, aperte fatemur. Succedunt varii
morbi chirurgici, vt vulnera, vlcera, herniae etc. de
quibus poſtquam Cl. Auctor diſſeruit, ad varios *ca-
p. 535. ſus promtum auxilium expoſcentes* deſcendit. Sunt
autem illi: lipothymiae a plurimis cauſſis oriundae;
haemorrhagiae, in quibus quies, ligaturae et potus
refrigerans maxime commendantur; conuulſiones,
quas, qui ſpecifico quodam vniuerſali, a quacunque
cauſſa natas, profligare promittunt, pro impoſtori-
bus atque idiotis merito habendi ſunt; ſuffocatio-
nes; effectus metus; vapores carbonum; venena, et
dolores acuti, ſubito in aliqua parte ab ignota cauſſa
orti, venaeſectione abundante, potu demulcente,
clyſmatibus et cataplaſmatibus emollientibus, opia-
tisque profligandi,

p. 581. Sequuntur *remedia prophylactica*, vt 1) *venaeſectio*,
quae in ſequentibus quatuor caſibus tantum conue-
nit:

nit: a) quando ſanguis abundat, b) quando inflammatio praeſens, aut c) huius cauſſa in corpore eſt, d) quando dolores nimis acerbe aegrum excruciant; 2) *emetica* et *purgantia*, quorum *illa*, guſtus amarities, appetitus defectus, vomendi conatus, vomitus materiae corruptae, ſenſus grauitatis in ventriculo, renibus, et circa genua, virium proſtratio, dolores ventriculi, capitis, vertigo, colica, et pulſus irregularis, interdum intermittens, *haec* autem dolores renum, colica, et grauitas genuum indicant, vtraque morbi ex debilitate, ſiccitas, febris fortis, euacuationes ſalutares a natura ſuſceptae, obſtructiones inueteratae, ſummaque neruorum debilitas prohibent, vomitoria autem ſola, plethora, haemorrhagiae, et herniae interdicunt. Loca montoſa cohabitantes et ſolo fere lacte pro alimento vtentes fibras adeo inſenſiles prae ſe ferre Noſter adſerit, vt viginti quatuor grana vitri antimonii pro ſcopo purgandi absque noxa deglutiant. De ceteris remediis, prophylactice ſumtis, pauca Cl. Auctor commemorat, et inter haec recte, ceu optimum, temperantiam in victu et potu commendat, et ad nequiſſimum hominum genus, ad medicaſtros, circumforaneos, alioſque tranſit impoſtores, qui, dum ſanitatem credulis hominibus promittunt, crudeliter ipſos iugulant. In hos iure meritoque vehementer inuehitur, fraudes eorum detegit, variaque praebet conſilia, quomodo hi ipſi coerceri, et ſaluti tot millium hominum conſuli poſſit.

Caput vltimum catalogum continet quaeſtionum, ad quas, qui medicos adeant, reſpondere debent. p. 632. Adiecta eſt tabula formularum, in toto libro indicatarum, quibus varias notulas Cl. Auctor ſubſcripſit, et cuiusque pretium addidit, menſurarumque rationem exacte indicauit. p. 637. Finem libro ſynoptica tabula totius operis imponit. Quum arctis recen-

ſionum limitibus circumcluſi, non niſi pauca et ſumma tantum momenta ex hoc libro lectoribus noſtris tradere potuerimus, perſuadere ipſis non dubitamus, quod ſi ipſum librum, mole non adeo magnum, euoluere placuerit, magnam omnino ex eiusdem lectione voluptatem vtilitatemque eſſe percepturos.

* * * * * * * * *

Quum tanto applauſu in omnibus fere Europae regnis acceptus fuit hic liber, vt intra triennium variis in locis ſedecies, vt ſcimus, forte pluries, vel recuderetur tantum, vel in alias linguas transferretur, vel notis et additamentis augeretur, gratum lectoribus facturos eſſe nos arbitramur, ſi editionum, ſaltim harum breuem adiiciamus adumbrationem, quibus editores adiectis notis vel ſupplementis praeſtantiam quandam conciliarunt. Omnium prima ab ipſo Auctore euulgata editio Lauſannae prodiit *); hanc mox excipiebat alia, itidem Heluetica **), cui vero eam Cl. HIRZEL, medicus primarius Turicenſis, impenderat operam, vt partim librum germanice redderet, partim ſupplementis ab Auctore acceptis locupletaret, partim praefatione ornaret. Quare haec editio primaria erat praeferenda, donec ipſe Auctor libellum hunc auctum denuo augeret recudique curaret. Priusquam vero hoc fiebat, variae in variis locis recuſae diuulgabantur editiones, quas vero, quum omnes, praeter Pariſinam et Lugdunenſem, nihil continent, quo ceteris antecellerent, ſilentio

*) Anno 1761. 12.

**) *Herrn S. A. D.* TISSOT *Anleitung für das Landvolk in Abſicht auf ſeine Geſundheit mit neuen Zuſätzen vermehret. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt. durch* H. C. HIRZEL. *Zürich* 1762. 8.

lentio inuoluimus. Pariſinae quidem editioni *) adiecti ſunt morbi chronici, et iis haec editio complementum quoddam accepiſſe videri poſſet; ſed hos omnes morbos ſtudio Cl. TISSOT omiſerat, quum tantummodo regulas proponere conſtituiſſet, quas gens ruſtica in morbis pernicioſis ſequi deberet, vbi medicos conſulendi nulla ſupereſſet opportunitas. De Lugdunenſi mox. Quum interim Cl TISSOT cognoſceret, operam ſuam optimis quibusque probari, et quum a Collegio Sanitatis Bernenſi praemii loco numum aureum acciperet, impellebatur, vt libellum ſuum percurreret, loca non nulla adiectis notis magis perſpicua redderet, non nullas peruerſarum conſuetudinum, quas inter plebem vigere et ſe in priori editione omiſiſſe viderat, euerteret, explicationeque non nullorum morborum augeret, enata eſt altera editio Lauſannenſis multis locis emendata et locupletata, cuius ſummam modo exhibuimus. Facile praeuideri poterat, et hanc editionem aliis in locis recuſum iri. Primum itaque Cl. HIRZEL alteram germanicam editionem **) proferebat, cui cuncta additamenta Auctoris immiſcuerat. Poſtea alia Lugduni ***) in publicum prodibat, in duos tomos diuiſa, ex qua, quum attendi mereatur, nonnulla mo-

*) Avis au Peuple ſur ſa Santé ou Traité des Maladies les plus frequentes par M. TISSOT. Nouvelle edition, augmentée de la Deſcription et de la Cure de pluſieurs maladies et principalement de celles, qui demandent de prompts ſecours. Ouvrage compoſé en faveur des habitans de la Campagne, du Peuple de Villes et de ceux qui ne peuvent point avoir aiſement les Conſeils des Medecins. a Paris. 1762. 8.

**) *Zweyte vermehrte und verbeſſerte Auflage. Zürich* 1763. 8.

) Avis au Peuple ſur ſa Santé par M. TISSOT. Nouvelle édition conforme à la ſeconde originale à la quelle on a joint la traduction de la Preface Allemande de M. HIRZEL et des Notes par M D. M. Tom. I. II. a Lyon. 1764. 12.

menta depromamus. Proſtat etiam Belgica quaedam editio *), in qua vertenda, augenda et ad genium populi Belgici accommodanda Cl. BIKKER operam ſuam poſuit. Et hanc editionem peruoluimus, ad quod inclyti Auctoris fama nos non poterat non inuitare; nec operam eo nos perdidiſſe, momenta teſtantur a nobis notata, quae mox lectoribus reddamus. Italicam, Anglicam et Suecicam editionem, quas eſſe conſtat, nondum vidimus.

Ex Lugdunenſi editione, cuius auctor nomen
p. 46. ſuum reticuit, haec habeas Lector. De cauſſis morborum agens Editor, plures epidemicorum, grauioribus vtique ſymptomatibus ſtipatorum, ab eſu ſecalis cornuti in variis Galliae prouinciis genitos fuiſſe, adnotat, varias aquas impuras repurgandi encheireſes docet, et morbos, a vino, plumbo et
p. 78. alumine mangoniſato oriundos, enumerat. In regionibus calidioribus feneſtras per noctem apertas ſeruare periculoſum, quin in locis quibusdam plane funeſtum exiſtimat, et morem iſtum Lugduni vigentem, vbi aegris ſcilicet ſpiſſiora meracioraque iuſcu-
p. 86. la nimis ſaepe propinantur, merito vituperat. Conualeſcentes monet, ne noua alimenta ingerant, prius
p. 94. quam adſumta ſat bene digeſta ſint. In inflammatione pectoris, vomitoria, niſi corruptorum alimentorum

*) Raadgeeving voor de Gezondheid van den Gemeenen Man van Landlieden, en alle die de hulpe van een bekwaam Genees- of Heelmeeſter ontbeeren, of niet ſpoedig genoeg bekummen kunnen; dienende tevens tot een nuttig Genees- en Heelkundig Handboek voor Landheeren, Dorp-Leeraaren, weldaadige Lieden, Dorp-Heelmeeſters, en alle die zig uit menſchen-liefde of beroepshalven met het geneezen van Zieken bemoeijen. In t' Franſch geſchreven door den H. TISSOT--. Naar den tweeden Druk vertaald, met Aanteekeningen en invoegſelen vermeerderd, en verder naar de geſteldheid van ons Land geſchikt door LAMBERTUS BIKKER. M.D. Te Rotterdam. 1764. 8 mai.

torum congeries, e ſignis additis cognoſcenda, abſolute ea deſideret, ſummum periculum inducunt, ideoque caute admodum propinanda ſunt. In eo caſu, p.100. vbi inflammationem, celeriter in gangraenam transituram, ſymptomatum vehementia, aegrorum debilitas, et regnans epidemia oſtendunt, maturius ad antiſeptica confugiendum eſt. In atrocioribus late- p.136. rum doloribus acriora, adfectae parti ſuperimpoſita, optimum ſaepius effectum exſerunt. In apoplexia p.199. cucurbitulae cum ſcarifatione praeſtantiſſimum auxilium adferunt. Emollientia in rheumatiſmis loco dolenti admota ſuſpecta ſunt, nimium etenim relaxando tumores excitare poſſunt, reſolutu difficillimos. In eodem malo linimentum ex olei oliuarum vnc. j. camphor. vnc. ſemiſſ. et ſpir. ſal. ammon. drach. iij commendatur adfectae parti illiniendum. Veſicatoria tanti in variolis vſus eſſe contendit Cl. p.276. Auctor, vt vel has ipſas minus periculoſas fore ſuſpicetur, ſi ab initio ſtatim applicarentur. De inſitione iudicium ſuſpendit, vſque dum Senatus ſupremus, quid de eadem putandum ſit, in ſapienti decreto oſtenderit. In diarrhoea, febribus malignis p.318. ſuperueniente, adſtringentia ſumme periculoſa, et cardiaca ſola gratis acidis iuncta, ſi nimium hoc ſymptoma vrget, admittenda ſunt. In febribus intermittentibus ſemper leniora praeſtat propinare purgantia, prius quam cortex peruuianus exhibetur, cui, ſi obſtructiones abdominales metuendae ſunt, commode aut laxantia, aut ſal ammoniacus in parca doſi, aut martialia iungantur. In colica inflam- p.373. matoria, ſi inflammatio recens, et venter aere per calorem rarefacto inflatus eſt, fomenta aquae frigidae cum ſexta parte aceti, iis, cum aqua tepida paratis et a Cl. TISSOT in hoc caſu commendatis, praeferenda ſunt. Cicutae vſus in cancro nihil plane p.455. Lugduni profuit, indeque penitus fere iterum reiectus.

p.491. ctus. In plurium aquis ſubmerſorum ventriculis raro, in pulmonibus nunquam, Cl. Auctor aquam inuenit, vnde concludit, motum huius viſceris, ob aeris defectum ſufflaminatum, pro cauſſa mortis eorundem eſſe habendum.

Belgicae autem verſionis Auctor in praefatione in genere oſtendit, quae paſſim annotauerit et adiecerit; ille enim non verbalem ſemper, ſed captui plebis, ſi obſcura occurrebant, accommodatam verſionem dedit, et ideo paſſim animaduerſiones adiecit. Inprimis vero, vbi vitae genus, victus et medicamenta Belgicae gentis ab Heluetis nimis recedebant, alia, a Cl. TISSOT propoſita, neglexit, alia et noua addidit, interdum enim ſententiam Auctoris nouis argumentis adductis confirmauit, praeiudicia vulgi ſuper morbos, methodum medendi et remedia magis oppugnauit, alia quoque ipſe addidit, v. c. monita a conualeſcentibus obſeruanda, annotationes de angina, de colica pictonum, de luxatione vel dislocatione muſculorum. De morbis infantum plura quoque addidiſſet, niſi cognouiſſet, Cl GRASHUIS de his quaedam editurum eſſe. Alia denique de menſuris, doſibus et varietatibus remediorum expoſita non tangimus, qui potius ſelectas quasdam eius obſeruationes ſubiungimus.

p. 3. Refrigerium, calido corpori admiſſum, ob perſpirationem ſuppreſſam anginas, peripneumonias, pleuritidem et febres inflammatorias inducere, Cl. TISSOT, Noſter vero, aeſtate et autumno in Belgio febres putridas bilioſas, hyeme autem coryzam, catarrhos et rheumatiſmos ex illa cauſſa oriri, aſſerit, et de remediis in his morbis adhibendis quaedam monet: in coryza et catarrho infuſum theae cum ſaccharo et croco, frictionem corporis et induſiorum mutationem, in febribus autem bilioſis vnciam vnam cremoris tartari cum lacte ebu-

tyrato,

tyrato, aut lene laxans aut ſcrupulum vnum ipecacuanhae ſuadet. Nulla eſt regio, in qua viciſſitudines tempeſtatum variantium frequentiores ſunt, quam in Belgio; obſeruationes enim meteorologicae docent, vere et autumno gradus thermometri vna alteraque die ad gradus duodecim, immo ſedecim, differre, hanc etiam differentiam ſaepe in vna eademque die horis matutinis, veſpertinis ac meridianis obſeruari: quare inprimis operarii, qui in aere libero aerumnoſos ſaepe labores tractant, his ipſis viciſſitudinibus non tantum ad morbos ſupra commemoratos, ſed etiam ad febres intermittentes et continuas remittentes diſponuntur. Ardor ſolis, aer ſiccus, pluuia vel nebula ſaepe vna die variant, et horae veſpertinae potiſſimum frigidae et humidae ſunt. Multae regiones, hyeme potiſſimum aquis inundatae, vel maris vnda ſaepe in littora deuoluta, fluminum et ſtagnorum copia, venti, auſter et fauonius, potiſſimum humiditatem afferunt, et ideo morborum a perſpiratione ſuppreſſa oriundorum cauſſae ſunt. Hae autem porro augentur, cum putridi halitus ex corruptis animalibus, plantis marinis, et aquis putreſcentibus aerem maxime inficiant. p. 5.

Clyſmata vt optima, purgantibus ſaepe praeferenda, auxilia laudat Noſter, ſed ſimul monet, aegros in Belgio multas ob cauſſas illa negligere, immo reformidare. Stragulorum quoque et linteorum mutationem, in morbis grauioribus et putridis praecipue adeo neceſſariam, haud admittunt aegri, hinc putridi halitus augentur et morbos peſſimos reddunt. Cum in pleuritide vera venaeſectiones adeo neceſſariae ſint, alii etiam morbi, qui ad pleuritidem ſpuriam pertinent, immo ſaepius dolores colici ad huius generis morbos referuntur, et ideo in iis a medicis et chirurgis venaeſectiones ſuadentur, licet eae non raro noxiae ſint, et potius conueniat p. 35. p. 68.

blanda

blanda primarum viarum euacuatio. Qua occaſione in genere crebriores venaeſectiones in morbis ſuſceptas, vel vt minus neceſſarias, immo ſaepe noxias, taxat, et recte vrget, ad pulſum et ad indolem morborum inflammatoriam praecipue reſpicere.

p. 72. Quando in pleuritide, poſt repetitas venaeſectiones et medicamenta refrigerantia, progreſſus febris non nihil cohibitus eſt, dolor autem vehemens porro perſiſtit, et obſtructionis in pectore indicium praebet, medici magna emplaſtra veſicatoria femoribus, ſuris et praecipue loco dolenti cum fructu applicant.

p. 80. In angina cataplaſmata emollientia collo applicanda eſſe ſuadet Cl. TISSOT, refert, gentem ruſticam nidum hirundinum hanc ob cauſſam applicare; Noſter autem epithemata ex partibus aequalibus lactis et ſpiritus ſalis ammoniaci, vel oleum preſſum cum ſpiritu cornu cerui mediantibus pannis laneis vel lineis, applicari iubet. Hac occaſione etiam peruerſam medendi methodum in Belgio vſitatam perſtringit, qua in angina, phrenitide, arthritide et aliis grauioribus morbis, immo etiam in variolis, diſſecta animalia viua, vel partes eorundem calore vitali adhuc praeditas, collo aliisque partibus applicant, et ita gangraenam et ſphacelum auertere, vel, vt ipſi dicunt, extrahere intendunt. Applicantur quoque ab aliis millepedes, lumbrici, bufones, nec negandum eſt, his puſtulas in cute excitari, melius tamen eſt, hac in re veſicatoriis vti, quam ſpurcis his remediis applicatis, putredinem accelerare. Vti vero paſſim medicamenta varia in Belgio recepta commemorantur, ſic in anginae potiſſimum curatione alia plura adduntur et ſimul de angina vlceroſa et aphthoſa, quae a viginti abhinc annis in variis Europae prouinciis ſaeuiit, mentio fit, et paulo

lo poſt medicamentorum dulcium abuſus in catarrhis pectoris et tuſſi reprehenditur.

In variolis inciſionem puſtularum, ad maturitatem progredientium, Noſter commendat, praecipue quod puris reſorptionem impediat. Cortex peruuianus non ſolum in febribus, ſed et in aliis morbis, vt egregium medicamentum laudatur, ſunt tamen in Belgio adhuc multi, qui illud noxium dicunt et reformidant, et recidiuas febrium aliaque ſymptomata, non erroribus diaetae et aliis cauſſis, ſed praecipue cortici adſcribunt, et ideo ſaepe ridicula et minus efficacia remedia et amuleta huic praeſtantiſſimo praeferunt. Plicas et conuolutiones in inteſtinis, quas voluulum dicunt, non concedit, cum canalis alimentorum vndique adhaereat meſenterio: forte tamen in his partibus, per hernias nimium diſtentis et minus apte repoſitis, conuolutiones praeternaturales fieri poſſunt. Illas tantum voluuli ſpecies concedit Noſter, quae per inuaginationem, hoc eſt, vna parte inteſtini in alteram protruſa, efficiuntur. Clyſmata ex fumo tabaci hac occaſione data laudantur. De tumoribus mammarum inueteratis, iisque, ne in cancrum abeant, nullo medicamento mouendis bene diſſerit Cl. TISSOT; Noſter autem quodammodo diſſentire videtur, cum afferat, lac in mammis ſtagnans raro cancrum inducere, cum cataplaſmatibus emollientibus et leni frictione diſcuti queat. Sed de inveteratis etiam tumoribus idem ſentire videtur, cum illis cataplaſmatibus ſal tartari et ſaponem venetum addit, et fomentationes cum aqua calida, in qua ſal tartari ſolutum eſt, commendet, internum tamen et in his non negligit remediorum vſum. Laudat etiam emplaſtrum de laudano in pharmacopoliis belgicis receptum. Eum tamen de non prorſus inueteratis ſcirrhis agere, ex eo patet, quod in proxima grauiditate, accedente nouo

p. 163.
p. 200.
p. 246.
p. 288.

lacte

lacte, diſcuſſionem ſaepe ſuccedere, aſſerat. Cicutae etiam effectum, in ſcirrhis reſoluendis et carcinomatibus perſanandis, in Belgio non ſemper votis reſpondiſſe, narrat.

XIII.

Noua phyſico medica.

Imperialis Scientiarum Academia *Petropolitana* chemicis, inprimis artis fuſoriae peritis problema explicandum propoſuerat *) quod ad artem metalla quaecunque ex mineris eliciendi pertinet, et ſe praemium optimae explicationi anno 1763 adiudicaturam eſſe promiſerat. Vtut vtiliſſima eſt haec quaeſtio eiusque ſolutio lucroſa, nihilo tamen minus vnicum tantum modo accepit ſuper hac re commentarium. Hic quidem tum ob principiorum chemicorum vim, tum ob experimentorum, quae repetiit Academia, fidem, eius applauſum omnino mereri videbatur. Quum vero inter vnicum nulla datur optio, quae ſane prima lex academiarum eſſe ſolet, et vt tempus haberent, ſi qui forte eſſent, qui completiorem explicationem meditarentur, quo per experimenta eam firmarent adeoque abſolutam ad academiam mittere poſſent, lubens cunctata eſt, de praemio aliquid decernere. Quod vero quum huc vſque fruſtra exſpectauit, propoſitam autem quaeſtionem maximi in rebus metallicis momenti eſſe iudicat, eandem denuo proponit disquirendam explicandamque. Omnes tamen, hoc ſuſcepturos, iis adſtringit legibus, 1) vt commentarii non ſolis argumentis theoreticis, ſed etiam eiusmodi experimentis nitantur, quae in magno officinarum metallicarum apparatu poſſint inſtitui; 2) vt experimentorum prae-

*) vid. Comment. nor. Vol. X, p. 181.

ea afferatur copia, quae ad propoſitae methodi praeſtantiam probandam ſufficiat; 3) ne ſcripta meris ſententiis, cogitando inuentis, nec experimentis firmatis, aut alchemicis principiis conſtent; 4) vt denique commentarii definito tempore, ad ſummum ante calendas menſis maii 1766 tradantur academiae, de praemio, quod conſtat centum aureorum eſſe, adiudicando die vltimo m. iunii eiusdem anni ſententiam laturae.

Nec Regia Chirurgorum Academia *Pariſina* in conuentu, nuper die 18 m. aprilis celebrato, praemium, huic 1765 anno deſtinatum, vlli commentariorum, quorum duodeuiginti acceperat, tribuere potuit. Plerique enim veram problematis ſententiam non ſunt aſſecuti. Propoſuerat nimirum Academia: determinare veram notionem eorum tumorum, qui nomine *de Loupes* cogniti ſunt, eorum differentias et remedia exponere, quae, et in ſingula eorum ſpecie et ratione cuiuslibet partis, quam occupant, prae aliis applicare debet ars chirurgica. Alii, vocabuli *de Loupes* ambiguitate impliciti, ſcirrhoſos tantummodo tumores ſuppoſuerant, alii ſenſum eius latius extendentes, omnes tumorum ſpecies, qui folliculo includuntur, ganglion, ranulam, ſtrumam, hydrocelen, hydropem ouarii et ipſum tumorem ex ſpina infantum bifida ortum huc retulerant *). Quum itaque nullus horum ex mente Academiae ad ea, quae quaeſiuerat, reſponderit, promiſſum praemium retinuit, et eruditos denuo ad ean-

*) Hic inter ipſos Gallicos ſcriptores de quodam patriae linguae vocabulo diſſenſus excuſationis argumentum nobis praebet, qui, dum de quaeſtione in praecedenti Comment. h. tomo ad lectores noſtros referebamus, vocabulum *de Loupes* ganglio rite exprimere nobis videbamur. vid. Vol. XI. p. 552.

eandem quaeſtionem explanandam duplicato nunc praemio inuitat. Ne vero hi iterum vel longius a mente eius aberrent, vel latius vagentur, Academia in monito quodam, a Cl. LOUIS, qui ipſi eſt ab epiſtolis, publicato declarauit: ſe vocabulo *de Loupes* deſignare ſteatomata, veteribus non ignota, praetereaque ſe optare: vt eruditi non acquieſcerent in ſola compilatione diuerſarum opinionum, quae de hoc vocabulo inter eruditos vigeant, vt e contrario ex ipſa eiusmodi tumorum diſſectione anatomica eorum originem, cauſſas et humoris contenti indolem declarare ſtudeant et oſtendere, qualis curandi methodus ſingulo tumori ſingulisque, quibus inſidet, partibus conueniat; vtrum reſolutio, an ſuppuratio, vel exſtirpatio et exciſio, vel ligatura, vel cauſtica remedia ſint praeferenda. Reliquae conditiones, ſub quibus Academia ab eruditis accipere ſolet commentarios, iam ſatis cognitae ſunt, quos itaque, cum anno 1767 de iis ſit decretura, ante finem proximi anni 1766 expectat.

Quod vero *eadem* Academia in ſequentem 1766 annum propoſuit problema, ſuperius *) iam indicatum fuit.

A Regia etiam Academia Scientiarum elegantiorumque litterarum *Berolinenſi* praemium, quod problemati, ex philoſophia experimentali petito et a nobis iam ſuperius **) allato, in hunc 1765 annum deſtinauerat, ad ſequentem dilatum eſſe accepimus.

Regia vero Societas ſcientiarum *Gottingenſis* in conuentu, die 3 menſis auguſti habito, bina obtulit praemia eruditis, qui optime quaeſtiones, quarum altera ad menſem nouembrem huius anni, et altera

ad

*) In hoc ipſo volum. p. 167.
**) Vol. X. p. 165.

ad eundem menſem ſequentis pertinet, ſint ſoluturi. In priori quaeritur; quo modo aluearia a nociuis defendi poſſunt erucis? In poſteriori vero: num res quaedam excogitari poſſit, quae luteo tingat colore aeque conſtanti, ac ex iſatide et rubia tinctorum optima ſolet oriri.

Qui huc vſque rei epiſtolari Academiae Imperialis ſcientiarum *Petropolitanae* magna cum laude praefuit, variisque ſcriptis inter eruditos inclaruit, GERHARDUS FRIDERICUS MÜLLER, Imperialis Hiſtoriographus, ab Auguſtiſſima Imperatrice ipſis calendis menſis ianuarii huius, quem agimus, anni, Director Primarius domus, infantibus educandis inſtituendisque dicatae atque *Moſcouiae* exſtructae, denominatus et in poſterum curam eius habere iuſſus, ſimulque titulo Conſiliarii Collegiorum ornatus eſt. Atque, quum nunc muneris ratio requirat, vt inpoſterum Moſcouiae, quo nuper iam die 4. m. martii abiit, commoretur, ſuperius apud Academiam geſtum munus iam depoſuit, conſeruato tamen loco membri eiusdem ordinarii, et munere hiſtoriographi Imperialis cum annuo mille et ducentorum numorum vncialium Ruſſicorum ſalario.

Pragae iam ante duos annos munus Profeſſoris Botanices et materiae medicae in eadem Academia Viro Cl. IOANNI BAPTISTAE BOHADSCH, Phil. et Med. Doct. S. S. Caeſ. Reg. Apoſt. Maj. in Commercialibus Conſiliario, Hiſtoriae naturalis iam dudum Prof. et Acad. Botan. Florentinae Socio delatum fuiſſe, nuper demum accepimus. Eundem etiam, ob praeclara in omnem hiſtoriam naturalem merita, Academia Electoralis ſcientiarum vtilium Moguntina die 16. m. aprilis anni 1761 et Regia Societas

ſcientiarum Londinenſis d. 23. m decembris a. 1763 in ſociorum ſuorum numerum receperunt.

Quem *Hagae Comitum* ſponte nuper THOMAS SCHWENKE reliquerat locum Profeſſoris anatomiae et chirurgiae, eum nunc vir occupat clariſſimus CORNELIUS HENRICUS VELSE, Med. Doctor magnam nominis famam iam dudum adeptus egregia ſua diſſertatione: *de mutuo inteſtinorum ingreſſu et aliis machinae humanae extraordinariis*, Lugd. Batav. 1742 edita.

Relicta Marburgenſi Academia in *Göttingenſem* abiiſſe V. Cl. PHILIPPUM GEORGIUM SCHROEDER, ibidem nunc Profeſſorem Medicinae et Anatomiae Ordinarium, nuper *) indicauimus; nunc vero addere poſſumus, eundem munus hoc oratione inaugurali: *de circumſpectione in academicis medicorum inſtitutionibus, quoad diſcrimen euictarum theoriae veritatum et minus certorum eius dogmatum obſeruanda*, auſpicatum fuiſſe. Orationi praemiſerat programma, quod *ſectionem primam experimentorum ad veriorem cyſticae bilis indolem explorandam captorum* exponeret. Relatum etiam legimus, eundem titulo Archiatri regii haud ita pridem eſſe ornatum.

Viennae Auſtriae die 2. menſ. aprilis huius anni praematura mors omnem ſpem abſtulit, quam florens ibidem Academia de dexteritate atque aſſiduitate inclyti viri IOANNIS LAURENTII GASSER, S. S. Caeſ. Reg. Apoſt. Maieſtatis Conſiliarii, Philoſophiae et Medicinae Doctoris, Anatomiae Profeſſoris Publici conceperat, ex parte etiam expletam viderat. Patria ipſi erat *Flauium Solonenſe, Carinthiae* vrbs. Parentes habuit honeſtos, IOSEPHUM

RUPER-

*) Vol. X. p. 717.

RUPERTUM et ANNAM MARIAM MAYERIAM, natus die 22. m. martii anni huius ſeculi vigeſimi tertii. Literarum initiis et iis diſciplinis, quibus fundamenta altiorum ponuntur, *Clagenfurti* bene inſtructus, anno 1742 Viennam ſe contulit, arti ſalutari operam daturus. Hic multos commoratus eſt annos et, poſtquam Ill. et magni nominis Vir, GERARD. VAN SWIETEN Viennam 1745 accitus fuerat, per octo integros annos ex illius ore pependit. Ab Auguſtiſſima Imperatrice denominatus, vt cum vndecim ſociis, in certiorem belli tempore ſauciorum militum curationem in chirurgia manuali inſtrueretur, maximo feruore illi incubuit magnopereque in hac aeque ac in anatomia, quam hanc ob cauſſam ſedulo tractabat, profecit. Anno 1754 vacua cathedra anatomica munus *Lectoris anatomici* ipſi creditum fuit, cui quum per triennium ſumma cum ſedulitate atque laude praefuiſſet, vno eodemque anno Doctoris Medicinae, Profeſſoris Anatomiae, et Conſiliarii Caeſ. Regii dignitatibus in meritorum gratiam ſtudiique incitamentum eſt ornatus.

Erlangae etiam nuper V. Cl. IOANNES CHRISTIANUS ARNOLD Phyſ. Prof. Public. Ordinarius, Societatis artium liberalium Lipſienſis et teutonicae Erlangenſis Collega Honorarius die 9. m. iulii h. a. pertinaci morbo extinctus eſt, aetatis ſuae annum agens quadrageſimum quartum. Natus erat *Leucopetrae*, vrbe haud ignobili *Saxoniae ſuperioris*, die 2. m. februarii anni 1724, patre PETRO ARNOLDO patriae vrbis ſenatore meritiſſimo, et matre LINSELIA. In patria ſchola inſtitutione MESSERSCHMIDII in litteris humanioribus, et H. E. POLEYI, mathematici praeclari, in rebus phyſicis et mathematicis, multum profecit, iisque bene praeparatus academias anno 1740 petiit, primum Ienenſem,

poſtea Lipſienſem. Collecto in vtraque nunc ſcientiarum theſauro, in patriam reuerſus eſt, repetitione, librorum lectione cogitationeque illum aucturus. Vtili hoc litterarum otio ſatiatus, et quum academica vita plurimum iucunditatis ipſi habere videretur conſilium cepit prae ceteris eam eligendi. Altorfum itaque ſe contulit, ibidemque coniunctiſſima familiaritate Cl. ADELBULNERI, mathematici eximii, diu vſus, opportunitatem habuit, rerum mathematicarum et botanices ſtudium, quo vel maxime flagrabat, explendi. Anno demum 1754 migrauit Erlangam, vbi acceptis ſummis philoſophiae honoribus, iuuentuti academicae inſtitutionibus ſuis mathematicis magno cum applauſu inſeruiit. Tunc temporis primum ſcientiae ſuae edidit ſpecimen in duplici diſſertatione, quae vtraque *de viribus viuis earumque menſura* agit. Eodem anno, ampliſſimo philoſophorum ordini adiunctus, aliam defendit *de calore, motu particularum corporis, eoque rotatorio circa axes neutiquam explicando*. Quo factum eſt, vt ipſi anno ſequente munus Profeſſoris Philoſoph. Extraordinarii et anno demum 1759 Phyſices Ordinarii committeretur, et cum hoc ſimul locum in ampliſſimo Philoſophorum Ordine obtineret. Qua occaſione in ſchediaſmate quodam *de thermometri, ſub campana antliae pneumaticae ſuſpenſi, variationibus commentatus eſt*. Praeterea ad *Promptuarium Vniuerſale* et ad *Collectiones Franconicas* multa contulit ſcripta, et haud ita pridem vtilem librum CAROLI BONNET, *de vſu foliorum in plantis*, in teutonicam verſum linguam edidit.

Halae denique *Magdeburgicae* die 7. m. auguſti h. a. e vita diſceſſit IOANNES IOACHIMUS LANGE, matheſeos in eadem Academia Profeſſ. Publ. Ordinarius, Acadd. Imperialis Naturae Curioſorum

et

et Regiae Berolinenſis Socius. Variis ſcriptis inter phyſicos innotuerat, vel maxime vero editione teutonica *ſyſtematis Linnaeani* Halae 1740 euulgata, et binis diſſertationibus, quarum altera *geneſin lapidum obſeruationibus illuſtratam*, altera *lithographiam Halenſem* tradit. Vtraque ibidem prodiit, illa 1756, haec 1758.

Quum omnis in hiſtoriae naturalis ſcrutinio labor noſtro ſeculo eo dirigi ſoleat, vt per exempla, quae ars imitatur, corporum noſcendorum forma curatius certiusue appareat, iam duo iterum, hunc in finem directa, opera indicamus, quorum alterum inſectorum, alterum vero auium delineationes deſcriptionesque continebit. *Inſectorum*, praecipue *Coleopterorum* tradere hiſtoriam animus eſt IOANNIS EUSEBII VOETII Med. D. Expoſitio erit triplex, latina, gallica et belgica, ſingulum inſectum in aes incidetur et viuis ad naturam pingetur coloribus, continebit autem indigena aeque ac huc pertinentia exotica omnia, ordine ſyſtematico ad methodum diſpoſita atque digeſta. Breues quidem dabuntur deſcriptiones, ſed nomine conueniente et proprietatibus notis inſtructae. Prodibit opus in forma, quam quartam dicunt, totumque duobus voluminibus conſtabit. Numerus inſectorum delineandorum ad quingenta accedet, et ſeptuaginta circiter tabulis aeneis ſiſtentur, quarum quaelibet habebit octo figuras. Haec autem ſimul cum deſcriptione addenda conſtabit diobolaribus ſiue ſtuueris decem, ita vt octo tabulae, quae ſingulo ſemeſtri prodibunt, conſtent quatuor florenos hollandicos. Hinc, quod multae impenſae faciendae ſunt in eiusmodi opus, rogantur amatores, vt nomina profiteantur ſua, quo facto ſtatim editio tabularum parabitur. Nomina eorum, quibus ſubſcribere animus

eſt, ipſi operi praemittentur. Character literarum, et iconum nec non colorum elegantia, acceptum iri hoc opus amicis, praeſagiunt.

Alterum opus Florentiis adornabitur, et *Ornithologiam* complectitur. Illuſtris quondam marchio et ſenator IOANNES GERINUS, Patricius Florentinus, multa diligentia et impenſis hoc opus inſtruxit, cuius, pro ſua in hiſtoriam naturalem propenſione, filius CAROLUS GERINUS directionem et editionem demandauit Cl. LAURENTIO DE LAURENTIIS et bibliopolis *Antonio Riſtori et Ioachimo Pagnani.* Sex voluminibus conſtabit opus, quorum ſingulum centum circiter tabulas aeri inciſas, coloribusque diſtinctas continebit; ſingulo addentur diſſertationes, praefationis loco, et elenchus ſyſtematicus ſpecierum et varietatum deſcriptarum ſimul cum celeberrimorum auctorum ſynonymis. In operis praeter ea volumine primo dicetur de methodo aues diſponendi, in vltimo indices varii addentur. Itidem et illud modo, quem vocant, ſubſcriptionis prodibit, ſingulo bimeſtri ſpatio duodecim icones edentur, pretio ſoluto Iuliorum Romanorum decem cum dimidio, textus vero, quo nomina, deſcriptiones, hiſtoria auium, reliqua traduntur, ſine vlterioribus largietur impenſis. Alias ſingula tabula iulium integrum conſtabit, quarum etiam quaelibet fautori et ſubſcribenti dicabitur. Immo, ad finem deducto opere, ſi quis auem aliquam non deſcriptam aut omiſſam poſſideat, eamque velit communicare edentibus, aut depictam aut exuuias, ſimiliter icon eiusdem, ad opus perfectius reddendum, addetur. Excudentur omnes icones forma folii maxima. Exteri, qui ſubſcribere velint, vt procuratorem Florentiis conſtituant, humaniter rogantur.

Memo-

Memoria HENRICI THEOPHILI SCHEFFERI, Directoris, et Regii Collegii rei metallicae Suecici, nec non officinae monetariae regni Docimaſtis, Regiae Scientiarum Academiae Suecicae Socii.

Ea vitae genera, quae maximam partem opera manuaria conſtant, vt mercatura et res ruſtica, iactant plerumque vim ſuam ad pecuniam quaerendam, et prae hac vtilitate literas contemnunt, quibus vitam impendant non niſi otioſi homines, quorum vanae cogitationes ſaluti publicae nihil proſint; ſed domi tantum oblectent, ceterum paupertatem habeant fidiſſimam comitem. Vt vero, qui ita cenſent, ſemper inter numos, merces et agros verſantur, ita non ſolum de partibus vitae humanae in vniuerſum peſſime iudicant, ſed etiam hac de literis opinione turpiter decipiuntur. Non dicemus, quam arcte ciuitatium partes omnes copulatae ſint, vt tenuiſſimi quique tamen aliquid conferant: hoc potius intelligi volumus, ciuitates ſine literis barbaras eſſe; hoc eſt, primum ab omni cultu vitae alienas, ideoque non appetentes diuitiarum, humanitatis, elegantiae, qua vna alitur mercatura: deinde ingenio deſtitutas, ſine quo nec mercatura, nec oeconomia ſtare poteſt. Nulla enim vmquam fuit ciuitas barbara, in qua aut mercatura vltra vitae neceſſitatem exerceretur, aut oeconomia tractaretur vltra agriculturam, eamque vſibus vnius aeſtatis aut familiae accommodatam, et propter incertas hominum vagantium ſedes ipſam incertam. Nec difficile eſt illius coniunctionis cauſſam deprehendere. Nam quamquam fatemur, eiusmodi res neceſſitate aliqua cogente repertas eſſe, et vſu, ac ſaepe caſu correctas: tamen vel artium elegantiorum adiu-

mentum, eas reddidit expeditiores, vel literarum examen et iudicium certas effecit, hominesque docuit intelligere, quomodo et quibus de cauſſis hoc tractarent, quod antea tantum viderant ſe tractare. Ex eorum numero, qui oeconomiam inueniendo, ſuadendo, corrigendo, expedierunt vel auxerunt, fuit etiam SCHEFFERUS, Sueciae, in qua oeconomiae tantus honor habetur, opportuno tempore datus, multarumque rerum, ad oeconomiam vtilium, ſolers auctor.

Originem ducit gens SCHEFFERIA e Franconia et Wetterauia, ab illo SCHAEFFERO aut SCHRIFFERO, qui FAUSTO in typographia conſtituenda adfuit. IOANNES SCHEFFERUS demum, auus eius, quem hic deſcribimus, a CHRISTINA Suecorum Argentorato Vpſaliam profeſſor vocatus eſt; cuius filius IVO, collegii regii metallici Secretarius, noſtrum hunc IOANNEM e GUSTAVIANA EHRENSTIERNA a. 1710. d. 28. Dec. ſt. v. Holmiae progenuit. Mater e partu, tribus annis poſt pater obiit, vnde cognatorum cura SCHEFFERUM ad literas duxit. Propter amorem matheſeos miſſus eſt in academiam Vpſalienſem, in qua ab a. 1725 ad 1731 ANDREAM CELSIUM ſtudioſe audiit: ſed non aeque peritum phyſices doctorem nactus, cognitionem eius e libris ipſe ſuo ſtudio hauſit. His praeſidiis inſtructus, relicta academia, ad rem metallurgicam ſe contulit, impetrauitque nomen et ius Auſcultantis in Collegio regio metallico. Interfuit eo tempore experimentis phyſicis TRIEWALDII, qui ex Anglia redierat, et hoc modo firmauit, duce BRANDTIO, conſilium chemiae tractandae, ad quod eum honor antea commemoratus inuitarat, breuique tantum progreſſus eſt, vt officinam exſtrueret, quae tamen rei familiari non parum detrimentoſa fuit. Indefeſſo ſtudio metalla verſauit, earumque

que fuſione aut placitis chemicorum ſtabilitis, aut concluſionibus inde ductis, reperit etiam, quae medicinae vtilia eſſe poſſent, omnibusque his negotiis tantam famam confecutus eſt, vt vel depoſita ab aliis, vel infeliciter ſuſcepta, vel dubia et obſcura eius curae et dexteritati committerentur, quae plerumque proſpere ceſſit. Haec autem quam late patuerint, et quomodo effecta ſint, dixit ipſe peculiari libro *de ſeparationibus chemicis*. Vnum fuit in hoc toto genere moleſtum, quod interdum ipſum eius corpus non ſine damno vim medicamentorum expertum eſt. Indicem plantarum Suecicarum, quae ad artem tinctoriam vſurpari poſſent, collegio ei tradidit, quod harum rerum curam gerit, et in hoc etiam genere plura cum exoptato ſucceſſu periclitatus eſt, in his viridem colorem, in Saxonia inuentum. Accepit ergo a collegio erudiendae iuuentutis munus, et omnium examinandorum poteſtatem, quae ad tinctoriam artem referuntur, cum annuo ſalario. Regi porro commendatus, a. 1752 officinae monetariae nomine Docimaſtae praeeſſe iuſſus, et a. 1756 inter nobiles regni receptus eſt. Vt autem modum vaſa porcellana fabricandi, et naturam mutationesque colorum mineralium tenuiſſe exiſtimatur, ita conſtat, metallum ex America in Hiſpaniam miſſum, Platina di Pinto, ab eo examinatum, et LEWISIUM, qui idem fecerat, humaniter correctum eſſe. Nitri puritatem explorare docuit, et compoſitionem linimenti, *Spalme Couroy Maſtic*, quo naualibus lignis a corruptione cauetur, a Gallis detectam, imitatus eſt. Addimus hoc loco, a. 1746 regiam ſcientiarum academiam Holmienſem eum inter ſocios cooptaſſe, multasque tractationes, et auctori et academiae decoras, accepiſſe, quarum vna *de cineribus clauellatis* monetae aureae praemio honorata eſt: quid quod tandem ad Praeſidis hono-

rem

rem adſcendit. Tam vtilem ciuem, tam parum ſuae vtilitatis cupidum, tam paratum ad detegendum et in vſus publicos conuertendum, quidquid inueniſſet aut imitatus eſſet, amiſit Suecia a. 1759. d. 10. Aug. cum impares eſſent corporis vires doloribus calculi. Ceterum facile nobis aſſentientur, qui hanc narrationem legerint, cum ab initio hunc virum ex eorum numero eſſe dixerimus, quorum doctrina oeconomiae multum prodeſſe ſolet: ideoque ſtatuent meritis eius tanto maius pretium, quanto cariores eſſe debent, qui publicae vtilitati conſulunt.

XIV.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1762 prodierunt.

Verſuch einer Beſchreibung hiſtoriſcher und natürlicher Merkwürdigkeiten der Landſchaft Baſel. Das 21ſte Stück. Baſel. 8.

Deſcription of the Island Bourbon. London. 8.

Dictionnaire portatif d' Hiſtoire naturelle etc. a Liege.

Ectypa vegetabilium, vſibus medicis praecipue deſtinatorum et in pharmacopoliis obuiorum variisque modis praeparatorum, ad naturae ſimilitudinem expreſſa etc. moderante D. C. G. LUDWIG; impreſſit IO. GODOFR. TRAMPE. *Nach der Natur verfertigte Abdrücke der Gewächſe, u.ſ.w.* Faſc. V. N-P. p. 101-125. Halae fol.

Obſervations ſur l' Ecorce des feuilles et petales. a Geneve. 12. (*Autore* B. DE SAUSSURE, *Prof. hiſtor. natural. Genevenſ.*)

Land- und Gartenſchatz, Univerſalregiſter über alle deſſen 6 Theile. Erfurt. 8.

Second

Second Memoire ſur la Pratique du Semoir de Geneve, lû dans une des Sceances de la Societé Royale d' Agriculture de Lyon, contenant les experiences faites en 1761 dans la Province du Lyonnois, et ſervant de Suite a celui publié en 1760. Recolte de l'année 1761. a Lyon. 8.

Tvänne Svar på Frågan om orſakerne, hvarfore Gikt har i de ſenare åren blifvit en mera allmän ſiukdom här i Landet, an tilförene? ſamt hvilka äro de bäſta Förvarings- och Bote-medel emot ſamma ſiukdom? Hvilken Fråga, år 1761; blef af Kongl. Vetensk. Academien upgifven. Stockholm. 8 mai.

Svar på Frågan om bäſta ſättet at upodla Måſſ-lupna Angar; hvilken Fråga af Kongl. Vetensk. Academien blef upgifven år 1761. Stockholm. 8 mai.

Natuurlyke Hiſtorie of uit voerige Beſchryving der Dieren, Planten en Mineralen volgens het Zamenſtel van den Heer LINNAEUS met naaukeurige Afbeeldingen. Eerſte Deels Derde en Vierde Stuk: de Vògelen. t' Amſterd. 8 mai. c. f.

Hiſtoire abrégée des Inſectes qui ſe trouvent aux environs de Paris, dans la quelle ces animaux ſont rangés ſuivant un ordre methodique. Tom. I. II. a Paris. 4 mai. c. tab. aen. Voll. 2. (*Neminem lectorum latet, hoc opus iure* Cl. GEOFFROY, *iuniori tribui.*)

Der Gewehrgerechte Jäger, welcher das Schieſsgewehr ohne abergläubiſche Schützenkünſte gut gebrauchen lehret. Stutgard. 8.

Neue luſtige und vollſtändige Iagdluſt, ſowohl von den Vögeln als andern Thieren beſtehend in 5 Theilen. Zweyte Auflage. Leipz. 8.

Materia medica contracta, ſynonyma, natalia, pharmaceutica, qualitates, principia, praeparata, vires,

res, vſus communes, vſus praecipuos, compoſita, doſes, iudicium complectens. Venetiis. 8. (*Hic liber ſecundum tria naturae regna eſt compoſitus, e quibus minerale et animale ipſe* Cl. Auctor, LUDOVICUS TESSARI, *collegit atque deſcripſit, loco vero vegetabilis regni Ill.* LINNAEI materiam medicam, *de qua quippe* liber *tantum* primus, de plantis, *proſtat, adiecit, huiusque etiam methodum in prioribus regnis componendis eſt ſecutus*)

Comparatio nominum plantarum officinalium cum nominibus botanicis LINNAEI et TOURNEFORTII (*latine et germanice*) Berolini. 8.

Grundlehren von der Experimentalchymie, welches ein Verſuch iſt, dieſen Theil der Naturlehre in ein regelmäßiges Syſtem zu bringen; von dem Verfaſſer des geöfneten Laboratoriums etc. Aus dem Engliſchen überſetzt. Erſter und zweyter Band. Altenb. 8. Voll. 2.

Abhandlungen von irländiſchen Steinkohlen, die keinen Rauch geben. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt von C. R. F. Iena 8.

Zufällige Naturgemäße Gedanken von der Gewißheit der edlen Chy- und Alchymie und was von den iezigen Roſenkreuzersorden zu glauben ſey. Wolfenbüttel. 8.

Alchymiſtenlogic oder Vernunftlehre der Scheidekünſtler, um die unverſtändigen Alchymiſten zu rechte zu weiſen. Königsberg. 8.

Abhandlungen von Talismanen oder aſtraliſchen Figuren, deren Wirkungen, wunderbaren Eigenſchaften und Art ſie zu verfertigen. Sorau. 8.

Geheimniſſe von 224 *experimentirten Kunſtſtücken. Zweyte verbeſſerte Auflage. Zelle* 8.

Niederſächſiſches Kochbuch. Vierte verbeſſerte Ausgabe. Altona. 8.

Der die vornehmſten europäiſchen Höfe durchwanderte und ganz neu in der Schweitz angelangte Hof- und Mund-

Mundkoch, welcher mehr als 1500 Speiſen auf das ſchmackhafteſte und nach der neueſten Art zuzurichten lehret, nebſt einer kleinen Hausapotheke und mehr als 300 dem Frauenzimmer dienlichen ſehr raren Kunſtſtücken. Zürich. 8.

Eſſai hiſtorique ſur la Médécine en France. 12. (Auctore IOAN. BAPTIST. LUD. CHOMEL.)

Defenſe de la Faculté de Médéciné de Paris, pour ſervir a l'inſtruction de la cauſe pendante en la Grande Chambre du Parlement, au Sujet de la place de Médécine de l' Hôpital - général précédée du Precis publié ſur la même affaire et ſuivie de l' Eloge hiſtorique de l' Univerſité et de la Faculté de Medecine. a Paris. 12.

Der Arzt: eine mediciniſche Wochenſchrift. 7ter und 8ter Theil. Hamb. u. Leipz. 8.

Anecdotes de Médécine. ſ. l. (a Lille) 12. (*epiſtolae dedicatoriae ſubiectae ſunt hae litterae:* BARB *** DU B.**, *quas non nulli interpretati ſunt:* BARBEU DU BOURG, *cui tamen hic Cl. vir contradixit. Alii auctorem eſſe perhibent Cl.*-DUMONCHEAUX, *Medic. Duacens; alii vero eum negant.*)

Sammlungen auserleſener Wahrnehmungen aus der Arzneywiſſenſchaft, Wundarzney und Apothekerkunſt. 6ter Band. Strasburg 8.

The new Theory of Generation, by I. C. M. D. V. I. London. 8.

De la Santé. Ouvrage utile a tout le monde T. I. II. a Paris. 12. Voll. 2.

Geſundheitscabinet für den, der ſein eigner Medicus ſeyn will. Frankf. u. Leipz. 8.

(Reliqua proxime.)

Con-

Contenta in hac parte.

1. Hiſtoire naturelle generale et particuliere avec la Deſcription du Cabinet du Roi Tom. X. p. 387
2. ZEVIANI della cura dé bambini attacati della rhachitide. - - p. 415
3. RASPE ſpecimen hiſtoriae naturalis globi terraquei praecipue de nouis e mari natis inſulis cet. p. 420
4. POUTEAU Eſſai ſur la rage. - - p. 428
5. ELLER Obſeruationes de cognoſcendis et curandis morbis praeſertim acutis. - p. 431
6. MORGAGNI Opuſcula miſcellanea. p. 436
7. DE MARE *Chemiſcher Verſuch des Niederöſterreichiſchen Baadner Baades* - - p. 440
8. Medical Obſervations and Inquiries, by a Society of Phyſicians in London. Vol. II. - p. 444
9. MEYERS *Chemiſche Verſuche zur näheren Erkänntniß des ungelöſchten Kalchs cet.* p. 468
10. HILL Vegetable Syſtem, Vol. I. - p. 500
11. Kongl. Vetenſkaps Academiens Handlingar for Aor. 1762. Vol. XXIII. - - p. 526
12. TISSOT Avis au peuple ſur ſa ſante p. 543
13. Noua phyſico medica. - - p. 560
14. Continuatio indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1762. prodierunt. - p. 572

COMMENTARII DE REBVS IN SCIENTIA NATVRALI ET MEDICINA GESTIS.



VOLVMINIS XII. PARS IV.

LIPSIAE MDCCLXV.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud I. Manfré,
Holmiae apud L. Saluium.

I.

Hiſtoire de l'Académie Royale des Sciences. Année MDCCLVIII. Avec les Mémoires de Mathématique et de Phyſique tirés de Regiſtre de cette Académie, à Paris, de l'imprimerie Royale 1763. 4. 3 Alph. 13 pl. 18 tab. aen.

h. e.

Hiſtoria et Commentarii Regiae Academiae Scientiarum Pariſienſis ad annum 1758.

In hiſtoria Academiae inter *obſeruationes ad Phyſicam generalem pertinentes* legitur

1. Narratio de ſtupendis effectibus duorum turbinum, qui in inſula Melita anno 1757 d. 19 Octobr. et 5 Nouembris ſaeuierunt. Prior horum turbinum, qui vix trigeſimam horae partem durauit, adeo ſaeuiit, vt etiam eiusmodi tormenta bellica, quae globos plus quam 40 librarum eiaculantur, euerteret et elocaret. p. 19.

2. In quadam aerifodina agri Lugdunenſis reperiri fertur vegetatio metallica in tignis quercinis, quibus crypta quaedam olim ſuffulta fuit. p. 21.

3. A Reu. P. BERTIER obſeruatum eſt, fructus, praeſertim melopepones et ceraſa, per hie- p. 22.

mem optime conſeruari in vaſis fictilibus muſco circumdatis, ſi ea vaſa in medio fundi foſſae, glacie repletae, ita ponantur, vt omni ex parte glacie cingantur et tegantur.

p. 23. 4. Singularis ſpecies Iridis d. 14 Martii an. 1758 ſub finem horae 10 antemeridianae viſa eſt Cl. PINGRÉ, quae a meridiano circulo paullulum verſus occidentem declinabat; amplitudo arcus erat praeterpropter 5 graduum, pars infima circiter gradus 10 ſupra horizontem eleuata erat, et conuexitas rubra verſus ſolem ſpectabat, ſed ita, vt recta linea a ſole ad arcum ducta fere ad rectos angulos tangenti inſiſteret; curuatura non tam vniformis erat, quam in vulgari Iride; et colores eius viuidiores videbantur per tabulas vitreas feneſtrae, quam aperta feneſtra conſpecti.

p. 24. 5. Ill. HALLERUS experientia edoctus, vulgari ratione excoquendi ſalem haud parum acidi in ſale contenti in auras abire, et ea de cauſſa ſalem minus bonum haberi, cogitauit de alia methodo ex aquis ſalinarum parandi ſalem, ſine coctione, ſola euaporatione, per radios ſolis adiuta. Experimenta eum in finem ab ipſo inſtituta mirifice ſucceſſiſſe, ipſe ad Academiam ſcripſit, quae hoc inſtitutum ab vtilitate vehementer commendat.

p. 27. 6. Cl. Abb. SAUVAGES, Societatis Regiae in Monte Peſſulano ſodalis, retulit Academiae, innotuiſſe ſibi araneae ſpeciem, araneis cellarum ſimillimam, ſed ſub dio habitantem in ripis fluminum et aggeribus viarum, ob miram induſtriam, qua ſuum ſibi cubile parat, valde notabilem. Excauat enim illud in terra ſaepe ad duos pedes profundum, eiusque ſuperficiem, perfecte cylindricam, rariori tela inueſtit, aditumque claudit porta verſatili, e minutiſſimis terrae particulis fabricata, et per fila ſic ſuſpenſa, vt quotiescunque aperta fuerit, ſtatim

recidat

recidat ſuo pondere in os foſſae ſeu cubilis, illudque exacte recludat; ad interiorem etiam huius portae ſuperficiem multa fila annectit, quae ad ſe trahendo, vi non exigua reſiſtit portam aperituris. Plures obſeruationes nondum licuit Viro Cl. inſtituere, quae vitae genus harum beſtiolarum docere potuiſſent. Fortaſſe (ſi nobis coniecturam proponere liceat) omnia illa animalculi molimina ſolam ſecuritatem ouulorum eiusdem reſpiciunt.

Obſeruationes anatomicae ſunt quatuor.

1) Cl. MORAND Academiae oſtendit lienem hominis, cuius duae tertiae partes oſſeae erant. Tertia pars, vaſis ſplenicis contigua, ſubſtantiae erat ſpongioſae, quae oſſeae firmiter adhaerebat. Ceterum hic lien neque inſolitae magnitudinis erat, neque homini, dum viueret, moleſtus fuerat. p. 41.

2) *Idem* in corde viri, ſubitanea morte exſtincti, ad baſin duas deprehendit concretiones oſſeas, et pericardium ſtricte adhaerens cordi; palpitationes tamen cordis vir ille nunquam erat queſtus. p. 42.

3) Ruſtici cuiusdam in montibus Gebeanicis filius inde a quarto aetatis ſuae anno vsque ad ſextum creuit ad quinque pedum longitudinem; forma tamen eius non erat monſtroſa, neque morbus hoc prodigioſum incrementum anteceſſerat, neque ipſum cum dolore vel incommodo quodam coniunctum fuerat, praeter famem fere continuam, et vix explebilem. Quinto iam anno omnia pubertatis ſigna aderant; viribus etiam tantae ſtaturae conuenientibus pollebat puer adeo, vt onus 150 librarum facile humeris imponeret, et aſportaret; mentis tamen vis, licet maior, quam in puero ſex annorum eſſe ſolet, non par cum corpore incrementum ceperat, ſed actiones eius infantiam prodebant. Cum autem ſeptimum aetatis annum attigiſſet hic p. 44.

 puer,

puer, quem omnes gigantem euaſurum eſſe putabant, crura eius incuruari ceperunt, ſtatura et vires imminui, vox minus robuſta fieri. Nunc vitam agit inter imbecilliores cenſendus.

p. 46. 4) Cl. HERISSANT Academiae monſtrauit calculum e veſica equi extractum, in cuius medio erat fruſtum ligni.

Inter *Elogia*, quae *Hiſtoriam* huius anni claudunt, legitur IUSSIEU elogium, ex quo quaedam excerpſiſſe haud poenitebit.

p. 115. ANTONIUS DE IUSSIEU, Eques, Regi Galliae a conſiliis et epiſtolis, Doctor Medicinae, Profeſſor publicus et Demonſtrator in Horto Regio, Academiarum Scient. Pariſinae et Berolinenſis, nec non Societatis Regiae Londinenſis Sodalis, natus erat Lugduni anno 1686. d. 8 Iulii. Patrem habuit LAURENTIUM DE IUSSIEU, Medicinae Doctorem, matrem LUCIAM COUSIN, quae, quamdiu in vtero ipſum geſtauerat, mira ſe teneri ſenſerat cupiditate plantarum cognoſcendarum, et herbario ſibi componendo indefeſſam operam impenderat. Erunt, qui dicant, hanc rem vitae genus nati portendiſſe. Vtcunque autem ſit; certe vulgaris illius opinionis de phantaſiae matris in foetum vi immunes fuiſſe videntur ANTONII parentes, quippe qui ipſum Eccleſiae deſtinabant. Neque renuebat filius, ſed annum aetatis decimum quartum agens tonſuram patiebatur. At amor plantarum, qui ſe iam ante illum annum in ipſo manifeſtauerat, quemque reprimere parentes non multum laborabant, cum exercitationem corporis ac defatigationem, cum excurſionibus botanicis coniunctam, infirmitatibus, quibus corpus filii obnoxium erat, medelam afferre viderent, amor ergo ille in dies magis magisque creſcebat, ſuſtentatus inprimis Medici non incelebris,

GOIFFONI, inſtitutione, ad quem ANTONIUS ſe applicauerat, cum eum in deſcriptione plantarum circa Lugdunum naſcentium edenda occupari audiiſſet. Cui amori cum ſatis ſe poſſe facere, ſi deſtinatum vitae genus teneret, vereretur, abſoluto in magno Ieſuitarum collegio Lugdunenſi philoſophiae curriculo, poenituit ipſum conſilii priſtini, et medicinae ſe dicare maluit, ſi id ſibi fas eſſet. Licuit autem ipſi eſſe tam felici, vt et a ſacerdote quodam, viro bono et ſapiente, cui animum ſuum anxium aperuerat, in nouo propoſito confirmaretur, et parentibus ſuis ac magiſtris facile perſuaderet, vt id ratum haberent. Itaque plenus cupiditate artem ſalutarem addiſcendi ſub finem anni 1704 vniuerſitatem in Monte Peſſulano petiit, quod iter plantas prope viam colligens confecit. Ibi per tres annos aſſiduus interfuit praelectionibus CHIRACI et CHICOYNEAU in medicina, MAGNOLII in botanica, DE LA PEYRONNIE in anatomia, et DIDERI ac LA FAVEUR in chymia. Quod tempus hiſce doctoribus dandum non erat, aeſtate quidem excurſibus botanicis, hieme autem repetendis laboribus chymicis cum aliquot amicis impendit. In illis autem excurſibus coepit tunc etiam praeter plantas alia ad hiſtoriam naturalem ſpectantia attendere, et praecipue foſſilia ſibi colligere. Nec praxin clinicam neglexit, ſed eam, medico quodam celebri, in cuius familiaritatem et conuictum admiſſus fuerat, diligenter exercuit. Vltimo anni 1707 menſe, poſt habitam publice ſub CHIRACI praeſidio diſputationem *de natura et curatione vulnerum*, iura Doctoris medicinae cum omnium plauſu nactus eſt. Sequenti anno Lutetiam contendit, non alio conſilio, quam vt TOURNEFORTIUM audiret; ſed cum eum morbo, qui vitam eius finiit, correptum inueniret, ſtatim in Normanniam et inferiorem Britanniam

 profe-

profectus eſt, naſcentes in oris harum prouinciarum maritimis plantas noſcendi et conquirendi cupidine impulſus. Ex quo itinere cum Lutetiam reuertiſſet, munus Profeſſoris in horto Regio, tunc vacans, quod multi ambiuerant, ipſi praeter eius ſpem atque opinionem demandatum eſt anno 1710. Proximo anno iter in prouincias Galliae mari mediterraneo adiacentes ſuſcepit, et multis plantis inde reportatis hortum Regium ditauit. Deinceps animum applicuit ad deſcribendam et in ordinem redigendam collectionem plantarum a BARELLERIO, e familia DOMINICI, in eius per Galliam, Hiſpaniam et Italiam itineribus conquiſitarum, quod opus publici iuris fecit. Poſtea ipſe iter botanicum per Hiſpaniam et Luſitaniam ſumtibus Regiis inſtituit, et decem menſium ſpatio confecit, ex quo ingentem plantarum copiam, et magnum numerum rerum memorabilium ex ceteris naturae regnis, in hortum Regium miſit. Cum tamen neque hoc itinere expleuiſſet deſiderium incognitas ſibi plantas videndi, rurſus adiit prouinciam Lugdunenſem, vt in montium huius prouinciae faſtigiis vix acceſſibilibus plantas cum fratre exquireret. Et hoc poſtremum fuit iter eius botanicum; reliquum vitae ſpatium Lutetiae exegit, muneris ſui functionibus, et aegrorum curationi vacans. Obiit apoplexia correptus d. 22 Aprilis anni 1758. Scripta eius, praeter ea, quae in Commentariis Acad. Sc. habentur, ſunt: *Additamentum ad Inſtitutiones botanicas* TOURNEFORTII *in edit.* 1719; Liber *de proprietatibus et vſu Simarubae*; et Oratio *de progreſſu botanices*, cum *Introductione in cognitionem plantarum*, et plurimis Theſibus Medicis.

Commentarii, quos hoc volumen complectitur, ſunt numero duo detriginta.

1. *Theore-*

1. *Theoremata dynamica* Cl. D' ARCY.

2. *De ſolutione ſulphuris in ſpiritu vini: Auctore Comite* DE LAURAGUAIS*. Cum Auctor intellige- pag. 9.
ret, ſulphuris et ſpiritus vini particulas non niſi in ſtatu vaporum coniungi ſecum inuicem poſſe: poſt vnum et alterum tentamen ſcopum ſuum ſic optime aſſecutus eſt. Magnae cucurbitae, in balneo arenae poſitae, indidit flores ſulphuris, et deinde in eadem lagenam collocauit, in quam vulgarem ſpiritum vini infuderat, et capitello impoſito matracium adaptauit; quo excepit deſtillatione genitum liquorem, in cuius 14 drachmis decem grana ſulphuris ſoluti continebantur, vt comparatio inter grauitates ſpecificas huius liquoris et ſpiritus vini inſtituta docuit.

3. *Cl.* DE LA LANDE *commentatio de inaequalitatibus in motu Martis, quae ex actionibus Iouis in ratione duplicata inuerſa diſtantiarum oriuntur.*

4. *Comitis* DE LAURAGUAIS *experimenta circa miſturas, quae aetherem praebent, circa aetherem ipſum, et circa eius miſcibilitatem cum aqua.*** Haec experimenta in ipſo contextu, quo Auctor ea enarra- p. 29.
uit, legenda ſunt. Nobis non licet, niſi quaedam confectaria ex illis ducta hic annotare. Nimirum inde colligit, 1. omnem aetherem, ſiue vitriolicum, ſiue nitroſum, ſolui poſſe ab aqua, ſed ita, vt detur punctum ſaturationis; hinc ſemper iacturam aetheris fieri, cum ab eo ſuperabundans oleum per aquam ſeparetur: 2. aquam eſſe tam aptum auxilium rectificandi aetheris, quam vtilis ea, docente KUNKELIO, eſt ad ſpiritus vini rectificationem;

* Lecta d. 27 Mai. 1758. ** L. d. 3 Iun. 1758.

et aetherem hoc modo rectificatum facilius miſceri aquae, haud tamen vltra certum terminum.

5. 6. *Diſquiſitionis ſuper poſitione praecipuorum punctorum in theoria planetarum ſuperiorum*, Pars II et III. Auctore Cl. LEGENTIL.

7. *Cl.* BEZOUT *commentatio de curuis lineis, quarum rectificatio a quantitate data pendet.*

8. *Cl.* MARALDI *commentatio de motu nodorum quarti ſatellitis Iouis.*

9. *Cl.* GUETTARD *deſcriptio ſalinarum in*
p. 99. *ora maritima Normanniae prope Abrincam.* Deſcripta hic eſt ratio parandi ſalem per ablutionem arenae, quae in littore maris aqua marina imbuta reperitur. Hanc arenam ſiccam colligunt, et deinde lauant, atque aquam loturae in vaſis plumbeis, patulis et parum profundis, ſuper flamma lignorum euaporationi exponunt, donec ſal in fundis vaſorum gignatur.

10. *Clar.* MACQUER *commentarius de nouo quodam metallo, ſub nomine Auri albi, vel Platinae noto.*
p. 119. Vir doctiſſimus, laudatis iis, qui de hoc nouo metalli genere ſcripſerunt hactenus, et inprimis Cl. LEWIS, Anglo, enarrat experimenta, quae ſuper eo ipſe et Cl. BAUMÉ coniuncta opera inſtituerunt. Inter haec maxime notatu dignum eſt, quod, poſtquam hoc metallum in furnis fuſoriis maximo, quem excitare poterant, igne fundere incaſſum allaborarant, illud tandem fuderint in foco ſpeculi cauſtici egregiae virtutis. Partes quae fuſae fuerant, ſi-
p. 127. mul atque de foco dimouebantur, rurſus ſolidae euadebant, et ſuperficiem oſtendebant rotundam, politam,

politam, ac ſplendentem colore argenti. Huiusmodi pars ſub malleo facile ſe patiebatur in laminam extendi valde tenuem ſine vllis fiſſuris. Tentarunt deinceps ſolutionem huius metalli in aqua regia, quam, vt alii, longe difficiliorem et tardiorem, ſolutione auri, experti ſunt; optime tamen eam ſuccedere viderunt, cum libram vnam menſtrui, quod ex aequalibus partibus acidi marini et acidi nitroſi mixtum erat, in balneo arenae ad ſoluendam vnam vnciam metalli adhiberent. Intellexerunt etiam, praecipitatum huius metalli, per alcalia fixa vel volatilia factum, eſſe quidem pulcre rubri coloris, vt LEWIS annotauit, ſed non niſi cum haud maior copia alcali adhibeatur, quam quae ad ſaturandum liquorem requiritur; ſin autem plus addatur, praecipitati colorem minus minusque ſaturum fieri. Hinc colligi poſſe, monet Cl. MACQUER, haud parum ſoluentis acidi in praecipitato remanere, et exinde rationes reddi poſſe quorundam phaenomenorum a LEWIS notatorum, veluti, cur nunquam omne, quod a menſtruo ſolutum eſt, praecipitari queat, quantumuis alcali ſolutioni frigidae addideris etc. Reductionem cum tenta- p. 130.
rent, eamque conſueto modo obtinere non poſſent, rurſus foco ſpeculi cauſtici vſi ſunt; et tunc nacti ſunt maſſam vitreſcentem opacam; neque tamen ſic veram vitrificationem auri albi peractam eſſe affirmare audent, propter materias ſalinas, quas cum praecipitato miſcuerant. Tandem nouum hoc- p. 131.
ce metallum cum duplo plumbi in cupella torſerunt per 50 horas violento igni, quibus elapſis habuerunt non grauum rotundum ſplendens, ſed laminam, cuius ſuperficies ſuperior erat obſcurior, inferior autem alba et argentei coloris; haec maſſa ſub malleo bene duci poterat, et decima ſexta parte minus pendebat, quam ante cupellationem, ne-

que

que ſolutio eius in aqua regia indicium plumbi praebebat.

11. *De obſeruationibus Mercurii in Sole d. 6 Nouembr.* 1756 *habitis, et de rectius computandis eiusmodi coniunctionibus, ac theoriae Mercurii elementis perficiendis Auctore Cl.* DE L'ISLE.

12. *Cl.* MACQUER *commentarius de terris argillaceis, earumque ad fuſionem diſpoſitione per miſtio-*
p. 155. *nem cum calcariis.* * Cum Vir doctiſſimus, Cl. POTT experimenta in *Lithogeognoſia* expoſita in terris permultis repetendo, didiciſſet, omnes terras argillaceas, quales a natura ſuppeditantur, quamuis alioquin refractarias igni, tamen facile et perfecte fundi poſſe, ſi cum calcariis vel gypſoſis terris commiſtae fuerint, eius rei cauſſam indagare non neglexit. Equidem mox eam quaerendam eſſe putauit in acido vitriolico, quod in argilla ineſſe ſolet. At poſtquam viderat, argillas, calcinatas ſaepius et vehementer, aeque bene ac non calcinatas, cum creta fundi, miſſam fecit hanc coniecturam, aliamque viam ſibi ineundam eſſe intellexit. Etſi autem meditationibus ſuis atque experimentis nondum ad
p. 175. plenam cauſſae cognitionem perductus eſt: tamen hoc perſpexit, rationem, cur argilla apyra, ſi cum terra calcaria miſta ſit, non amplius igni refragetur, ex parte hanc eſſe, quod in omni argilla, quae adhuc in naturali eſt ſtatu, vel quae non niſi per lotionem in aqua purificata eſt, inſit pars arenacea.
p. 172. Nam quotiescunque hanc arenaceam partem ab altera argillae, igni refractariae, parte, pure argillacea, quae baſis ſeu terra aluminis eſt, ope acidi vitriolici, et phlogiſti ſeu alcali fixi, ſeparauit, deinde

* Lect. d. 26 Mai. 1762.

inde hanc mere argillaceam partem, in magna feruentis aquae copia bene ablutam, cum terris calcariis in varia proportione commiſcuit, nullam harum miſcelarum fundere igni, quamuis violento, potuit. Quodſi autem his iisdem miſturis addidit arenam, etiam apyram, ſuper porphyrite ſubtiliter comminutam, facile earum fuſionem impetrauit, dummodo ratio ponderis adiectae arenae ad pondus miſturae triplam ſeſqui alteram non ſuperaret; ratio enim haec maior fuſionem difficiliorem reddidit, et quintupla fuſionem penitus impediuit. Igitur hoc tantum reſtat, vt inueniatur ratio, quamobrem tres hae materiae apyrae, arena, terra pura argillacea, et terra calcaria, iuxta certas proportiones idoneas commiſtae, igni ſe patiantur fundi; de qua re Cl. MACQUER experientiam et rationem porro conſulet.

13. *Cl.* DU HAMEL *obſeruationes botanico-meteorologicae ad annum* 1757.

14. *Cl.* GUETTARD *de lapide molari commentatio.* * Lapis, quo in Gallia et praeſertim in regionibus circa Lutetiam ad molendum frumentum vtuntur, multum differt ab eo, qui in molis noſtris et borealium regionum conſpicitur; vt ergo recentiores Lithologi minus conſiderate videantur egiſſe, cum peculiarem lapidum ſpeciem, ſub nomine lapidis molaris, conſtituerunt. Eſt autem Pariſiorum lapis molaris ſilicis ſeu pyromachi ſpecies, quae a vulgari ſilicis ſpecie, quae in ſclopetis adhibetur, non differt, niſi hoc, quod plena ſit foraminum et cauitatum variae magnitudinis, per totam lapidis craſſitudinem, quinque ſaepe pluriumue pedum extenſa- p. 207.

* Lecta d. 19 Apr. 1758.

tenſarum. Et haec commentatio deſtinata eſt, tam natali ſolo huius lapidis, quam modo, quo is inde eruitur, deſcribendo. Sub finem eius Cl. Auctor etiam coniecturas ſuas de geneſi huius lapidis proponit.

15. *De vera longitudine graduum Meridiani in Gallia Auctore* DE LA CAILLE.

16. *De noua conſtructione telarum, quibus picta aulaea confici poſſunt,* Auctore Cl. VAUCANSON.

17. *Commentatio Cl.* DE LALANDE, *in qua determinatur motus, qui vniuscuiusque planetae primarii nodis ab actione ceterorum omnium conciliatur, inaequalitas praeceſſionis mediae aequinoctiorum, et mutatio latitudinis ſtellarum fixarum, ſumto grauitationis vniuerſalis principio. Pars I.*

18. *De fluuiis Normanniae, qui terras ſubeunt, aliisque Galliae fluuiis commentarius Cl.* GUETTARD.* Inter fluuios Normanniae, quinque, quibus hoc ac-
p. 274. cidit, memorat Vir Cl. Primus eſt is, cui *Riſellae* (*la Rille*) nomen eſt, et qui *Bellemontium Rogerii* alluit; in huius alueo et ripis fiunt nonnunquam foramina conica, in quae tanquam in infundibula incidunt aquae inferiores, ſuperioribus ob maiorem, quae ipſis eſt, celeritatem in curſu pergentibus. Sic fluuius paullatim in duarum leucarum ſpatio exhauritur et conſumitur aeſtate. Hieme autem curſum haud interruptum agit palam; cuius rei rationem Auctor Cl. partim a maiori hac tempeſtate copia pluuiae, partim a ſtagnis ſubterraneis repetit, quae in viſceribus montium vicinorum latere, non leuis, vt docet,

ſuſpicio

* L. d. 12 Iul. 1758.

ſuſpicio eſt, et quae, aqua pluuiali altiore reddita, aquas ſuas fluuio per eadem foramina, per quae illam acceperunt, refundere poſſunt. Foramina autem illa, ſeu cauitates, facile poſſunt exiſtere in ſolo illius regionis, quod plenum eſt ſilicum ſub humo iacentium. Alius fluuius, qui eodem fere modo intercidit, vocatur *Iton*, et eſt is, qui oppidum *Euroicum* praeterfluit. Idemque de amniculo *Aurea* (*l'Aure*) prope *Verniolum* eſt dicendum. Eſt quoque in eadem prouincia riuus (*Sap-André* dictus) qui, vbi in curſu ſuo per vallem occurrit colliculo, in medio vallis iacenti, ſubit hunc colliculum, et in oppoſito latere rurſus exit; neque tamen gurges, nec cauum vllum conſpicitur, in quod decidat, ſed continuo curſu inter ſilices ſe abſcondit. Quintus autem amniculus *Droma* prope *Baiocam*, poſtquam multum iam aquae per foramina minora in alueo eius abſorptum eſt, gurgiti ſubmergitur, nec rurſus prodit in lucem. Sub finem huius commentationis Cl. Vir de famoſa Rhodani occultatione in confiniis Sabaudiae et Galliae agit, eiusque claram notionem verbis et icone animis lectorum informat.

p.283. p.288. p.293. p.313.

19. *Equitis* D'ARCY *problema mechanicum.*

20. *Eiusdem deſcriptio Oualium* CARTESII *per motum continuum.*

21. *De oſſificatione commentatio Cl.* HERISSANT *. Petrificationi ſimilem eſſe oſſificationem, communis fere eſt Phyſiologorum opinio: quam tamen relinquere primum coegit Cl. Virum conſideratio magnarum mutationum, quae oſſibus etiam adultorum nonnunquam accidunt. Deinde autem p.323.

ſeries

* Lecta in publico conuentu poſt Paſcha 1758.

ſeries obſeruationum atque experimentorum in omnis generis oſſibus captorum duxit ipſum ad aliam oſſificationis notionem, quam veram eſſe ſibi non temere perſuaſit. Intellexit nempe, oſſificationem
p. 326. non eſſe niſi incruſtationem quandam fibrarum et fibrillarum parenchymatis cartilaginoſi, ad retis inſtar texti, quod vnam partem ſubſtantiae omnis oſſis conſtituat, per particulas terreſtres ſeu cretaceas, quas vaſa illi telae intexta ſecreuerint, et quae alteram ſubſtantiae oſſium partem componant. Quam ſententiam omnino probaſſe nobis videtur Cl. HERISSANT per experimenta coram illuſtri Academia inſtituta, et hic perſcripta, quae partim euincunt, oſſi cuilibet membranas ſeu cartilagines ineſſe, quae oſſificatae nobis appareant, ſed reduci ad veram ſuam formam poſſint, ſi terreſtribus particulis, fibrillas ipſarum inueſtientibus, per liquorem acidum exuantur, partim, eiuſmodi maſſam cartilagineam ſeu corneam, in quam particula ſolidi oſſis emollita fuerit, poſſe arte rurſus in os conuerti, ſeu, reſtituendis ipſi partibus cretaceis, duritiem adipiſci tantam fere, quantam celluloſa tela oſſium habeat. Sed haec experimenta in ipſo hoc volumine legenda ſunt, quoniam ipſe Auctor tanta enarrauit breuitate, vt aut contextus orationis ad verbum in latinam linguam transferendus nobis ſit, aut verendum, ne vim eorum probandi, illis ſtrictim recenſendis, multum imminuamus.

22. *Obſeruatio eclipſis lunae d.* 23. *Ianuarii* 1758 *habita a Cl.* PINGRE.

23. *Cl.* DE LA LANDE *commentatio, de quibuſdam phaenomenis, quorum cauſſa eſt attractio, quam omnes planetae in tellurem exercent, et ſpeciatim de mutatione latitudinis ſtellarum fixarum.*

24. *De*

24. *De oſſium exfoliatione commentarius Cl.* TENON *. Num in oſſe exfoliatio ſemper locum habeat, ſi illud per cauſſas externas et recentes, veluti vulnus inflictum, integumentis ſuis priuatum fuerit, et vtrum in huiuſmodi vulneris curatione remedia ſpirituoſa et ſiccantia, an humectantia et vnctuoſa adhibenda ſint, quaeſtiones ſunt, ſuper quibus chirurgiae magiſtri inter ſe non conſentiunt. Quae diſſenſio in re non parui momenti impulit Virum Cl. vt aliquid certi ſuper his quaeſtionibus per experientiam inuenire conaretur. Igitur in multis canibus experimenta cepit, oſſa eorum coronalia denudando, et vulnera diuerſis methodis tractando, et quid in ſingulis quotidie obſeruaretur, ſollicite annotando, quorundam etiam capita, poſt vulnerum ſanationem abſciſſa, in aqua macerando, donec integumenta cranii ſponte ab oſſibus recederent,vt, quomodo os in loco vulneris priſtini ſeſe haberet, cognoſcere poſſet. Qua ratione didicit, omnem denudationem oſſis, vtcunque curatio inſtituatur, ſequi exfoliationem, magis minusue apparentem, vel ſaltem decompoſitionem partium oſſis in denudata eius ſuperficie; quo minus autem ſenſibilis ſit exfoliatio, eo citius ſanari vulnus; retardari ſanationem a medicamentis ſpirituoſis, adiuuari contra ab humectantibus et balſamicis; vt proinde MONROI methodum ceteris praeferre nullus dubitet. p.372. p.400.

25. *Eiuſdem de oſſium exfoliatione commentarius alter* **. In hoc V. Cl. ſub examen vocat BELLOSTII methodum vulnera capitis recentia tractandi, quibus cranium retectum eſt; et quoniam haec methodus inuentori viſa eſt praecauere exfoliationem, p.403.

alii

* Lectus d. 6. Decembris 1758.
** L. d. 18. Aug. 1759.

alii autem contrarium obſeruarunt, oſtendit primum
p.408. Cl. TENON per experimenta, ea methodo exfoliatio-
411. nem, ſaltim inſenſibilem illam, neutiquam euitari. Deinde cum BELLOSTIUS perforationem cranii vſque ad diploën in parte denudata commendaſſet eo conſilio, vt in foraminibus naſcendi facultas daretur tuberculis illis (*bourgeons*), quae reparandis oſſis integumentis materiem debent ſubminiſtrare; a quibuſdam autem Chirurgis obſeruatum ſit, non ſemper in iſtis foraminibus tubercula illa enaſci: Cl. Auctor per experimenta diſcere allaborauit, tum quibus in caſibus foramina tuberculis vacua maneant, tum quae ſit horum tuberculorum origo. Et ad illud quidem quod attinet, intellexit, ſemper naſci tubercula, ſi perforatio vſque ad ſanguinis qualemcunque effuſionem facta ſit, ſin autem foramina non humectentur guttulis ſanguinis, nulla in eis enaſci, ſiue altius, ſiue minus alte perforatum fuerit os. Originem autem horum tuberculorum, ſiue in fundo
p.418. eiuſmodi foraminis, ſiue alibi in denudata oſſis ſuperficie prodeuntium, ſollicite perſcrutatus, deprehendit eam in tela ſpongioſa oſſium, quod vocabulum idem ſibi notare monet, ac Cl. HERISSANT parenchyma cartilaginoſum, de quo paullo ante diximus. Haec enim, inquit, tela ſpongioſa, poſtquam inter curationem emollita eſt, et priuata particulis terreſtribus, quae eam inueſtiebant, intumeſcit, extenditur, parit exfoliationem, et in ſuperficie oſſis denudata protrudit illa tubercula granoſa et rubicunda, quae vulgus chirurgorum pro tuberculis carneis habet, ſed quae non ſunt nisi partes oſſis terra ſua priuatae, quae deinceps nouis particulis terreſtribus veſtiuntur, et oſſeam naturam poſt ſanationem recuperant.

26. *Cl.*

26. *Cl.* HERISSANT *obſeruationes doctrinam de morbis oſſium illuſtrantes* *. Cum Vir Cl. ſcire cuperet, qui fieri poſſit, vt a quibuſdam morbis pars oſſium duriſſima conuertatur in corpus ſpongioſum, in quo ſingulae cellulae membrana quadam veſtitae conſpiciuntur, quae in compacta oſſis ſani parte nulla apparet: experimentum inſtituit, quod ſequitur. Os femoris infantis medium diuiſit, et partem, in qua erant condyli, poſtquam inde partes muſculoſas et adipoſas abſtulerat, nihilque niſi aliquas tendinum ac ligamentorum partes et perioſteon reliquerat, macerauit ſpiritu nitri fumante cum quadruplo aquae diluto; et cum os, eroſa eius materia cretacea, ſatis molle ac flexile redditum eſſet, diſſecuit illud in longitudinem in duas partes aequales, quibus omnem ſuccum medullarem et oleoſum, in cellulis membranoſis haerentem, ſuperinfuſa ſaepius aqua calida eluit; quo facto, portionem perioſtei, volſella prehenſam attollens, leniterque huc illuc agitans, animaduertit, ſacculos membranaceos, qui cellulas ſubſtantiae cellularis inueſtiebant, eſſe productiones perioſtei, immo per lentem vitream adiuto oculo has productiones inſertas vidit ſubſtantiae cartilaginoſae, in quam dura oſſis pars per macerationem fuerat conuerſa. Itaque quatuor partes principales, diuerſae naturae, ad os formandum concurrere intellexit, quarum prima eſt cartilaginoſa, ſecunda terreſtris ſeu cretacea, tertia ſuccus viſcoſus ſeu mucilaginoſus, particulas terreſtres partibus cartilaginoſis agglutinans, quarta denique tela celluloſa membranacea, perioſteo continua, quae ſeſe inter omnes fibrillas, fibras, et lamellas ſubſtantiae cartilaginoſae inſinuat, ſingulis fibris oſſeis, h. e. fibris ſubſtantiae cartilaginoſae cretacea materia incruſtatis, p.421.

* L. d. 4 Dec. 1762.

perioſtea quaſi praebet, et rete ſubtiliſſimum nervorum atque vaſorum ſanguiferorum capillarium ſuſtinet. Qua notione oſſis praemiſſa, Cl. HERISSANT pergit ad morbos oſſium conſiderandos.
p. 424. Magno obſeruationum numero ſe edoctum eſſe, ait, initium cuiuslibet morbi oſſium, luxatione et fractura exceptis, fieri ab emollitione, et ſequi decompoſitionem ſubſtantiae oſſis, magis minusue ſenſibilem, ſenſibilem ſemper praecedere inſenſibilem, eamque fieri, auferendis ſeu deſtruendis ſucceſſiue particulis cretaceis; ſenſibilem eſſe, ſi parenchyma cartilaginoſum aut in maſſam ſpongioſam vel laminas diuidatur, quae tamen ſubſiſtant, et ſublato morbo, denuo oſſificentur, aut vna cum materia cretacea imminuatur, deſtruatur, euaneſcat, vt maxime in ſenectute fieri ſolet. Quarum omnium mutationum exempla aliquot, a ſe obſeruata, iconibus huic
p. 426. commentationi adiectis exhibet. Ad quaeſtionem, quid fiat materiae cretaceae, a fibris parenchymatis cartilaginoſi ſeparatae, reſpondet, eam in ſanguinem reuerti, et aut cum vrina excerni, aut, vt apud podagricos, in articulos extremitatum oſſibus morbidis proximos, quin etiam nonnunquam in viſcera deponi. Quae ſingula ſingularibus obſer-
p. 430. uationibus confirmat. Addit, ſpem hinc ſibi factam eſſe, fore, vt etiam nodoſa podagra, pro immedicabili morbo vulgo habita, arte medica expugnetur, patefacta nunc indicatione, in huius morbi curatione tenenda; neque experientia ſe omnino deſtitutum eſſe, ex quo tempore ſatis magnam copiam remediorum abſorbentium, cum ſalibus volatilibus coniunctorum, podagricis exhibere coeperit.

27. *Cl.* DE LA CONDAMINE *de inſitione variolarum commentarius alter, quo hiſtoria huius methodi*

thodi ab anno 1754 *vſque ad* 1758 *continuatur.** In hoc commentario Auctor Cl. primum ſupplet p.439.
quaedam, in priori omiſſa; deinde fata, quae haec methodus annorum quinque 1759 antecedentium ſpatio in Gallia habuit, progreſſusque, quos in Anglia, Dania, Suecia, Germania, Belgio, Heluetia, Italia fecit, commemorat; denique Cl. DE HAEN quaeſtionibus erudite reſpondet.

28. Cl. ROMIEU (Societatis Regiae in Monte Peſſulano Sodalis) *commentatio theoretica et practica de ſyſtematibus muſicis temperatis.*

II.

Flora Britannica; ſiue ſynopſis methodica ſtirpium, ſiſtens arbores et herbas, indigenas et in agris cultas, in claſſes et ordines, genera et ſpecies redactas, ſecundum ſyſtema ſexuale; additis nonnullis nouiter detectis; cum claſſium, ordinum et generum characteriſticis, ſpecierum deſcriptionibus, et virium epitome, tabulis aeneis illuſtrata. Poſt tertiam editionem ſynopſeos Raianae, opere DILLENII concinnatam, nunc primum ad LINNAEI methodum diſpoſita, Auctore IOHANNE HILL M. D. Societ. Reg. Burdigal. etc. Soc. Londini, impenſis Iac. Waugh. 1760. 8 mai. alph. 1. pl. 19. tab. aen. 30.

Licet Flora Britannica, a RAIO primum condita, et a DILLENIO poſtea magis exculta, botanicis notiſſima ſit, titulusque huic quartae editio-

* Lectus in conuentu publico d. 15 Nouembr. 1758.

ni praefixus ſatis et abunde doceat, quid Cel. HILLIUS nunc praeſtiterit, et quomodo eandem noua veſte indutam ediderit magisque perfecerit, nonnulla tamen ſunt, quae moneri debent, quo huius editionis praerogatiua clarius eluceſcat. Plantas itaque, in tertia editione memoratas, determinatas aeque ac dubias, omnes methodo ſexuali diſpoſuit, et plerasque nominibus ſpecificis, a LINNAEO confectis, inſigniuit, in multis vero RAII et DILLENII nomina retinuit, recentiorumque omiſit ſynonyma, vt et quandoque modo triuialia adpoſuit. Cuilibet generi characteres praemiſit, illis autem, a RAIO exhibitis, Linnaeanos nunc ſubſtituit, et integram definitionem ex LINNAEI generum editione quinta iisdem verbis repetiit; ſynonyma vero, loca natalia, obſeruationes, deſcriptiones, virtutes et quae alia de ſpeciebus in editione Dilleniana annotata legimus, eadem omnia retinuit, prout etiam easdem plantarum icones, 24 tabulis expreſſas, denuo inſeruit, his autem decem nouiter delineatas in quinque tabulis addidit. Sunt illae: 1) *Campanula patula* LINN. ſpec. ed. II. p. 232. 2) *Statice reticulata* ibid. p. 394. 3) *Silene anglica* ibid. p. 594. 4) *Dianthus deltoides* ibid. p. 588. 5) *Ciſtus ſurreianus* ibid. p. 743. 6) *Ciſtus poliifolius* ibid. p. 745. 7) *Siſimbrium murale.* ibid. p. 918. 8) *Siſimbrium monenſe.* ibid. p. 918. 9) *Ononis repens* ibid. p 1006. et *Vulneraria ſupina flore coccineo* RAI. Syn. III. p. 325. Praefationis loco introductionem in rem herbariam Cel. Auctor adpoſuit, et primo partium, quae vegetabilia conſtituunt, definitiones, ſecundo ſyſtematis ſexualis explicationem dedit, quae autem omnia a LINNAEO ſunt mutuata, iisdemque verbis repetita, immo et tabulam, quae claſſium characteres iconibus docet, ex Archiatri generibus deſumtam, addidit. Indiculus plantarum dubiarum

biarum, qui editioni tertiae in fine adpoſitus eſt, in hac noua deſideratur, neque plantas, in eodem memoratas, a Cl. HILLIO ipſi florae inſertas, neque eandem multis nouis acceſſionibus auctam fuiſſe, inuenire potuimus.

Addamus mox aliam, quae quinta quaſi eſt, editionem, vel ſi mauis, nouam Floram Britannicam, ſequenti titulo euulgatam:

III.

GULIELMI HUDSONI Reg. Societ. Soc. et Pharmacopoei Londinenſis, Flora Anglica, exhibens plantas per regnum Angliae ſponte creſcentes, diſtributas ſecundum ſexuale ſyſtema, cum differentiis ſpecierum, ſynonymis auctorum, nominibus incolarum, ſolo locorum, tempore florendi, officinalibus pharmacopoeorum. Londini ap. I. Nourſe et C. Moran. 1762. 8 mai. alph. 1 pl. 11½.

Fundamentum huius operis, quoad catalogum plantarum, vt ipſe Cl. Auctor fatetur, Synopſis Raiana agnoſcitur: cum vero huius exemplaria apud bibliopolas nulla amplius inueniantur, et recentiori tempore res botanica inſigniter aucta et inprimis Archiatri LINNAEI methodo facilior reddita fuerit, Anglicam floram ſua induſtria componere, eandemque Linnaeanis regulis ſuperſtructam edere voluit HUDSONUS. Itaque ſexuali methodo plantas diſpoſuit, characteres genericos, eſſentiales maxime, ex ſyſtematis naturae edit. X adduxit, inter ſpecifica nomina ea primum, quae in ſpeciebus plantarum dederat LINNAEUS, non omiſſis triuialibus, exhibuit, et ſynonyma aliorum, inprimis C. BAUHINI, RAII, GERARDI et PARKINSONII poſtpoſuit. Non

tamen, vt ſaepe fieri ſolet, coeco quaſi impetu, in his LINNAEUM ſecutus eſt; ſed et in generibus et ſpeciebus quandoque ab eodem receſſit. Ita *Narthecii* genus, a MOEHRINGIO conditum, reſtituit, et ab *Antherico* ſeparauit; ex *Gentiana perfoliata* LINN. nouum fecit genus, *Blackſtonia* dictum, ſequentibus characteribus definitum: Calix octofidus, corolla monopetala, tubus nullus, limbus octofidus, filamenta octo, totidemque antherae, ſtylus nullus, ſtigmata duo, capſula vnilocularis, biualuis, ſemina numeroſa parua. *Ficariam* quoque cum DILLENIO conſeruauit et a *Ranunculo* denuo ſeparauit. Sic et *Bufoniam* a tetrandriis ad diandrias, et *Cuſcutam* a tetrandriis ad pentandrias amandauit. Ita *Phleum arenarium* eſt *Phalaris ſpica ouata calycis valuulis dorſo ciliatis, culmo ramoſo. Tordylium Anthriſcus* eſt *Caucalis vmbella conferta, ſeminibus globoſis, foliolis ouatis pinnatifidis* et ſ. p. Nomina quoque ſpecifica interdum mutauit et noua conſtruxit, e. gr. *Veronica*, aruenſis, *floribus ſolitariis foliis cordatis inciſis ſeſſilibus*, et agreſtis *floribus ſolitariis foliis cordatis inciſis petiolatis*; *Valeriana*, dioica, *floribus triandriis, dioicis, foliis radicalibus ouatis, caulinis pinnatis*; *Viola*, tricolor, *caule triquetro diffuſo, foliis oblongis inciſis, ſtipulis dentato pinnatis, lacinia ſuprema oblonga crenata petiolata.*

Quo autem Floram hanc omni parte perfectam exhiberet Cel. Auctor, nomina etiam Anglica, vel ex aliis ſcriptoribus deſumta, vel nouiter confecta adpoſuit, eo inprimis reſpiciens, vt generica obtineret, quo in patriis nominibus aliquando confuſioni, quae hodie regnat, finis imponatur. Loca natalia vel ex RAIO vel propriis amicorumque obſeruationibus vbique indicauit, durationem etiam, an annua, biennis, perennisue ſit planta, an frutex, an arbor, immo et florendi tempus notauit. Quo

autem

autem Angliae propriae plantae eo facilius cognoſci poſſint, eas, quae ſine cultura extra hortorum pomoeria non raro vegetant, aſt ab origine purgamentis earum ſuam debeant propagationem, aſteriſco ſolicite diſtinguit, et plantas cultas, non indigenas, vt *auenam ſatiuam, ſolanum tuberoſum*, plane omiſit. Hoc itaque ſtudio compoſita Flora non ſolum plantas a RAIO et DILLENIO memoratas continet, ſed multae acceſſere nouae, quae vel ab hiſce Viris inter Britannicas plantas non relatae ſunt, vel a nullo botanicorum hactenus recenſitae, vel aliae denique, a RAIO quidem adductae, a recentioribus vero aut minus recte cognitae, aut pro varietatibus habitae. Harum omnium catalogum exhibere nimis longum foret, ſufficiat aliquas nominaſſe. Ad priores pertinet *Circaea alpina; Phleum nodoſum; Geranium pyrenaicum perenne* TOURN. nomine *Geranii* perennis, *pedunculis bifloris foliis inferioribus quinque partito multifidis rotundatis, ſuperioribus trilobis, caule erecto; Campanula vniflora* etc. Nouae prorſus ſunt: *Phleum*, paniculatum, *panicula cylindrica ſpiciformi, glumis glabris, culmo ſubramoſo*; *Aira*, ſetacea, *foliis ſetaceis, panicula ſecunda coarctata, ariſtis floſculis duplo longioribus recuruis; Galium*, erectum, *foliis octonis glabris lanceolatis mucronatis, caule ſuberecto. panicula terminali, pedunculis dichotomis; Mentha*, hirſuta, *floribus capitatis globoſis, foliis ouatis, ſerratis, ſtaminibus corolla breuioribus; Satyrium*, fuſcum, *bulbis palmatis, foliis oblongis, nectarii labio trifido aequali*. Inter dubias, nunc determinatas, occurrit: *Gramen paniculatum maritimum vulgatiſſimum*, et *Gramen pumilum loliaceo ſimile* RAII Syn. vtramque plantam ad *Poam* reduxit Cel. Auctor; *Plantago alpina latifolia* eſt *Plantago*, montana, *foliis lineari lanceolatis, baſi lanatis, ſpica ſubrotunda, ſcapo tereti.*

 Dipſacus

Dipſacus ſyluestris ariſtis fructuum erectis, a *ſatiuo*, ariſtis recuruis praedito diſtinguitur; *Primulam veris maiorem minoremque* a ſe inuicem ſeparauit, dum huic ſcapum vniflorum, priori multiflorum tribuat. *Peucedanum minus* RAII eſt *Peucedanum foliis pinnatis foliolis pinnatifidis, laciniis linearibus oppoſitis, caule ramoſiſſimo patulo.* *Pimpinellam maiorem* foliolo impari trilobo, et *Chamaenerion paruo flore* foliis vndulato ſerratis decurrentibus caule ſubſimplici, ab altera *flore magno* praedita, foliis ſerratis ſubdecurrentibus caule ramoſo ſeparauit. *Ericam cantabricam* RAII. *Vaccinium racemis nudis, foliis integerrimis reuolutis, lanceolato ouatis, ſubtus tomentoſis* ſimili modo et *Trifolium ochroleucon*, nec non *ſtellatum glabrum*, etiam *purpureum maius foliis longioribus; Violam martiam alpinam* et *luteam grandifloram; Atriplicem anguſtifoliam laciniatam*, et *anguſtifoliam maritimam* RAII a ſe inuicem atque aliis ſpeciebus ſeparauit. Ex his nonnulla in noua LINNAEI ſpecierum editione iam notatae exſtant, vt bidens minima, alias autem fruſtra in eodem libro quaeſiuimus.

Multum itaque aucta fuit Cel. Auctoris ſtudio Britannica Flora; ipſe tamen ſibi non omnia, ſed partem aliquam amicis, qui plantas ipſi ſuppeditarunt, grata mente tribuit, inter quos nominauit ALCHORNE, BOLTON, COLLINSON, LYONS MILLER, WATSON, WILMER et praecipue STILLINGFLEET. Cl. HILLII autem Floram nullibi citatam, nullibi Eiusdem Viri commemorationem factam fuiſſe, cognouimus, an Flora haec in Anglia et Londini rara? an huius editionis nullam HUDSONUS habuit notitiam? Videtur ita. LINNAEUS in noua ſpecierum editione HUDSONUM quandoque, HILLIUM autem nunquam adduxit. Icones nullas, nullasque plantarum deſcriptiones exhibuit

exhibuit Auctor, quodſi factum eſſet, maxime abſoluta eſſet plantarum Anglicarum notitia.

IV.

Traité de Phyſiologie dans lequel, apres avoir etabli des theſes ſur le mechanisme des nos fonctions, on donne une explication courte des phénomenes du corps humain. Par IEAN FERAPIE DUFIEU, Docteur en Medecine, Correſpondant de la Societé Royale des Sciences de Montpellier, & actuellement Chirurgien au grand Hôtel - Dieu de Lyon. à Lyon. chez Claude Marie Iacquenod, fils. 1763. 12 mai. Tom. I. pl. 18. Tom. II. pl. 12.

i. e.

Tractatus de Phyſiologia etc. Auctore DUFIEU.

Magnorum noſocomiorum in vrbibus populoſioribus ea ſane eſt vtilitas, vt obſeruationibus incerta confirmari et experimentis captis occulta detegi poſſint, ſi medici et chirurgi in illis verſantes omnia rite adminiſtrant. In noſocomio magno Lugdunenſi Auctor clariſſimus hoc praeſtare tentauit, ſiquidem varias obſeruationes medicas et chirurgicas edendi iniit conſilium, quod vero poſtea mutauit, prouti in praefatione refert, et miras corporis humani actiones atque functiones prius rimari maluit, qua in re methodo docendi iſta ſingulari eſt vſus, vt quaeſtionibus et reſponſionibus ſummam rerum proponat, obiectionibus dubia moueat, atque haec iterum argumentis probantibus remoueat,

quae fortaſſe nonnullis placebit. Tandem promittit, ſe morbos noſocomii iſtius alio tempore deſcribere, et demonſtrare velle, ſolas enim obſeruationes medicos et chirurgos efficere credit; qua de re vero dubitabunt fortaſſe haud pauci.

p. 3. In ipſa introductione mox, quid ſit phyſiologia diſquiritur, et, cum eius obiectum ſiſtat corpus humanum, huius quoque natura, coniunctio cum anima et actio proponuntur, et poſtea ad ipſam tractationem fit tranſitus.

Capite igitur primo de duriſſimis agitur corporis partibus, vel oſſibus, quae ad ſceleti contemplationem et compoſitionem pro ratione diuerſarum partium enumerantur, ac deinde eorum formationis modus explicatur. Effinguntur autem oſſa a lympha, quae ea nutrit; hoc ex eo probatur, quoniam lympha leniſſimo calore coit; quoniam variis principiis conſtans, vt albumen ouorum, omnium animalis partium inſeruit accretioni; quoniam mox poſt primum conceptionis tempus, et poſtea quoque, foetum nutrit; quoniam lymphae circuitus cum reliquis humoribus motis conuenit et inde facilius experientia et phaenomenis phyſiologiae explicari poteſt. Eſt enim humor viſcidus, qui in eius via particulas deponit pingues; qui, ex fractorum oſſium finibus exſudans, callum effingit, et os deperditum reſtituit, iterumque ex oſſe machinae Papinianae ope ſub glutinis forma extricatur. Praeter ea cum lympha ſit humor glutinoſus multis particulis feroſis refertus, qui in vaſa ei propria delatus partes deperditas reſtituit et nutrit, oſſa quoque et nutrire et reſtituere debet. Experientia ipſa hoc probatur, ſiquidem ad oſſa maiori in copia delata lympha, ea tumida et morboſa reddit, e contrario vero oſſa particulis lymphaticis orbata contrahuntur et efficiuntur fragiliora. Quibus licet plura opponi poſſint, quod quidem

quidem lympha nutrire et ſimul oſſa morboſa red- p. 13.
dere nequeat, ea tamen facile remouentur, quoniam lympha in ſtatu naturali vix vlla ratione morboſum quid excitet, niſi fortaſſe cauſa quaedam praeternaturalis accedat, quae eius tranſitum impediens varia excitare poteſt mala. Neque huic ſententiae iſta p. 17.
Cl. DUHAMELII, qua oſſa a perioſteo oriri exiſtimat, eſt contraria, ſiquidem perioſteum vaſa gerit lymphatica, ad os lympham ipſam vehentia, neque etiam ea, qua ſanguini, ope vaſorum ad oſſis intima penetranti, adſcribitur nutritio, lymphae in oſſibus formandis et nutriendis infringit vſum, quoniam et a ſanguine ſecernitur lympha. Sed cum a ſanguine p. 22.
ea ſecernatur, inde noua enaſcitur obiectio a circulo ſanguinis in duro oſſe admodum impedito et a corde nimium remoto deſumta, ſed et haec facile ex ſanguinis circumeuntis phaenomenis et legibus remouetur. Inde vero ea ſententia, qua ſucco neruorum oſſa nutriendi tribuitur officium, opponitur, quam vero Auctor variis phaenomenis ex brutis animalibus, praecipue a cornuum incremento ceruorum deſumtis, tollit, ſiquidem ex eo parari poteſt gelatina. Sic quoque quae ab induratione tendinum, a medullae liquore nutriente deſumuntur obiectiones, variis ſoluuntur argumentis, quibus de oſſium ortu, in iunioribus differentia, colore et partium componentium ſtructura annectitur conſideratio, et cartilaginum ac ligamentorum exhibetur deſcriptio.

Haec excipit caput ſecundum, quod de muſculis p. 42.
agit, vbi muſculorum fabrica deſcripta, omnes totius corporis enumerantur muſculi, inde in genere quomodo muſculi agant, et poſtea quomodo motus muſculorum fiat et excitetur, proponitur. Muſculorum autem actio producitur, dum fluidum nerueum in fibram muſculoſam ex ſubtiliſſimis veſiculis con-

flatam

ſtatam intrat, veſiculas extendit, et accurtationem efficit, idque ex eo apparet, quoniam ligato vel diſciſſo neruo omnis motus ceſſat muſcularis. Licet enim ille quoque ceſſet, ſi arteria ligetur vel diſcindatur, attamen hoc tantum poſt aliquod temporis interuallum fieri ſolet, praeter ea vero motus iſte a noſtra dependet voluntate, ſic etiam aliae opiniones de elaſticitate fibrarum motum producente, de aethere, de electrica materie, de aere veſiculas inflante, de attractione motum excitante refutantur. Haec excipit virium muſculorum conſideratio, vbi variorum auctorum computationibus et obſeruationibus recenſitis, num muſculi luxatione affici vel e loco a natura praeſcripto moueri poſſint, diſquiritur. Et licet hoc a nonnullis fuerit aſſumtum, Auctor tamen de eo dubitat.

p. 88. Capite tertio, quod de cerebro, neruis, horum actione, atque de ſpirituum animalium et animae exiſtentia agit, primo cerebrum ipſum cum partibus illud ambientibus et conſtituentibus, atque deinde nerui tam ex cerebello quam medulla oblongata et ſpinali orientes deſcribuntur, hinc ſpiritus animales in cerebro et neruis exiſtere, ex variis phaenomenis demonſtratur, quorum maximum eſt, quod neruo, ad diaphragma accedente ligato, mox omnis huius muſculi ceſſat motus, qui vero motus iterum excitatur, ſi neruus a ligatura verſus diaphragma digitis comprimitur; ſed et hic motus ceſſat, ſi per aliquod temporis ſpatium compreſſio durauit, et licet varia obiici poſſint, qualia ſunt, fluidum nerueum et cauum neruorum non in ſenſus incurrere; vibrationem ad motum neruorum explicandum ſufficere, caeteraque; haec tamen variis obſeruationibus atque argumentis remouentur, inprimis p. 160. vero in explicatione vigiliarum, ſomni, imaginatio-

nis,

nis, delirii, et memoriae multis hiſtoriis phaenomena iſta illuſtrantur, ac poſtea natura ſpirituum animalium deſcribitur, de qua, remotis aliis ſententiis, recte concludendum eſt, inquit, ſuccum neruorum nihil aliud, quam ſubtiliſſimam partem alimentorum eſſe.

His conſideratis quaeſtio proponitur, vbi ſit ſedes animae? num ea in ſubſtantia materiali an ſpirituali exiſtat? et qualis ſit eius cum corpore vnio? Ad haec, CARTESII ſententia de ſede animae in glandula pineali aliisque opinionibus remotis, tandem ex obſeruatione ſingulari in iuuene ſedecim annorum, cui terebra, poſt laeſionem ab ictu lapidis inflictam, aperiebatur caput, demonſtrat corpori calloſo ſedem animae eſſe adſcribendam. Ipſius autem animae exiſtentia copioſe demonſtratur, contra materialiſtas pluribus diſputatur, de brutorum animalium animabus nonnulla proponuntur, veterum ſententiae variae, quid ſit anima, referuntur, ſedes eius, num in toto corpore ſit expanſa, disquiritur, tandemque cur in ſomno vix agat anima demonſtratur. p. 191. p. 195.

His propoſitis capite quarto de pectoris organis eorumque muneribus agitur, vbi primo circulatio ſanguinis conſideratur, antea vero, quam ad ſanguinis circuitum propior ſit acceſſus, quae pectus tam conſtituunt, quam includunt partes recenſentur, praecipue autem cor accuratius cum arteriis et venis ei annexis et per corpus diſtributis deſcribitur. Quo facto ipſius ſanguinis tranſitus per cordis caua diuerſa et quomodo ex his in arterias intrat atque per venas iterum ad cor reuehitur, explicatur, quae cuncta variis experimentis et obſeruationibus maxima ex parte notis comprobantur. Varia quidem hic opponuntur, quae vero cuncta, cum non magni ſint momenti, facile p. 259.

remo-

p.307. remouentur, ſic quoque ea obiectio, qua circulus
ſanguinis foetui in vtero viuenti denegatur, variis
argumentis refutatur et hac occaſione circuli ſan-
guinis diuerſitas in foetu proponitur. Pari ratione
cum circuitus ſanguinis primaria cauſſa in cordis con-
tractione et motu ponatur, variae tam veterum
quam recentiorum contra eam proferuntur opinio-
nes, quibus ex ipſa cordis ſtructura et mechanismo
refutatis, motus cordis alterni cauſſa fluido nerueo
quidem adſcribitur, dubia tamen vera motus cauſſa
p.318. pronunciatur. Ceterum ex ipſa contractione cor-
dis et perpetuo impulſu noua effingitur obiectio,
cordi inflammationem vix non ſemper imminere;
neque hoc denegatur, ſed potius variis obſerua-
tionibus in noſocomio ab Auctore collectis com-
probatur, raro tamen contingere, quoniam ſan-
guinis perpetuo motus ſemper renouatur. Plura
p.323. tandem contra cordis motum et vim ſanguinem
propellendi proferuntur dubia, quae, dum expli-
cantur, variis conſiderationibus anſam praebent, ſi-
quidem cordis vis non ſola, ſed vaſorum vis oſcilla-
toria aliaeque cauſſae in vaſis accedentes ſanguinis
p.341. iuuant progreſſum. Ipſe autem ſanguis, variis par-
ticulis compoſitus, eſt humor alimentitius, ruber,
craſſus, mucoſus, blandus, ſaporem ſalinum et le-
nem vrinoſum linguae imprimens, quae qualitates
paulo accuratius explicantur; particulis enim variis
eſſe compoſitum, ex eo probatur, quoniam varii li-
quores, vt vrina, ſaliua et cetera ſecernuntur ex ſan-
guine. Rubor dependet a globulorum vnione, li-
cet enim globulus per ſe non ſit perfecte ruber,
quo plures tamen vniuntur, eo viuidior ruber co-
lor, indeque nitri aërei cum ſanguine commixtio
non eſt neceſſaria, neque ad pulmonum actionem
eſt reſpiciendum, quoniam ad mentem Auctoris va-
ſa capillaria plurimum conferunt et fere ſola ſan-

guifica-

guificationem peragunt. Ex ſanguine vero proxime ſecretus humor eſt lympha, in vaſis lymphaticis mota, quae ad varios vſus impenditur.

Reſpirationis negotium hinc in cenſum venit, vbi organa cuncta, quae ad reſpirationem pertinent; vt aſpera arteria cum larynge, pulmones, eorum veſicularis ſtructura et diaphragma deſcribuntur, poſtea ipſa reſpirationis cauſſa traditur, quae in expanſione et contractione pulmonum et thoracis conſiſtit, thoracis vero motus ope muſculorum intercoſtalium, diaphragmatis et eleuatoris ſterni efficitur, et licet varia tam in hominibus, quam animalibus et praecipue inſectis obſeruata opponantur, ad cuncta tamen reſpondetur, et tandem reſpiratio in aſthmaticis explicatur difficilis. Quibus demonſtratis de loquela agitur, vbi, quid aſpera arteria, larynx, glottis, epiglottis caeteraeque partes, ope aeris tranſientis varie commotae, ad conformationem vocum et ſonorum variorum conferant, demonſtratur; deinde gruis vocem ab aſperae arteriae conformatione ſingulari dependere, et quomodo vox articulata in hominibus ope linguae et totius oris producatur, explicatur; porro riſus, tuſſis et quomodo ab hac differat ſternutatio oſtenditur, quibus ronchi, ſingultus, et ructuum ſubnectitur conſideratio. p. 49. p. 398.

Ex pectore ad abdomen Tomo ſecundo peruenit Cl. Auctor, vbi poſt partium in abdominis cauo contentarum deſcriptionem digeſtio exponitur. In exponenda digeſtione ad variam alimentorum mutationem eſt reſpiciendum. Ore aſſumta alimenta dentibus maſticantur, cum ſaliua, humore in glandulis variis ſecreto, commiſcentur, lingua conquiruntur, verſus fauces feruntur, atque per oeſophagum in ventriculi cauum perueniunt, vbi liquore gaſtrico accedente p. 443.

magis ſoluta et ventriculi actione in paſtam mollem
et tenuem mutata ſenſim ſenſimque per pylorum
in inteſtinum duodenum deferuntur, in quo bilis,
ſuccus ſaponaceus amarus accedens, viſcidas et glu-
tinoſas alimentorum partes magis reſoluit, et inte-
ſtinorum actionem excitat, ita vt vltimam quaſi mu-
tationem in chylum perficiat, quae ſucco pancreati-
co ſimul affluente valde iuuatur. Ipſe chylus, cana-
p.456. lis inteſtinorum actione magis agitatus, promouetur,
et haud parum in ingreſſu in vaſa lactea facilitatur,
quibus in vaſculis ad meſenterium ducitur, vbi
praeparatus et nouis particulis ex glandulis meſen-
terii ſecretis commixtus ad ductum thoracicum et
tandem ad ſubclauiam vehitur. Quae vero non re-
ſorbentur a vaſis lacteis partes craſſiores, per canalem
inteſtinorum, et vt Auctor quidem exiſtimat, ope
aeris inteſtina expandentis ad rectum delatae col-
liguntur ibidem, quae tandem ſphinctere earum
pondere et preſſione ſuperato expelluntur. Cun-
cta haec poſtea variis motis obiectionibus copioſiori
harum rerum conſiderationi anſam praebent, ita vt
reſpondendo ad obiectiones prolatas et probationi-
p.490. bus additis confirmentur. Quibus expoſitis articulo
ſecundo de ſecretione agitur, vbi primo glandula-
rum deſcriptione earumque diuerſitate exhibita,
ipſum ſecretionis opus variis a vaſorum orificiis de-
pendere demonſtratur, quam ſententiam quidem
variis obiectionibus euertere tentat, quae vero
omnes remouentur, ſimulque integumentorum ratio,
tranſpirationis ſecretio, ſudoris differentia, lactis fe-
minarum elaboratio, muci ex aſpera arteria exſcrea-
tus, lacrymarum prouentus, muci narium excretio,
ceruminis aurium, ſynouiae, atque vrinae ſecretio-
nes deſcribuntur, quibus adnectitur pilorum conſi-
deratio.

Excipit

Excipit haec generationis hiſtoria, quae ita tradi- p. 572.
tur, vt primo partes genitales virorum, et feminis proponatur elaboratio, poſtea feminarum partibus genitalibus conſideratis, ipſius foetus inuolucra et placenta huiusque vtilitas deſcribantur, hinc actio coitus et quomodo conceptio et foecundatio perficiatur, delineatur. Foecundatur vero femina, quando ſemen maſculinum vel potius eius halituoſum in ouulum penetrat, et rudimenta foetus in eo contenti euoluit, prouti terrae ſuccus plantarum euolvit ſemina. Cui ſententiae plures opponuntur obiectiones, PLATONIS, HIPPOCRATIS, CARTESII, HARTSOECKERI, LEEUWENHOECKII, aliorumque, quae autem facile refutantur, et prae reliquis HARTSOEKERI et LEEUWENHOECKII ſententia admodum ſuſpecta redditur, cum de LEEUWENHOECKIO dicitur, habitu ipſum omnia videndi praeditum fuiſſe, et de obſeruationibus cum microſcopio factis, pronunciatur, microſcopia in manibus hominum praeconceptis opinionibus occupatorum gignere miracula. Porro variis motis obiectionibus variae ſententiae de organiſatione partium, p. 657.
de ſuperfoetatione, de imaginatione matris, de menſtruis, de foetus nutritione et infantum incremento referuntur, atque tandem ipſa partus cauſa et phaenomena demonſtrantur, vbi oſſa pubis diduci, variis probatur obſeruationibus.

Ab his ad ſenſuum tranſit hiſtoriam Auctor. Ita- p. 679.
que ſenſus tactus primum in cenſum venit. Tactus ſenſus haeret in totius corporis ſuperficie atque ope neruorum hic in papillas terminatorum perficitur, in apicibus vero digitorum prae reliquis corporis partibus hic ſenſus obſeruatur exquiſitior, ita vt quoque variis exemplis demonſtretur, fuiſſe caecos homines, qui colores diſtinguere, et ad ſolum attactum ſtatuam ſimilem effingere potuerint, et de iuuene

coeco nato dicitur, eum litterarum characteres ad figuras tabulae inciſas penna exprimere didiciſſe. Senſus guſtus pari fere ratione perficitur vt tactus, cum papillae adſint, quarum irritatione a corporibus applicatis excitatur guſtus; in eo tamen differt, quod papillae paulo aliter ſint effictae et corpora deguſtanda prius ſolui debeant; guſtus vero gratus atque ingratus a ſpiculis diuerſis ſalinis neruoſas pa-
p.698. pillulas varie afficientibus dependet, atque in eo cum odoratu conuenit, quod quoque partes in aere haerentes ſalino volatiles papillis neruoſis applicari debeant in tunica pituitaria, per omnem narium cauitatem ſatis late expanſa. Indeque animalibus quidem ſenſus hic adſcribitur fortior; attamen Auctor demonſtrat, hoc non in genere eſſe aſſumendum, quoniam in Antillis inſulis Aethiopes odoratu Gallofrancos ab Aethiopibus perfecte diſtinguere poſſent, et fuiſſe puerum, qui odoratu inimicum appropinquantem cognoſcebat, et maritus factus vxorem ſuam ab alia odore diſtinguebat. In auditus deſcriptione Auctor organon ipſum et quomodo radii ſonori tympanum ferientes tremorem indeque perceptionem excitent ſoni, proponit; quibus explicationem perceptionis ſoni per dentes addit, et de ſurditate gangraena aliisque morbis inducta, in obſeruationibus in noſocomio Lugdunenſi factis ſe alio loco
p.723. acturum eſſe, promittit. Viſus ſenſus, poſt deſcriptionem partium oculum componentium, poſt luminis naturam eiuſque radiorum varie fractorum rationem explicatam, et poſt ipſum variorum colorum ex radiis lucis fractis exortum demonſtratum, retinae tunicae ex neruo optico productae et omnem oculi fundum inveſtienti adſcribitur. Cui ſententiae variae aliae, vt: retinam a radiis lucis deſtrui; retinam transmittere radios, ergo in ea non repraeſentari poſſe imaginem indeque tunicam choroideam praecipuum eſſe viſus

organon

organon motis obiectionibus opponuntur. Pari modo cur obiecta in retina inuerſa ratione depicta menti ſecundum naturam obueniant, cur duplici oculo non niſi vnicum obiectum videatur, cur ab obiectorum imagine exigua in retina picta ad naturalem magnitudinem concludatur, explicatur. Quibus binae adnectuntur obſeruationes ad viſum pertinentes, et a Domino COLLOMB Regis chirurgi primarii vicario Auctori communicatae, quarum altera de infante monſtroſo agit, qui tantum vnicum in medio et inferiore oſſis frontis parte gerebat oculum, praeterea neque naſum, neque os, aures vero eo in loco, vbi larynx poſitus eſt, monſtrabat, qui vero tres horas poſt partum moriebatur. Altera autem caecitatis hiſtoriam refert, vbi femina ab exanthemate retropreſſo oculis ita afficiebatur, vt ea binis oculis apertis nihil, altero vero clauſo omnia diſtinguere poſſet, quae vero breui reſtituebatur. Tandem temperamentorum ratio et diuerſitas exponitur, et coronidis loco diſſertatio de noua mercurium in malis venereis exhibendi methodo apponitur, cuius auctor eſt Dom. DAUMOND, Doctor medicinae et Profeſſor Regius. Methodi huius nouae cardo in eo verſatur, vt animali e. g. caprae, vaccae vel aſino mercurius inungatur vel alia ratione ingeratur, atque talis animalis lac aegroto exhibeatur.

Ex ampliori hac recenſione facile intelligi poterit, quo ordine quaue ratione res phyſiologicas, omnibus ſatis notas, Auctor tradidit.

V.

IOSEPHI BAADER, Phil. et Medic. Doctoris, Materiae Medicae, Botaniae, et Chemiae in Vniuerſitate Friburgenſi Briſgoica Profeſſoris Ordinarii ac Publici, Obſeruationes medicae inciſionibus cadauerum anatomicis illuſtratae. Typis Ioan. Andr. Satron 1762. 8. pl. 15 ½

Quum arctiores in recenſendis libellis limites nobis praeſcripti impediunt, quo minus omnes, quas opuſculum hoc continet obſeruationes, a Cl. Auctore et IOANNE MELCHIORE STOERK, Illuſtris Archiatri ANTONII STOERK fratre quondam amantiſſimo, anno 1756 defuncto, in magna domo pauperum, quae Viennae eſt, ab anno 1746 vſque ad annum 1750 collectas lectoribus tradamus, praemonendum eſſe putauimus, nos vel eas modo, quae inter reliquas notatu digniores nobis viſae ſunt, iam eſſe enumeraturos.

p. 1. Femina, temperamenti ad atrabilarium accedentis, ab ineunte aetate variis calamitatibus preſſa, anno aetatis ſuae ſexageſimo quarto, poſtquam ob lapſum diu male ſe habuerat, de cordis palpitatione continua per paroxyſmos increſcente, aluo adſtricta, reſpiratione difficili, pulſu intermittente inaequali, caloribusque vagis conqueritur, quibus tandem apoplexia intra biduum aegram iugulans ſuperuenit. In corde huiuſque vaſis duodecim polypi inueniebantur.

p. 9. Signifer, triginta et ſex annorum, qui in praelio ipſo cum equo praeceps actus erat, in itinere paulo poſt in Italiam ſuſcepto, ſibi incuruationem ſpinae dorſi contraxit, quae ſenſim in tumorem ſat magnum gibboſum, cum emaciatione artuum inferiorum ſumme dolentium, vrinae difficultate moleſta,

leſta, puris tandemque ſanguinis ex vrethra profluuio, tuſſi purulenta ſemper increuit, vſque dum, ſputis retentis, diarrhoea accedens aegrum interficeret. In vtroque thoracis cauo inprimis dextro, ſeri flaui, ſpiſſi, gelatinoſi magna copia, pulmones pleurae accreti et vlceribus tuberculisque ſcirrhoſis contaminati, nulla vero venereae luis indicia in toto corpore reperiebantur.

Cubicularius vegetus, robuſtus, qui praeceps cum equo actus aneuriſma arteriae axillaris contraxerat, poſt annum peractum apoplexia extinguitur. Saccus aneuriſmaticus in duas quaſi partes diuiſus apparebat, quarum ea, quae extra coſtas prominebat, quatuor ſanguinis congrumati libras continebat, interior vero ſtratis carnoſis fere repletus inueniebatur. Tunica externa duas lineas craſſitie ſuperabat, coſtae autem a continuo attritu adeo conſumtae deprehendebantur, vt vel a leuiori modo attactu in minutiſſima fruſta dehiſcerent. p. 15.

Vir, quadraginta annorum, ſiniſtri renis abſceſſu, ab inflammatione praegreſſa orto, moritur. Bilis tanta erat tenacitas, vt aegre cultello diſcinderetur. Renis ſubſtantia fere conſumta, ex eiusdemque ſuperficie diſrupta quatuor librae materiae foetidae acris inter peritonaeum et muſculos lumbales effuſae deprehendebantur. p. 28.

In ſubſtantia lienis hominis, hydrope demortui, lamella oſſea duos pollices longa, vnum lata et lineam craſſa, detegebatur. p. 30.

Vir, conſiſtentis aetatis, melancholicus, poſt vini antimoniati aſſumptionem, inſultum epilepticum, et hoc peracto tantam illico in brachio ſiniſtro irritabilitatem et ſenſibilitatem patiebatur, vt non modo in hoc, ſed et in oris, genarum et aliquando totius capitis muſculis, vel a leuiori modo frigidae aurae p. 107.

 afflatu

afflatu ſpaſtici et conuulſiui motus orirentur. Praeter ea etiam a quauis aeris mutatione, et animi commotione vehementiori inſultus epilepticos per integrum quadriennium experiebatur, intra quod temporis interuallum de obtuſo quodam dolore in dextro capitis latere ſub bregmatis oſſe moleſto ſaepius aeger conquerebatur. Apertum cadauer hepar mole auctum ſanguine refertum; corticalem cerebri ſubſtantiam eo in loco, in quo dolorem olim defunctus accuſauerat, duriorem et fere ſcirrhoſam, et infra hanc, abſceſſum oui gallinacei magnitudine, materia flaua, granuloſa, molli mucoſa plenum, in fundo autem ſubſtantia ex rubro liuida inueſtitum exhibuit.

p. 121. Feminae, quadraginta et quinque annorum, quae poſt partum laborioſum, ſecundinas retentas lochiaque minori copia profluentia, dolorem in dextro inguine ad lumbos vſque ſe extendentem ſenſerat, caeteroquin autem per decem ab hoc tempore annos omnis menſtruae euacuationis expers, ſatis vegeta vixerat, ſubito inſignis vteri haemorrhagia ſuperuenit, quae per ſex annos cum fluxu albo ſic alternauit, vt mox hic mox illa miſerrime aegram excruciaret, vſque accedente demum hydrope extingueretur. Cadauere aperto, nouem in veſicula fellea calculi, nuce auellana maiores; renes ex tredecim ſacculis maiorem digitum admittentibus conflati; vreteres praeter modum dilatati; veſica vrinaria craſſior; vterus maior, durus et inteſtino recto et veſicae vrinariae mediante ſubſtantia glanduloſa ſcirrhoſa accretus; vagina craſſa, vaſis ſanguiferis, liuidis, turgidis diſtincta eroſa et aperti cancri notis contaminata; in vteri ſuperficie interna eroſa aſperaque glandula dura, nigra, nucis magnitudine, tenuem nigrum, acrioremque ichorem plorans; et cor ſiniſtrum polypo, tres palmas in arterias carotides

et axillares ſe extendente, totum fere repletum, deprehendebantur.

Cataphractarius, quadraginta annorum, a multis retro annis haemorrhoides fluentes paſſus, a caſu ex equo aſthmate corripitur, adeo per aliquot annorum curſum increſcente, vt ipſi tandem moriendi neceſſitatem inferret. Omentum fuit macilentum, in peritonaei proceſſum cum vaſis ſpermaticis ita intruſum, vt epiplocelen formaret; ventriculus laxus, maior; hepar, lien, renes ſanguine turgidi; pulmones vndique accreti; cor maius et amplioribus vaſis conſpicuum; in angulo bifurcationis aſperae arteriae calculus, pollicem magnus, oblongus, aſper vtrinque acuminatus, et plerique ramorum bronchialium oſſei. p. 154.

In cadauere feminae, ſexaginta duos annos natae, leucophlegmatia demortuae, omentum liuidum fere gangraenoſum; lien in quinque lobos diſpartitus; veſicula fellea bile tenaci, nigra et quinque calculis referta; renes puſtulis materiam purulentam fundentibus obſiti; cor diſtentum; thoracis, abdominis, ipſiusque pericardii cauitas multo ſero repleta apparuerunt. p. 184.

Femina, quinquaginta annorum, poſtquam per duas, pluresue a prandio horas, vomitus, nullis omnino remediis cedentes, tolerauerat, ſuperueniente tandem hydrope mortua eſt. In cadauere, praeter notabilem extrauaſatae aquae flaueſcentis, in abdominis, thoracis et pericardii cauitatibus copiam, pylorus ſteatomate, ipſius circuitum ita arcte ambiente, vt vel minima ſaltem rima cibis e ventriculo in duodenum progredientibus relinqueretur, obſitus, pulmones flaccidi, duoque maiores in vtroque cordis ventriculo polypi detegebantur. p. 196.

p. 202. Femina tumorem, ex febre tertiana intempeſtiue ſuppreſſa, in hypochondrio dextro ortum, inſignem et per multos annos moleſtum paſſa, hydropica demum atque icterica moriebatur. Hepar multis ſteatomatibus conſpurcatum vltra decem libras ponderabat, in eiuſque parte conuexa tumor ſaccatus, ſex menſuras capiens, ad duas ſuperiores coſtas veras vſque adſcendebat, materia plenus flaua, opaca, purulenta, foetidiſſima adeoque acri, vt manus excoriaret, puſtulasque in his multas, variolis ſimiles, vix infra ſex ſeptimanas arte tollendas excitaret. Natarunt in ſpurca hac materia quatuor ampullae rotundae infantis recens nati capite maiores, diaphanae, quatuor millia hydatidum continentes.

p. 229. Miles aſthmate vexatus vomitu demum ſuperueniente extinguitur. Hepar paruum, contractum, durum, in eiusdemque parte concaua a latere dextro veſiculae felleae verum atheroma; ventriculus contractus; tumor in pyloro ſcirrhoſus, ciborum in duodenum deſcenſum impediens; thoracis et pericardii caua ſero multo plena; in dextro cordis ventriculo polypus; pulmones flaccidi, et hinc inde diſciſſi, materiam purulentam fundentes reperiebantur.

VI.

CAROLI GUILIELMI POERNER, Medicinae Doctoris, Delineatio pharmaciae chemico-therapeuticae. Lipſiae apud Chriſtianum Gottlob Hilſcher 1764. 8. pl. 14 ½.

Opuſculum hoc ex tribus partibus conſtat; prima pharmaciae ſtatum, ſecunda producta pharmaceutica in genere, tertia praeparationem et vires conſiderat. Pharmaciae ſtatum exponens Cl. Au-

ctor primo ad neceſſitatem et vtilitatem eiuſdem reſpicit, hancque pariter ac illam facile declarari putat, ſi ad ſeparationem particularum actiuarum ab inertibus, dein ad ipſas particulas actiuas generis diuerſi, tum ad concentrationem particularum actiuarum ſeparatarum et faciliorem hinc earundem ingeſtionem, tandem ad coniunctionem particularum actiuarum diuerſae naturae attendatur. Officinae pharmaceuticae qualitates dum recenſet Noſter, innuit, primam ſtatim curam eam eſſe debere, vt corpora naturalia, vi ſalutari donata, optimae indolis in officinas deferantur, nec reſpectu bonitatis diuerſae eorundem vendantur ſpecies, inſimulque optime praeparata vnius eiuſdemque generis remedia aſſeruentur, et vnus idemque in omnibus officinis praeparandi modus obſeruetur. Inſtrumenta paſſiua, furnos nimirum et vaſa dum enumerat Noſter, vaſa, in quibus corporum mutationes ſuſcipiuntur, vel mutata corpora aſſeruantur, ſi ex vitro conficiantur, optima eſſe, et ſi ignis violentia obſtet, figulina demum eligenda, lignea vero et metallica prorſus releganda eſſe, notat. Inter furnos, qui ad facilitandos labores pharmaceuticos non parum conferunt, magnam varietatem non requiri, ſed vnam tantum et alteram, quae chemiae inſeruiunt, furnorum ſpeciem ſufficere, et deſtillatorium inprimis neceſſarium eſſe, huncque ſi peculiari modo conſtruatur, aliis etiam operationibus, tempore tamen diuerſo, inſeruire poſſe, putat. Furnum, Pigrum Henricum dictum, aeque ac furnum cum veſica ex officinis proſcribit Noſter, illumque plus damni quam vtilitatis ſecum ferre, huncque ignauiae et feſtinationi occaſionem praebere et producta nihili perſaepe aeſtimanda largiri, autumat. Inter ea, quae chemia requirit balnea, arenae, maris et vaporis balneum in pharmacia inprimis neceſſarium eſſe,

notat

notat et maris inprimis et vaporis balneum commendat. Licet enim in his ad inſtituendas operationes plus temporis impendendum ſit, id tamen ab egregio horum balneorum vſu neminem arcere debere monet, ſiquidem accuratam remediorum praeparationem et genuinam virium conſeruationem magis, quam omnem laborum moleſtiam attendendam eſſe autumat.

p. 24. Dotes pharmacopoei perpendens Noſter, optat, vt ii, quibus ars pharmaceutica hodie demandatur, eodem modo, vt aliarum ſcientiarum cultores, neque vero opificum more, ad addiſcendam pharmaciam ſe applicarent, et logices inprimis, phyſices et chemiae doctrinas addiſcerent, ſibique corporum ſimplicium cognitionem hiſtoricam eorundemque varias, quas patiuntur, mutationes cognitas redderent. Diſciplinis his inſtructum et ad artem exercendam ſe accingentem pharmacopoeum operationes attente et circumſpecte inſtituere et producta rite examinare, negligentiam autem et feſtinationem fugere debere, innuit. De corrigendis etiam remediis nouisque adeo inueniendis meditari debere pharmacopoeum, monet. Cum enim talis vir a facienda medicina remotus prorſus eſſe, omnemque vitam in praeparandis remediis conſumere debeat, illum optimam ideo corporum naturalium indolem diſquirendi eaque mutandi occaſionem nanciſci, notat, cum medico tamen, artem exercente et corporum ſimplicium aeque ac arte productorum efficaciam in corpus humanum inque materias morbificas experiente, inuentum communicandum eſſe, ſuadet.

p. 29. Praeter conſuetos pharmacopoei labores, qui in colligendis, ſeligendis, depurandis et aſſeruandis remediis ſimplicibus, deinde in inſtituendis remediorum pharmaceuticorum praeparationibus, tandem in remediis ſimplicibus aeque ac pharmaceu-

ticis,

ticis, ſecundum medicorum praeſcriptiones ſtatim componendis conſiſtunt, experimenta quoque a pharmacopoeo inſtituenda eſſe, Cl. Auctor monet, ſique experimenta inſtituat, productorum naturam, vim atque actionem in corpora, quae cum fluidis et ſolidis corporis humani partibus, in naturali ſtatu conſtitutis aeque ac morboſis analogiam aliquam habeant, experiri et producta, nouiter inuenta, cum ouorum albumine, ſanguine, bile etc. vel ſanis vel morboſis commiſcere tuncque ad mutationes ſollicite attendere et effectus accurate notare debere, autumat. Hac occaſione Noſter digreſſionem quandam facit et notionem nimiae tenuitatis nimiaeque ſpiſſitudinis humorum explicat, idque eum in finem, vt in experimentis, quae reſpectu diſſolutionis aut coagulationis corporum inſtituuntur, accurate attendat pharmacopoeus.

In ſecunda parte, quae de productis pharmaceuticis agit, primo Noſter qualitates remediorum inſitas et, cum effectus a reciproca remediorum corporisque humani partium actione dependeat, fluidarum quoque ſolidarumque partium C. H. apte iſtis reſpondentium conſtitutionem conſiderat. Ob id itaque ad irritabilitatem, rigiditatem et laxitatem fibrae tum quoque ad denſitatem et rarefactionem, ſpiſſitudinem et tenuitatem, nec non acrimoniam humorum reſpicit, et irritabilitatem cum Ill. HALLERO in glutine quidem quaerit, id vero ſe ipſum non mouere, ſed motuum tantum capax in corpore animali ab alia ſumme mobili ſubſtantia, neruis inhaerente, in motum duci, ſtatuit. Irritabilitatem hanc a remediis quoque excitari vimque eorum irritantem per ſtimulum aut ſaporem, linguae impreſſum, manifeſtari, docet. Roborantem vim per conſtrictionem linguae, emollientem vero per dilatationem et imminutam ſenſationem linguae detegi, oſten-

p. 40.

oſtendit. Quod ad actionem in fluida attinet, condenſantia remedia per ſenſum adſtrictorium, vel acidum adſtringentem, vel amarum adſtringentem, in lingua excitatum, cognoſci, reſoluentia autem ſaporem vel dulcem, vel acidum lenem, vel ſalſum, vel amarum, vel vrentem, vel ex his mixtum in lingua excitare, notat. Inſpiſſantia per ſaporem vel viſcidum, vel vrentem exſiccantem, vel acidum auſterum adſtringentem manifeſtari, diluentia vero blandam refrigerantem quaſi ſenſationem producere, aſſerit. Inuoluentia demum ſaporem viſcidum blandum ſubdulcem excitare, corrigentia vero ſapore acido, amaro, dulci, ſalſo et mixto ſe manifeſtare, oſtendit. Cum autem iſtae remediorum qualitates, ſenſu in lingua excitato percipiendae, vim ſuam atque efficaciam in fibram tantum muſcularem et humores, ſenſu percipiendos, exerceant, et aliae, non niſi odore dignoſcendae, qualitates dentur, quae praeter vim, in fibra muſculari et humoribus manifeſtandam, aliam inſuper in neruos inprimis exercent, ad varias odoris ſpecies ſimul attendendum eſſe, Noſter innuit, ideoque ad grata reficientia, foetentia, caput grauantia, nauſeoſa, balſamica, ſpirituoſa et, quae cum his aliquantum conueniunt, maxime volatilia illa, nares fortiter vellicantia reſpicit. Omnes tamen recenſitas qualitates augeri minuique poſſe, prout plures paucioresue particulae peregrinae cum mobili illa, per guſtum et olfactum detegenda, ſubſtantia coniunctae ſint, notat, ſimulque, vt ad odorem et ſaporem in diſquirendis corporibus naturalibus magis attendatur, optat.

p. 54. Qualitates remediorum pharmaceuticas ad habitum externum pertinere, et hunc eundem, quam in ſimplicibus, eſſe, notat. Cum vero ſimplicium partes, arte nunc mutatae et ex priſtino nexu diductae, aliam faciem induant, et ſimul alium actio-

actionis modum inde acquirant, ad generales eorum qualitates, ad fluiditatem, ſoliditatem et ſtatum inter hanc illamue medium attendendum eſſe, monet. Fluida remedia particulas fouere in motu iam conſtitutas, hinc, ſi fluida remedia praeparanda ſint, motum particularum conſtituentium attendendum eſſe, Noſter cupit. Cum autem fluida ad ſoluenda corpora adhibeantur, atque haec pariter ac illa inſignem ſaepe, ratione motus adeoque actionis quoque, patiantur mutationem: requirit Noſter, vt particulae corporis ſoluendi ad ſuſcipiendum propagandumque motum aptae, a menſtrui ſeu fluidi ſoluentis particulis neque cohibeantur, neque motus earundem auferatur. Hinc menſtrua aptiſſima eligenda atque, vt remedia pharmaceutica accurate praeparentur, doctrinam de menſtruis, inferius conſiderandis, neceſſariam eſſe, cenſet. Solida remedia vel ex meris particulis inertibus vel ex actiuis cum inertibus coniunctis conſtare, et cuncta fere, in officinis deprehendenda, menſtruorum ope praeparari, et horum particulas in motu antea conſtitutas, nunc cum ſolidioribus coniunctas ad tempus quieſcere, et data occaſione in motus cito rapi, neque velociſſimos quidem, vehementiores tamen magisque conſtantes quam a meris fluidis produci, autumat. Quod tandem ad remedia conſiſtentiae mediae attinet, eiusmodi ſtatum particulas in motu iam conſtitutas iamque euolutas cum minus euolutis minusque mobilibus coniunctas denotare, atque, ne ex confuſa compoſitione remedia minus apta et actiones inde minus regulares producantur, conuenientia cum ſolidis coniungenda fluida eſſe, arbitratur.

Praeparationem et vires remediorum exponens Noſter, primo de menſtruis pharmaceuticis agit, quorum numerum augendum, neque vnum, vt cum p. 59.

ſpiritu

ſpiritu vini fieri ſolet, ad quorumcunque fere remediorum fluidorum praeparationem adhibendum eſſe, cenſet. Diuidit autem menſtrua in aquea, ſalina, inflammabilia et compoſita, et haec quidem in chemia vſurpari, omnia tamen, quae chemiae inſeruiunt, in pharmacia vſurpari non poſſe, ſed ea tantum, quae per ſe in corpus humanum ingeſta ſalutares effectus producunt, vel peculiari ratione praeparata tunc demum ſoli pharmaciae inſeruiunt, vtilia cenſenda eſſe, oſtendit. Ita autem hanc de menſtruis doctrinam exponit, vt non ſolum declaret, quomodo in corpora naturalia agant, ſed etiam, qua ratione in ſolidas fluidasue corporis humani partes vel naturales vel etiam morboſas actionem ſuam exerceant. De aquis notat, aquam fontanam, pluuialem etc. deſtillatam, non deſtillata puriorem, natura tamen calidiorem, et in officinis neceſſariam eſſe. Licet enim ad potiones compoſitas a medicis plerumque aquae deſtillatae odoratae praeſcribantur, tamen, ſi vires ſimplicium accuratius explorandae ſint, fluidum quoddam, quod nullam mutationem ſimplicibus inducat, requiri, autumat. Menſtrua ſalina, vt ſolent, in acida, alcalina et menſtrua ſalina mediae indolis diuiduntur, iiſque, cum ſalinis quibuscunque particulis in fluiditate conſtitutis maior mobilitas et efficacitas a natura inſit, maior quoque efficacia in corpus humanum aeque ac in remedia ſimplicia adſcribitur, horumque efficaciam augeri, oſtenditur. Inter acida menſtrua vitrioli et nitri acidum, aqua dilutum, ad praeparanda nonnulla remedia, putredini aduerſaria, cum fructu ſaepe adhiberi; acidum vero ſalis cum ſingulari modo in terram animalem agat, minus tuto interne vſurpandum eſſe, Auctor monet. Succini ſal ſolutum, cum per ſe exhibitum fibram muſcularem leuiter ſtimulet, oleoſam humorum partem

moueat,

moueat et attenuet, neque tamen ab aquoſa ſeparet motusque fluidi neruei nimios componat, et irregulares corrigat, cum ſubſtantiis balſamicis, graueolentibus vel foetidis, vt menſtruum mixtum egregia remedia antiputrida et antiſpaſmodica, ſi cauſſa in viſcido pituitoſo vnguinoſo lateat, largiri, Noſter oſtendit. Acetum vini non deſtillatum gluten cohaeſionis nimis laxum pituitoſum aquoſum leniter denſare, idem ſiccum magis, tenax, aqueis particulis fere orbatum emollire, humorum fluiditatem aliquantiſper augere, irritabilitatem reſtituere vel conſeruare, oleoſam ſanguinis humorumue partem cum aquea coniunctam ſeruare, vel ſeparatas rurſus vnire et irregulares, ab acri principio non acido productos, motus fluidi neruei regulares reddere, ideoque cum volatilibus et ſpirituoſis particulis itidemque oleoſo, reſinoſis vel gummeo-reſinoſis partibus corporum odoratorum mixtum optima remedia diaphoretica, omni exaeſtuante vi deſtituta et vera quoque antiputredinoſa, nec non egregia neruina et roborantia praebere, autumat, et dicto aceto acetum vini deſtillatum longe poſtponendum eſſe, aſſerit. Citri demum ſuccum raro vt menſtruum vſurpari, cum corporibus dulcibus tamen mixtum remedia, viſcidum atrabilarium ſoluentia, et putredinem, nondum euolutam impedientia, largiri, docet. Simili ratione reliqua menſtrua, eorum vim atque efficaciam, tum in corpus humanum, tum in remedia ſimplicia, exponit.

Ad ordines remediorum poſthac progreditur p. 117. Cl. Auctor, in quorum generibus coordinandis ad habitum eorum externum reſpicit, ideoque primo de remediis fluidis, dein de ſolidis, tandem de remediis conſiſtentiae mediae agit. In pertractandis hiſce rebus ad modum praeparandi attendit et primo remedia per deſtillationem paranda con-

ſiderat. De aquis odoratis notat, eas fluida ſiſtere aquoſa, particulis tantum volatilibus, iam euolutis inque motu conſtitutis, nares ferientibus et ſaporem in lingua excitantibus inſtructa. Diſtinctionem aquarum deſtillatarum in ſimplices ſeu ſemel deſtillatas et cohobatas non admittit, ſed vnam tantum ſpeciem concedit. Si enim debilior aqua poſtuletur, aquam cohobatam additione aquae fontanae deſtillatae pro cuiuslibet medici intentione debilitari poſſe, autumat. Spiritibus particulas maxime euolutas et attenuatas volatiles et in motu velociſſimo conſtitutas ineſſe, monet. Ex his ſpiritus vitrioli dulcis praeparationem notamus: infunduntur in retortam vitream ſpiritus vini rectificatiſſimi partes quatuor, olei vitrioli concentrati pars vna; retorta balneo vaporoſo impoſita, deſtillatio inſtituitur, donec nihil amplius in vas recipiens exſtillet. Fluidi, odore et ſapore leniori ſuauiſſimo inſtructi et in recipiente collecti, partibus viginti vel triginta admiſcetur naphthae vitrioli pars vna, et tunc ex balneo vaporis rurſus deſtillatur. Sic autem ſpiritum odoris ſaporisque gratiſſimi, neutiquam ſulphurei, obtineri, notat.

p. 136. Ad remedia, quae per infuſionem parari debent, nonnulla, vt Noſter docet, remedia pertinent, quae ſub eſſentiarum, tincturarum, elixiriorum, balſamorum, acetorum et oleorum compoſitorum nomine in officinis nota ſunt. Notat autem, infuſa in genere conſiderata, non ſolum partes volatiles, ſed et fixas continere debere, ita comparatas, vt vtraeque tum hae tum illae, iam euolutae atque in motum ductae inhaereant. Infuſa aquoſa, quae infuſa ſtricte ſic dicta alias vocantur, partes remediorum ſimplicium actiuas ope aquae vel euoluendas vel euolutas eodem hocce menſtruo eductas continere, ſalina autem, cum menſtrua ſalina particulas

culas multo magis actiuas quam aqua contineant, eademque inſuper ob diuerſam particularum indolem diuerſimode agant, magis actiua quam aquoſa cenſet, atque pro diuerſis morborum cauſſis et variante ſimplicium remediorum indole diuerſa etiam menſtrua eligenda eſſe, oſtendit. Ex his vnum alterumue exemplum adduxiſſe, ſufficiat: ſic ratione praeparationis ad infuſum a Noſtro refertur eſſentia gummi ammoniaci cum liquore nitri regenerati, quae ſecundum Eius praeſcriptionem ita paratur: ſumitur gummi ammoniaci pars vna, adfunduntur liquoris nitri regenerati partes duodecim; mixta digeruntur per horae quadrantem; liquori decantato adduntur extracti gummi ammoniaci aquoſi, cum liquore nitri regenerati parati partes quatuor; mixta iterum in balneo vaporis per horam digeruntur, tandem ad vſum ſeruantur. Oritur inde remedium, quod, egregia vi reſoluente donatum, viſcidum inflammatorium aeque ac atrabilarium attenuat et oleoſam ſanguinis partem, ab aquea ſecedentem, huic rurſus ſe vnit et tunc attenuat et per diureſin ex parte euacuat. Aliud infuſum habetur eſſentia aſae foetidae cum liquore cornu cerui ſuccinato: Recipiuntur nimirum aſae foetidae pars vna, liquoris cornu cerui ſuccinati partes ſex. Mixta, primo absque igne duorum dierum ſpatio in loco temperato, poſthac in balneo vaporis per duas horas digeruntur, et liquor percolatus ad vſum reponitur. Eſſentiam hanc antiſpaſmodicam viſcidum vnguinoſo-acidum reſoluere et ſubtiliſſima vaſa ab eo liberare; ſanguinem leniter commouere neque tamen aeſtum inducere; motum fluidi neruei irregularem, a memorato viſcido obortum, corrigere; tunc vim anodynam exercere et ſpaſmis quoque primarum viarum, a viſcido acido prouenientibus, mederi, Noſter arbitratur.

p. 163. In tertia huius ordinis claſſe remediorum per coctionem praeparatio communicatur. Intelligit autem Noſter ſub decocti nomine remedium, quod ex fluido minus volatili et ſubſtantia ſolida, fixis particulis donata, ſola decoctione, ad ebullitionem vſque euecta, producitur. Inter fluida, labori huic apta, non ſolum meram aquam et cereuiſiam, ſed omnia fluida, quorum partes conſtitutiuae coctione non tam cito disiunguntur et diſſipantur, et quae fixiores partes cum multa aqua firmiter connexas fouent, admittenda eſſe et lac, ſerum lactis et aquam, cum ſalibus mediis fixioribus coniunctam, multum hic valere et in recludendis corporibus fixis, arcte inter ſe connexis, plura praeſtare, Noſter aſſerit. Exemplum eſto decoctum radicis gentianae rubrae cum liquore tartari vitriolati. Immittitur nimirum radicis gentianae rubrae conciſae pars vna in vas terreum non vitreatum; adfunduntur aquae purae ſimplicis ebullientis partes duodecim, et adduntur liquoris tartari vitriolati partes decem. Coquuntur omnia per horae ſpatium, et liquor per linteum colatus et frigefactus ſtatim in vſum ducitur. Decoctum hoc in morbis, vbi viſcidum pituitoſum, vel iners vel cum acida acrimonia coniunctum, reſoluendum ſit, vſum habere et egregie attenuare, ſolidas tamen partes roborare et laxis, pituitoſis laudabilem medicinam praebere et ciborum coctionem iuuando a viſcido praeſeruare, Noſter cenſet.

p. 166. In quarta claſſe remedia emulſa parare docet, in quorum praeparatione ad corpora, quae partes oleoſas cum mucilaginoſis coniunctas foueant, reſpiciendum eſt. Ita emulſionem ex gummi ammoniaco, et oleo amygdalarum dulcium ope tincturae antimonii tartariſatae, et aliam

ex

ex terebinthina, et oleo amygdalarum ſaponis veneti ope parandam tradit.

Ordo ſecundus remedia ſolida continet, quae p. 169. ſubſtantiae naturales dicuntur, quarum particulae, oculis percipiendae, ſiue inertes ſint ſiue actiuae, quieſcunt et motore opus habent, quo in motum duci et actiuae inprimis, in motum ductae, actionem ſuam exercere queant. Cum autem ſolida plurima ex inertibus et actiuis particulis ſimul componantur, ex his plurima Noſter ſperat. Sic ſolida corpora, ex inertibus et actiuis compoſita, ſi in corpus humanum introducantur et in motum rapiantur, actionem magis conſtantem et diutius durantem exercere, quam fluida, et inertium particularum ope actiuas ſaepe ita figi autumat, vt extra corpus humanum in vaſis idoneis adſeruata remedia diutius perdurent, nec corrumpantur. Cum vero in recta eorundem praeparatione multum poſitum ſit, et haec pro diuerſa mixtionis et habitus indole variet, in varias claſſes hanc ipſam Noſter diuidit. Primo itaque remedia per coagulationem paranda docet, quae, licet ſolida appareant, ex ſolidis tamen et fluidis partibus conſtare debere, notat. Hinc de ſaponibus, balſamis ſolidis et emplaſtris agit. In ſecunda claſſe remedia per praecipitationem paranda conſiderantur, quorum praeparatio requirit, vt ſubſtantiae ſolidae menſtruo antea bene ſoluantur, ſolutio rite percoletur et mutationes ſolutioni ſenſim paulatimque inducantur. Exempli loco cremorem tartari, reſinam ialappae, corallia rubra et ſulphur antimonii mercuriale per praecipitationem parare Noſter docet. De vltimo notamus, id eadem ratione, vt ſulphur antimonii auratum praecipitari, praeter id, quod loco acidi puri ſolutio mercurii per aquam fortem facta, a Noſtro adhibeatur, et praecipitata varii coloris obtineantur.

Sulphur hoc antimonii mercuriale inſignem vim attenuantem obtinere, viſcidum pituitoſum reſoluere, vaſa ſubtiliſſima, viſcido hoc referta, aperire et per colatorium cutaneum inprimis euacuare, autumat. In tertia claſſe remediorum per cryſtalliſationem praeparatio traditur, quam plerumque acida cum ſubſtantiis alcalinis vel terreis vel metallicis coniuncta inire ſolent. Cum vero nonnullae ſubſtantiae, cryſtalliſationem per ſe reſpuentes, non raro arctum connubium cum terreis vel metallicis vel cum alcalinis ineant, easdem, addito acido, ſimul cryſtalliſari, Noſter oſtendit, id quod exemplo tartari vitriolati ſulphureo-regulini illuſtrat, quem ex liquore poſt praecipitationem ſulphuris antimonii aurati, ope acidi vitriolici factam, reſiduo et accurate percolato per euaporationem et cryſtalliſationem parari, iubet. Hunc autem tartarum vitriolatum ob contentas quasdam partes ſulphureas et regulinas autumat, viſcidum pituitoſum acidum efficacius reſoluere et ſpaſmos inde excitatos tollere. In quarta claſſe remedia per ſublimationem paranda Noſter ſiſtit, atque monet, cauendum eſſe, ne ſubſtantiae inter ſe inuicem coniungantur, quae vel indolem venenatam manifeſtant, vel eandem induunt aut ad minimum noxiae euadunt. In vltima claſſe remedia per calcinationem paranda conſiderantur.

p. 186. In tertio ordine de remediis conſiſtentiae mediae agitur, et in prima eius claſſe remediorum per euaporationem et inſpiſſationem praeparatio traditur. Hic primo de extractis docetur, ad extracta rite paranda requiri, vt ſubſtantiis ſolidis conuenientia menſtrua adfundantur. Sic ex millefolio extractum aquoſum et ſpirituoſum, tandem aquoſo ſpirituoſum paranda ſunt. Primum lenem vim reſoluentem cum roborante coniunctam ſimul-

ſimulque abſtergentem, conſolidantem et condenſantem; alterum roborantem et exſiccantem cum balſamica, et tertium vim leniſſimam reſoluentem cum roborante et balſamica coniunctam habere, Auctor notat. Poſthac mella conſiderat, quae cum acidis, vel cum gummoſis vel gummoſo-reſinoſis corporibus et acido-dulcibus immo amaricantibus coniuncta, remedia non contemnenda, cum alcalibus autem et ſaponibus alcaleſcentibus aliisque eiusmodi ſubſtantiis compoſitum vix laudabile producere, cenſet. Ita ex melle et ex aceto angelicae oxymel angelicae, vim reſoluentem, emollientem, diaphoreticam, diureticam et antiputridam habens, et ex melle et myrrha aqua ſimplici ſoluta mel myrrhatum parari poſſe, oſtendit. In praeparatione ſubſtantiae illius, Roob dictae, requirit, vt membranaceae et terreſtres partes inertes ſeparentur; ad praeparandos ſyrupos ſubſtantias, ſapore non adeo ingrato donatas, et ſaccharum magis oleoſum quam cryſtalliſatum adhibendum eſſe, putat. Quod tandem ad remedia attinet, quae per liquefactionem et coagulationem parantur, praeter vnguenta nullum aliud Noſter commemorat, quorum numerum in officinis imminuendum, eaque ad longum tempus adſeruanda non eſſe, recte aſſerit. Confectiones demum, condita, conſeruas, rotulas, morſulos, trochiſcos, taedas et alia eiusmodi plura ita Noſtro comparata eſſe videntur, vt ſicco pede ea tranſire conſultum duceret optans, vt eiusmodi praeparata, remediorum nomine non inſignienda eiiciantur, quo pharmacopoei tempus aliis vtilioribus eorundemque rectae praeparationi impendere poſſint.

VII.

Mémoire pour ſervir à l'hiſtoire de l'uſage interne du mercure ſublimé corroſif; par M. LE BEGUE DE PRESLE, Docteur Régent de la Faculté de Médécine de Paris, Cenſeur Royal. On y a joint un Recueil d'Obſervations faites ſur l'uſage interne de ce Remède en Allemagne, en Angléterre, en Italie etc. A la Haye, et ſe trouve à Paris, chez P. Fr. Didot. 1763. 12. pl. 21.

h. e.

Commentarius hiſtoriae de vſu interno mercurii ſublimati corroſiui inſeruiens, Auctore Cl. LE BEGUE DE PRESLE; vna cum ſubnexa collectione obſeruationum de vſu interno huius remedii in Germania, Anglia, Italia etc. inſtitutarum etc.

Libellus hic ex duabus quaſi partibus componitur:
p. 17. in prioris capite primo Auctor de origine mercurii ſublimati corroſiui agit, vbi notat, praeparationem hanc veteribus iam e. g. RHASI et AVI-
p. 22. CENNAE iam notam fuiſſe. In ſecundo capite diuerſas mercurii ſublimati corroſiui praeparationes commemorat, inter quas eas optimas cenſet, quae Venetiis, Londini et Amſtelodami in magna quantitate inſtituuntur, atque a Viris Cll. MACQUER, BOULDOUC et CARTHEUSER indicantur. In
p. 46. tertio capite delectus mercurii ſublimati corroſiui traditur, atque illud inprimis productum laudatur, quod ex mercurio et copioſo acido ſalis conſtat; abundantiam enim acidi ſalis maxime vtilem eſſe et mercurium in minimas particulas diuidere, ſicque efficaciam huius remedii augeri, Noſter autumat.

Cum

Cum autem mercurius ſublimatus corroſiuus ab impoſtoribus non raro cum arſenico adulteretur, fraudem hanc ope ſpiritus ſalis ammoniaci, ex ſale ammoniaco, ſale tartari et calce viua parati, detegi, ſique arſenicum admixtum fuerit, liquorem ex mercurio ſublimato corroſiuo adulterato conſtantem nigreſcere pulueremque nigrum fundum petere, notat, cum e contrario ex liquore, mercurium ſublimatum purum continente, albus puluis praecipitetur. In quarto capite auctores nominantur, qui ante aliquot saecula iam mercurio ſublimato corroſiuo interne vſi ſunt. Primum eorum BASILIUM VALENTINUM fuiſſe, qui dictum mercurium ad morbos venereos, cancros et vlcera maligna interne vſurpauerit, notat, tuncque alios ſimul commemorat, qui poſt eum et ſuperiori inprimis ſaeculo vixerunt. In quinto capite Clariſſimi in arte Viri adducuntur, qui vſum dicti mercurii quaſi reſtituerunt, inter quos primum omnium Ill. VAN SWIETEN, immortalis BOERHAAVII, mercurii ſublimati corroſiui vſum internum iam commendantis, diſcipulum laudandum eſſe, cenſet. In vltimo capite obiectiones recenſentur, quas nonnulli contra vſum internum mercurii ſublimati corroſiui mouerunt, ex quibus inprimis Viri Cl. CARTHEUSER, BARON et ASTRUC nominantur. Tandem de methodo vſurpandi hocce remedium Noſter notat, eam ab Ill. VAN SWIETEN commendatam optimam eſſe, inprimis ſi ſecundum Cl. DE HAEN omni quadriduo purgans exhibeatur. An autem ſolutio mercurii in aqua ſolutioni in ſpiritu vini praeferenda ſit, Noſter definire non audet, idque tempore futuro demum patefieri, putat.

p. 66.
p. 108.
p. 116.
p. 140.

In poſteriore parte Cl. Auctor collectionem obſeruationum de interno mercurii ſublimati corroſiui vſu communicat, quas tanquam apologiam commenta-

mentationis praecedentis conſiderat. Auctores harum obſeruationum ſunt Ill. VAN SWIETEN, DE HAEN, STOERCK, SANCHEZ, ALVAREZ, GUERING, OTTMANN, MOZEDER, ZIEGENHAGEN, EHRMANN, SPIELMANN, BONA, LEMORE, Societas Medicorum Londinenſium, BROMFIELD, DOSSIE, LOCHER et CREN. Cum vero plurium harum obſeruationum ſumma paſſim a nobis tradita iam ſit, et reliquarum epitome a Noſtro communicetur, nomina tantum Auctorum adduxiſſe, ſufficiat.

VIII.

Dictionnaire univerſel des foſſiles propres et des foſſiles accidentels, contenant une deſcription des terres, des ſables, des ſels, des ſoufres, des bitumes, des pierres ſimples et compoſées, communes et prétieuſes, tranſparentes et opaques, amorphes et figurées, des mineraux, des metaux, des petrifications du regne animal, et du regne végétal etc. avec des recherches ſur la formation de ces foſſiles, ſur leur origine, leurs uſages etc. par Mr. E. BERTRAND, Premier Paſteur de l'Egliſe Françoiſe de Berne, Membre des Acad. de Berlin, de Goettingue, de Stockholm, de Florence, de Leipſic, de Mayence, de Baviére, de Lyon, de Nanci, de Bâle, de la Societé Oeconomique de Berne etc. Tome Premier. A la Haye chez Pierre Goſſe, Iunior, et Daniel Pinet. 1763. 8. pl. 20. Tome ſecond. pl. 16 *).

h. e.

*) Alia editio prodiit Auenione; ſed inſcio Auctore, quare is nouam parat additamentis augendam.

h. e.

Lexicon vniuerſale foſſilium propriorum et foſſilium accidentalium, continens deſcriptionem terrarum, ſabulorum, ſalium, ſulphurum, bituminum, lapidum ſimplicium et compoſitorum, vulgarium et pretioſorum, tranſparentium et opacorum, amorphorum et figuratorum, mineralium, metallorum, petrificationum regni animalis et regni vegetabilis etc. vna cum diſquiſitionibus de formatione horum foſſilium, eorum origine, eorundem vſu etc. Auctore Cl. BERTRAND etc. Tomus I et II.

Ex perampla hac inſcriptione fere patet, quodnam ſit huius libri inſtitutum; hinc pauca tantum addimus, cum omnium, quae in hoc libro continentur, rerum ſummam cum Lectoribus noſtris communicare non licet. Foſſilium primo nomina gallica ordine alphabetico ſe inuicem excipiunt, quibus ſingulis nomina latina et germanica omniaque a diuerſis auctoribus vſurpata ſynonyma ſubnectuntur; hiſque ſaepe iunguntur anglica vel italica, ſi ſingulare quid denotent. Characteres dein cuiusuis foſſilis peculiares deſcribuntur, ſimulque, ſi neceſſarium viſum fuerit, claſſis, ordo, genus vel ſpecies definiuntur, aut genera ad minimum vel ſpecies praecipue diſtinguuntur. Interdum quoque origo horum corporum atque natura, formatio et vſus eorundem, quem in medicina aut arte quadam habent, indicantur, quae vero ignorantia aut ſuperſtitio introduxit, reiiciuntur. Ex his itaque patet, librum hunc, multo ſtudio conſcriptum, vtilitate ſua non deſtitui, iiſque inprimis, qui chemica pertractant et in rebus mineralogicis verſantur, inſeruire

ſeruire poſſe, cenſemus. Vt autem Lectores noſtri de hoc opere ipſi iudicent, exempli loco ea, quae de Platina Noſter habet, communicemus.

Platina, inquit, eſt nomen Hiſpanicum et quidem diminutiuum a Platta, quod argentum ſignificat. Eſt itaque paruum argentum. Subſtantia eſt mineralis, ante aliquod tempus in America detecta, cui quoque nomen auri albi impoſitum eſt: nominatur etiam Platina di-pinto et Iuan-blanca. Cl. ANTONIUS DE VLLOA, Mathematicus Hiſpanicus, qui Viros Cl. GODIN BOUGUER et DE LA CONDAMINE in itinere Peruano comitatus eſt, primus habetur, qui ſingularis huius mineralis breuem mentionem fecit. Platina colorem argenti et pondus auri habet. Fulget ea et polituram admittit, neque in aere rubiginem contrahit, neque ſplendorem amittit; ſola non adeo ductilis, potius vt Tombac fragilis eſt; reperitur in venis minerarum forma vel granorum, vel pulueris; grana haec per ſe fortiſſimum ignem per duas horas requirunt, antequam funduntur; pauca vero quantitas arſenici, platinae admixta, liquationem eius adiuuat.

Vaſa metallica ex ea parantur. Pondus eius ad aquam eſt vt 17 ad 1. Si auro certa portione admiſcetur, illud neque de pondere neque de colore quidquam amittit, et haec coniunctio experimentis vulgaribus non detegitur. Ob id igitur Reges Hiſpaniae eam, quantum vſurpatur, colligi iuſſerunt. Aqua fortis eam non ſoluit, id vero praeſtat aqua regis; ſolutio vero neque oſſa, neque pennas tingit, vt a ſolutione auri fit. Si platina cum cupro miſcetur, hoc purius euadit, neque adeo rubigini obnoxium, ductilitatem tamen ſuam non amittit, tuncque eſt cuprum multo perfectius.

Philoſophi quidam ſeptimum metallum hanc nominant, vt in articulo de metallis iam dictum fuit: dicunt,

dicunt, duritie ferri cuſi, fixitate et pondere auri et colore argenti praeditum eſſe; differre vero ab auro tenacitate, colore, duritie et gradu ignis ad fuſionem neceſſario.

Vid. opus a nobis iam citatum: La Platine l'or blanc, ou le 8e metal. Paris in 12mo 1758. Reperitur in eo collectio experimentorum, quae cum ſubſtantia hac metallica a Viris Cll. WATSON, WOOD et LEWIS in Anglia et a Cl. SCHEFFER in Suecia etc. inſtituta ſunt. Conferatur etiam Ann. litterar. Cl. FRERON. Tom. II. Ann. 1758. p. 160. ſeq. Qui platinae nomen octaui metalli imponunt, mercurium ceu metallum conſiderant, pro quo tamen haberi nequit.

Alii chemici contendunt, platinam nouum metallum non eſſe, ſed vnum hactenus notorum metallorum arſenico mineraliſatum. Forſan plura, quam hactenus inſtituta ſunt, experimenta ad decidendam hanc quaeſtionem neceſſaria ſunt.

IX.

Faſciculus diſſertationum anatomico - medicarum. Amſtelaedami apud Ioannem Schreuder. 1764. 8uo; plag. 11 ½. tab. aen. 4.

Proprio conſilio permotus Bibliopola, in gratiam eorum, qui diſſertationes ad artem medicam ſpectantes aeſtimant, eas vero non ſemper acquirere poſſunt, omnes in Germania euulgatas, ipſi obuenientes, et ſententiis eruditorum dignas viſas, quarum memoria aſſeruetur, diſputationes medicas, denuo typis mandare, et in faſciculos collectas, edere ſecum conſtituit. Primus hic, quem iam proſtare curauit, faſciculus quatuor continet ſcripta, ex anatomiae et phyſiologiae doctrina petita, ſinguloque

guloque figura quadam illuſtrato. Nos, quid in vnoquoque praecipue notatu dignum inuenimus, breuiter indicabimus.

Primum ergo ſibi vindicat locum diſputatio: *oui humani foecundati ſed deformis, trimeſtri abortu eliſi, anatomen exponens*, Auctore CAROLO AUGUSTO MADAI Med. Doct. Ex ſatis vegeta atque robuſta, viginti quatuor annorum femina, quae aliquoties iamiam puerperii incommoda feliciter ſuperauit, praegreſſo violentiſſimo a regione lumborum vſque ad regionem pubis ſe extendente motu ſpaſmodico preſſorio, trimeſtri abortu in terram fuit proiectum ouulum hoc humanum, quod omni ſtudio et induſtria examinauit, examinatumque maxima cum attentione in aes incidi curauit Cl. diſſertationis huius Praeſes PHILIPPUS ADOLPHUS BOEHMER. Duce hoc et adiutore iamdum Noſter quoque in anatomen huius oui diligenter inquiſiuit, ſuaque placita de eo nunc exponere annititur. Ad fabricam ergo, ſtructuram et figuram iſtius oui quod attinet, ita Cl. Auctor illud deſcribit, quod fuerit ex multis fibris tum longitudinalibus, tum obliquis et tranſuerſalibus ſe inuicem decuſſantibus, et mirum in modum cum contextu celluloſo coadunatis, conſtructum; quoad magnitudinem et figuram ouo anſerino proxime accedens; in ſuperficie ob adhaerentes hinc inde flocculos membranaceos valde inaequale et nodis quaſi ſcirrhisque obſeſſum. Satis craſſa eius ſubſtantia carnea, poſtquam inciſione cruciformi fuerit diſſecta, in conſpectum prodiit veſica ouata, transparens, embryonem in humore pellucido natantem continens, cuius funiculus vmbilicalis circa abdomen arctius, paullo poſt vero laxius, et in tria vaſa ſatis conſpicua fuit reſolutus, quae ſupra aliam quandam veſiculam membranaceam, tenuiſſimam, guttulas aliquot ſeri cuiuſdam limpidi continentem,

poſte-

poſterius in filamentum album deſinentem, flatuque immiſſo mox diſruptam fuerunt extenſa. Iam Noſter deſcripta delineataque ouuli huius figura et ſubſtantia, diſquirit, quomodo illud a reliquis partubus humanis naturalibus diſcrepat. Praecipue attentionem ſuam direxit in veſiculam illam oualem, circa funiculum vmbilicalem inuentam, eaque vtrum hydatis, an potius membrana alantoides fuerit, diſquirit. Non hydatidis nomen huic veſicae competere putat, quoniam omnes proprietates, quae in ea inueniebantur nullo modo ad hydatidem poſſent applicari, et quamuis RUYSCHIUS nonnunquam tales circa funem vmbilicalem ſe reperiſſe docuerit, nimis tamen peculiarem et maxime diſcrepantem veſicae huius figuram, ſitum, nexum et magnitudinem, eam nullatenus hydatidem fuiſſe comprobare aſſerit. In inquirendo vero, an praeſens veſicula membrana forſan fuerit alantoides, ita Cl. Auctor verſatur, vt primo quid per alantoidem intelligi velit, definiat. Dici vero: alantoidem eſſe vrachi in nondum natis in folliculum tenuiſſimum membranaceum, pro recipienda vrinae portione expanſionem. Perluſtratis dein de praeſentia membranae alantoides in vtramque partem diſputatis ſententiis, ſuam opinionem adducit, qua veſiculam iſtam in praeſenti ouo detectam, et cum funiculo vmbilicali connexam vrachum eſſe in alantoidem continuatum, et peculiari ratione per funiculum cum veſica vrinaria conſentientem, Noſter contendit.

Adiecit huic diſſertationi placita quaedam *de vracho humano* Cl. BOEHMERUS, quibus eundem peruium eſſe, et ad alantoidem vſque extendi poſſe, comprobare anniſus fuit. Non ſolum Cel. ALBINI et NEUFVILLE de vracho peruio obſeruationes adducit, ſed prioris quoque iconem in academicis annotationibus exhibitam, adiecta tabula aenea illuſtrauit.

ſtrauit. Ad hanc rem perficiendam opportunitatem Noſtro praebuit exemplum hominis cuiuſdam quadragenarii, pectoris, viſcerum abdominalium, et ipſius veſicae vrinariae inflammatione extincti, cultroque anatomico ſubiecti. Cadaueris huius veſica, modica quantitate vrinae repleta, flatu immiſſo non ſolum in figuram fere ſphaericam eſt extenſa, ſed etiam portio vrachi adhuc praeſentis ſimul turgeſcere incepit, quo exemplo Cl. Auctor ſuam ſententiam de vracho peruio corroborare tentat, immo eundem ad alantoidem humanam, cuius praeſentiae veſtigia ſe, licet obſcure, in alio ſubiecto, detexiſſe tamen contendit, vſque extendi poſſe, nullus dubitat, quamuis adhuc nondum accurate ſatis via ad eandem ſit inuenta.

Tertia diſputatio, *de confluxu trium cauarum in dextro cordis atrio* exponit, habita in Academia Fridericiana, Auctore NICOLAO THEUNE, Leera Friſo-Orientali. Obſeruatio haec, quam Auctor de duplici vena caua ſuperiore, biniſque inſimul venis azygis, in puero, ob infarctum hepatis glandularumque meſenterii tabe et febre lenta conſumato, detectis, adducit, in Cel. BOEHMERI obſeruationibus anatomicis iamiam quidem proſtat *); ob argumenti tamen dignitatem, et exemplorum paucitatem, hanc materiam ſpeciminis academici loco ſibi ſumere, mentemque ſuam de ea exponere, Noſter non dubitauit. In duplicem ergo ſectionem hanc tractationem diuiſit, in quarum prima venae cauae tum ſuperioris, tum inferioris ortum, progreſſum, coniunctionem tum inter ſe, tum cum auricula cordis, et phyſiologice, et anatomice recenſuit; in altera vero ipſam praeſentem obſeruationem ſtudioſius contemplatus eſt, et quomodo duplices hae venae cauae

*) Conf. Commentar. noſtr. Vol. II. P. 2. p. 247.

cauae ſuperiores detectae omnes ſimul cum inferiore in ſinu Loweriano concurrerunt, et in propaginibus ſuis alias et a ſtatu naturali aberrantes venas conſtituerunt, indicauit, et adiecta figura illuſtrauit, venarum quoque azygarum, in cadauere duplicium, ortum ſitumque ita expoſuit, vt in vtroque latere vnam, dextram ſiniſtra paullulum altiorem, venasque trium coſtarum ſuperiorum in ramo quodam peculiari recipientem, ſiniſtram vero venas intercoſtales, exceptis ſuperioribus, quae ad ſubclauiam ſiniſtram excurrebant, excipientem, in ſiniſtro latere vertebrarum deſcendentem, et in abdomine cum lumbaribus coniunctam, ambas tandem in venam cauam ſuperiorem vtramque, dextram et ſiniſtram inſertam fuiſſe, docuerit.

His tandem adiecta eſt commentatio medica, qua *nutritionem foetus in vtero per vaſa vmbilicalia ſolum fieri, occaſione monſtri ouilli ſine ore et faucibus nati* oſtenditur, Auctore D. IOANNE CHRISTIANO THEMELIO, Annaemontano. Admiratione omnino dignus eſt, quem tabula aenea delineari curauit Cl. Auctor, foetus ouillus, cuius deſcriptionem in praeſenti tractatu dedit. Agnus, reliquis membris vere naturalibus, capite vero deformoſiſſimo natus, in antica regione colli, vbi cartilago thyroidea locum habet, maximo, et ſtrumae inſtar ſacco, molli tactuique cedente praeditus, ne minimum faucium aut palati habuit indicium, aures vero ibi poſitas, vbi in ſtatu naturali os atque maxilla inferior eſſe ſolent. Monſtrum hoc cum in vtero vixerit, nulla tamen oris veſtigia habuerit, Noſtro opportunitatem praebuit, ſententiam ſuam, qua foetum per ſola vmbilicalia vaſa nutriri aſſerit, corroborandi. Septemdecim argumenta aliorum auctorum, qui foetum in vtero materno per os

nutriri affirmarunt, adduxit, eaque interdum ſat conueniente in contrarium adducta ſententia refutare allaborauit.

X.

Iournal de Medecine, Chirurgie, Pharmacie, etc. par M. VANDERMONDE, Docteur en Medecine de la Faculté de Paris, ancien Profeſſeur en Chirurgie françoiſe, Cenſeur Royal et Membre de l' Inſtitut de Bologne. Tome XV. a Paris 1761. chez Vincent. 8. alph. 1. pl. 13. tab. aen. 1. et Tome XVI. 1762. alph. 1. pl. 13. tab. aen. 1.

h. e.

Diarium ad artem ſalutarem, chirurgiam, pharmaciam, etc. pertinens; Auctore Cl. VANDERMONDE. Tomus XV. et XVI. etc.

In menſe iulio 1761 notari meretur

Tom. XV. p. 20. 2) *Hiſtoria morbi ſpaſmodici, in quo aegra in viginti ſex menſium ſpatio trecentas venaeſectiones ſuſtinuit*, auctore Cl. LAUGIER. Virgo, viginti duorum annorum, a terrore ſuppreſſionem habuit menſium, quartoue menſe incidit in epilepſiam hyſtericam, qua creberrime affecta tandem vſu lactis paululum refecta eſt; ſed paulo poſt a refrigerio et ira in priſtinum morbum reiecta, vehementem cephalalgiam paſſa eſt, ſibique ſemper in paroxyſmo venam ſecari voluit. Multos commiſit diaetae errores in victu, nec niſi intra octo vel quatuordecim dies aluum depoſuit; tandem dolores capitis et ſuffocationes periodicae factae ſunt, febris habitualis aegram, per diem calore, et nocte frigore, affecit, et haemo-

haemoptoe acceſſit, donec tandem poſt graues dolores ventris lethargo et morti ſuccubuit.

3) *Obſeruatio vertiginis habitualis vſu coffeae curatae;* auctore Cl. FELIX. Aegra antea ab vſu coffeae abſtinens, eius ope intra tres menſes a vehementiſſima vertigine, quae nullis cedebat medicamentis, plane liberata eſt. p. 38.

5) Cl. AUBER deſcribit *vitulum monſtroſum.* Caput ex duobus capitibus conſtare viſum eſt, duabus auribus tribusque oculis inſtructum, quorum vnus in medio frontis poſitus, reliquis minor, nullos continuit humores, potius in fundo orbitae adfuit membrana mollis, quae oculo, humoribus vacuo, non diſſimilis erat, cuius neruus opticus naturalem habuit magnitudinem. Duae aderant proboſcides recte conformatae naribusque inſtructae; conſpiciebantur ſinus maxillares, ſed vnus tantum ſinus frontalis. Vtraque proboſcis duas maxillas habuit, 64 dentibus ornatas. Os vtriusque proboſcidis in anterius et poſterius diuidebatur; poſterius vtriuſque cum altero connectebatur protuberantia oſſea; aderant duae linguae poſterius connexae oſſique hyoideo adhaerentes; conſpiciebantur etiam in palatis vuulae. Pharynx ſepto membranaceo erat diuiſus, quod duplici oeſophago reſpondebat, quorum ſiniſter dextro multo anguſtior erat. Loco falcis in cerebro adfuit ſeptum membranoſum ad baſin cranii vſque deſcendens, ab interna lamina durae matris productum; cerebrum ipſum a naturali ſitu parum recedebat; medulla ſpinalis continuato ſepto membranaceo diuidebatur. Vterque neruus opticus peculiarem emiſit ramum ad tertium neruum opticum formandum. p. 45.

6) Cl. THIBAULT exhibet *obſeruationem, de ſeminibus auenae, quae in ventriculo hominis progerminarunt;* ibi enim remanſerant a menſe octobri ad iulium vſque, et febrem, nauſeas, doloresque excitarant, p. 52

donec tandem aeger vomitu eiecit ſemina, quae in ventriculo radices tenuiſſimas longitudine duorum triumue digitorum egerant.

p. 54. 7) *Obſeruatio de vulnere thoracem penetrante*, Auctore Cl. CASTILLON. Globulus plumbeus ſclopeti perforauit pectus in ſiniſtra inferiore, poſteriore et laterali parte; altero die tumor ortus eſt in dextro latere prope papillam, ad oui gallinacei magnitudinem, quo aperto globulum exemit Cl. Auctor; ipſum vulnus anterius intra decem dies, poſterius intra quatuor hebdomadas coaluit.

p. 57. 8) *Excreſcentiam polypoſam* deſcribit Cl. LEAUTAUD, *quam iuuenis, aluum deponens, ex ano eiecit.* Pyri magnitudinem habuit.

p. 66. 10) *Obſeruatio de exſtirpato tumore magno, parti laterali externae labii dextri genitalium adhaerente*, a Cl. MESTIVIER. Cum tumor vaginae et inteſtino recto arcte adhaereret, varias cyſticas tumoris partes chirurgus in eius fundo reliquit, quae ſcarificatae deinde ex voto ſuppuratione ſeceſſerunt, et aegra reſtituta eſt. Hoc ſteatoma quatuor librarum pondus aequauit.

p. 68. 11) *Obſeruationem chirurgicam* narrat Cl. LE PEIGE de foemina, fluore albo affecta, in cuius capite, ictu funis craſſi, tres tumores orti erant. Aperuit tumorem ſuper ſinus frontales affixum, ex quo pus ſanguinolentum exiit, et cariem detexit, quae viginti ſex lineas in longitudinem, et decem in latitudinem manarat. Fruſtra tractauit vulnus per menſem vſitatis remediis, tandem dilatauit a ſinubus frontalibus vſque ad ſuturam transuerſalem, et poſt quadraginta octo horas impoſuit cariei turundam, aqua mercuriali per aquam communem mitigata imbutam; ſic vulnus in dies correctum eſt et quarto menſe caries diſparuit. Cum tandem accederet pertinax hepatis obſtructio: et ab hac, et a pulſa-

tione

tione perpetua durae matris cicatricis formatio retardata eſt, donec tandem adhibuit laminam argenteam excauatam, et aegra deinceps vſu aquarum Paſſarum plane reſtituta eſt.

In menſe auguſto 1761 deprehenditur

2) *Obſeruatio de vſu pillularum cicutae in tumore ſcirrhoſo*, a Cl. AUBRELIQUE. Virgo, viginti quinque annorum, tumorem habuit in regione hypogaſtrica per quatuor annos ita creſcentem, vt venter grauiditatis ſpeciem referret; ipſe tumor iam ſcirrhoſus maximos dolores creabat; iuſcula vero diluentia aegrae exhibita et fomenta emollientia tumori applicata febrem mitigarunt, atque pilulae cicutae ad tres et quatuor pro doſi ſenſim tumorem diminuerunt, haemorrhagias vteri coercuerunt, aegramque tandem plane ſanarunt. p. 129.

5) *Obſeruatio defectus conformationis*, a Cl. MAIGROT facta, deſcribit puerum viuum capite monſtroſo, cui deerat os coronale, oſſa parietalia et temporum, atque loco occipitalis aderat os figurae irregularis, vt cerebrum, limitibus oſſeis non ſatis circumdatum, cutem valde diſtenderet. Facies e maxillis vtriſque tantum compoſita ſummopere depreſſa erat; naſus ex meris carnibus conſtabat; bulbi oculorum prominentes et cornea opaca inſtructi, ſolo neruo optico ſuſtentabantur; aurium, ſub angulis maxillae inferioris haerentium, pars anterior ſurſum directa erat, et poſterior deorſum vergebat; reliquae corporis partes ſanae et bene conformatae inueniebantur. Mater initio grauiditatis verberibus male fuerat tractata. p. 142.

7) *Obſeruatio de fractura cruris complicata cum vulnere et luxatione, quam ſequebatur gangraena*; Auctore Cl. BAUDIN. Vir lapſu fregit inferiorem tibiae partem et fibulam e loco ſuo dimouit; chirurgus reduxit os p. 146.

 luxa-

luxatum, idque, fracturam vulnusque negligens, faſcia valde adſtricta tantopere compreſſit, vt breui accederet gangraena, quam vero vſus chinae ita mitigauit, vt aeger tandem crure recte vti poſſet.

p. 151. 8) *De haemorrhagia ſic ſedata, vt aegra pleuritica in linteum madefactum inuolueretur*, Auctore Cl. OLIVIER. Cum poſt abortum ſanguinis fluxus immodicus eſſet: aegram in linteum inuoluit, quod aqua cum aceto mixta imbutum erat, idque ſaepe continuauit, vt ſanguinis egreſſus ceſſaret et aegra intra quatuordecim dies a febre liberaretur.

p. 156. 9) Cl. MAURANT deſcribit *linguam monſtroſam* pueri, duos pollices craſſam, et ex ore ad quatuor digitos transuerſos propendentem, cuius papillae neruoſae obductae erant muco nigro et ſpiſſo, vnde continuo promanabat ſaliua viſcida, lintea arrodens. Infans maſticauit alimenta molarium ope, cum inciſiui et canini deciderint, et maxilla inferior in medio curuata ſit, vt lingua in hoc ſpatio haereſcat. Motus maxillae inferioris infanti facillimus eſt, ipſamque loquelam adiuuare videtur, vti alias lactationem.

p. 179. 11) *Ad exſtirpandas verrucas* ſuadet Cl. DE SAINT MARTIN ſaepe eas fricare puluere foliorum campanulae cymbalariae folio hederaceo. Idem praeſtat ſanguis talpae.

Menſis ſeptembris 1761 inprimis continet

p. 214. 3) *Obſeruationem de effectibus olei nucis et vini Alicantici contra taeniam*, Auctore Cl. BINET. Foeminae taenia laboranti exhibuit hoc remedium per tredecim dies, et taenia inde iam tertio die per partes e corpore eiiciebatur.

p. 220. 4) *De veneno bufonis*, Auctore Cl. DE LAMAZIERE. Cum quis bufonem igne camini necaſſet: ancilla, quae paulo poſt ignem ore inflabat, magna anxietate afficiebatur, et facies aureſque eius valde intumeſcebant, tandem

tandem in copioſum ſudorem incidens altero die reſtituta eſt.

5) *Obſeruationes de vſu interno extracti cicutae*, a Cl. LANDEUTTE, quod dedit militi ſcirrho lienis affecto, et externe applicauit emplaſtrum cicutae. Deinde ſolum exhibuit extractum ad ſcrupulum vnum pro doſi cum proſpero ſucceſſu, quae vero ad drachmam ſemis aucta appetitum diminuit, deiectiones et febrem ephemeram produxit, idemque ter accidit, vt tandem aeger moriretur. In foemina vero pillulae cicutae ſenſim diſſiparunt tumorem ſcirrhoſum mammae, quamquam harum vſu in menſe ſecundo dolores lancinantes oriebantur. p.223.

8) Cl. DE BAUX *Epiſtola ad* Cl. DE LA CONDAMINE *de numero inoculatorum in Prouincia Galliae.* Intra menſium viginti vnius ſpatium octoginta quinque homines in Prouincia optimo cum ſucceſſu inoculati ſunt, in quibus tredecim erant adulti, quorum ſex variolis non affecti ſunt, etiamſi ſigna declarabant, myaſma varioloſum externum ſanguini ſe immiſcuiſſe, in reliquis vero ſeptuaginta duobus infantibus tres quatuorue tantum a variolis liberi fuerunt. Vnde patet, aetate prouectiores, qui in crebra variolarum epidemia incolumes vixerunt, minora contagii pericula habere iunioribus, et quadragenarios rarius inde affici, quam qui vigeſimum quartum vel trigeſimum annum nondum ſuperarint, quod duobus exemplis hic declaratur. p.272.

Menſe octobri.

3) *Obſeruatio de febre hemitritaea male tractata et inopinata criſi curata, cum obſeruationibus nouis de pulſu naſali*, a Cl. DESBREST. Aeger nimiis venaeſectionibus et purgantibus ad agonem vſque perductus tandem vndecimo die in ſudorem largiſſimum incidit, et poſt hanc criſin in dies melius ſe p.312.

 habuit.

habuit. Haemorrhagias narium, leues quidem ſed crebras, ſemper praecedebat pulſus renitens, a Cl. Auctore pulſus diſſolutionis et pulſus naſalis dictus, qui, cum reſolutionem ſanguinis indicet, ſemper venaeſectionem diſſuadet.

p. 325. 4) *Obſeruatio de virgine, quae, cum antea obſeſſa crederetur, nunc optima gaudet ſanitate*, a Cl. GERARD. Puella duodecim annorum, difficultate deglutiendi affecta, tertio die incidit in ſingultum, qui canis latratum imitabatur, et ob debilitatem extremitatum inferiorum in lectulo retenta fuit, tandem opiſthotonus acceſſit. Vſus vero antiſpaſmodicorum, relaxantium et venaeſectio pedis affectus conuulſiuos plane diſſipauit et aegram ſanauit.

p. 330. 5) *Obſeruatio de plica polonica*, a Cl. LANDEUTTE. Morbus hic deſcriptus hereditarius fuit et ſaepe rediens, cum foemina ſexaginta duorum annorum nunc quarta laboret plica polonica, quatuor pedum longitudine et duorum pollicum craſſitie. Minime praeſcindendae ſunt hae plicae, cum inde viſus debilitetur. Cl. Auctor earum cauſſam in vitio texturae pericranii capillati et obſtructione pororum ab immunditie oriunda quaerit.

p. 336. 6) *Sectio cadaueris*, Auctore Cl. IUVET. E foemina aſcitica poſt mortem eduxit Cl. Auctor centum et decem libras aquae purae cum lamellis lymphaticis mixtae, quam ſaccus ex peritoneo factus continuit, qui vbique a muſculis transuerſis et a facie anteriore renum ſeparatus erat; viſcera vero ſana nec ab aqua circumdata inueniebantur.

p. 363. 9) *Obſeruatio de exitu oſſiculorum auditus poſt inflammationem gangraenoſam faucium*, a Cl. HENRY. Puer quindecim annorum ſexto die febris putridae eiecit e naribus fruſtulum carnis putreſcentis, et decimo die ex auribus pus emanauit, quocum ſimul malleus cum incude exierunt. Cum vero aeger non

ſenſiſſet

ſenſiſſet dolorem fixum in auribus: forte inflammatio per tubas EUSTACHII communicata in pus diſſoluit membranas aurium internas, ideoque oſſicula libera reddita exierunt et audiendi facultas aegro plane demta eſt.

Menſe nouembri

2) *Diſſertatio de colica pictonum in genere*, Auctore Cl. BONTE'. Colica pictonum eſt vel *primitiua*, vel *ſecundaria*. *Prior*, a cauſſa ſenſibili in canalem alimentorum perducta, vel *mineralis* vel *vegetabilis* dicenda eſt. *Altera* ſiue *ſecundaria* pendet a cauſſa in maſſa ſanguinis haerente, et vel *arthritica*, vel *ſcorbutica*, vel *febrilis*, vel *melancholica* eſt. Colicae pictonum primitiuae prior ſpecies, *mineralis* dicta, oritur a pulueribus metallicis in canalem inteſtinorum introductis. *Vegetabilis* excitatur vſu potus, qui acido tartareo nimis abundat, vt vini albi, cereuiſiae veteris, vini pomacei. Peculiaria eius ſymptomata ſunt languor, facies cachectica, pondus ventriculi, nauſea, infirmitas genuum, pulſus debilis, inaequalis, vomitus acres, linguae ſiccitas, ſingultus, dolores viuidi primum in regione ventriculi, deinde in regione vmbilicali, tandem membris ſe communicantes, dolores renum cum iſchuria, aluus conſtipata, tenſa, non adeo tamen contracta, quam in colica pictonum minerali. Interdum pulſus durior fit, accedit delirium ſuaue, epileptici motus, affectus comatoſi. Declinante morbo febris lentae ſimilis perſiſtit et membrorum paralyſis ſemper accedit, ſaepe etiam icterus et hydrops. Sudores nonnunquam tum oriundi puſtulas rubras in cute excitant et paralyſin nuntiant, diarrhoea vero critica eſt et vtilis. Differt lento acceſſu a *colica pictonum minerali*, quippe quae ſubito prorumpit, ſine febre, delirio et inflammatione. *Colica pictonum arthritica* inſultus arthriticos p. 399.

 produ-

producit, non adeo perſiſtentes, quam qui a podagra irregulari oriuntur, aluus parum conſtipata eſt, dolores ſunt vehementes ſed breues, cum ſpaſmo ventriculi et ſuppreſſione reſpirationis coniuncti, et articuli praecipue dolent. Paralyſis ſaepe accedens curatur, ſi podagra metaſtaſin ad articulos facit. *Colica pictonum ſcorbutica*, in tertio plerumque ſtadio ſcorbuti irrumpens, doloribus membrorum ſignificatur et ſtranguriam, ſaepe aluum ſanguinolentam, paralyſin non diu durantem et mutabilem affert. *Colica pictonum febrilis* cognoſcitur e faciei et oculorum colore flauo, oris amaritie, vocis raucitate, vomituললilioſo et crebro, vrina turbida, cute ſicca. Saepe hanc duplicata febris comitatur, et ſedatis doloribus ventris intermittens febris redit, hac ceſſante, dolores, icterus, ipſaque paralyſis ſequuntur. *Colica pictonum melancholica*, a ſummo gradu melancholiae excitata, valde pertinax eſt, dolores ventriculi inſignes, flatulentiam, cardialgiam, deliria, et affectus comatoſos gignit, ſubſultus tendinum ſubſequuntur et epilepſia, quae ſaepius, quam paralyſis et mania, accedit. Vrina atrabiliaria et ſimilis deiectio hanc interdum tollunt. *Colica hyſterica*, quam paralyſis et epilepſia non finit, et *colica tranſpirationis ſuppreſſae*, quae minime ſymptomata eſſentialia colicae pictonum habet, minime peculiares ſpecies colicae pictonum ſecundariae conſtituere poſſunt.

p. 434. 5) *Obſeruatio de infante monſtroſo* a Cl. THIBAULD. Caput conſtabat panniculo piloſo, cerebro et oſſibus maxillae ſuperioris, ſphenoideo et ethmoideo, deficiente oſſe occipitali, coronali et parietalibus. Brachia longitudine trium pollicum, et manus figura et magnitudine pedis talpae erant, femora et crura, quatuor pollices longa, pedibus talpaceis inſtructa, extrorſum dirigebantur et cum perinaeo linea recta

poſita

poſita erant. Viuus ad lucem productus fuit, capite praeuio.

6) *Obſeruatio de corpore peregrino trium librarum ponderе, quod ex vtero foeminae exiit*, a Cl. LE CLERC. p.436.
Foemina nimia vteri haemorrhagia debilitata produxit maſſam, magnitudine capitis neonati, colore cinereo et ex multis hydatidibus et corpore placentae ſimili compoſitam. Lochia deinde ſolito modo fluebant.

7) *Obſeruatio de commotione vehementiſſima, qua aeger ad viginti quinque dies ſine ſenſuum vſu manſit* a Cl. HENRY. p.439.
Vir lapſu ad crotaphitem dextrum ita vulneratus eſt, vt motu et ſenſu deſtitutus iaceret, multumque ſanguinis e vulnere, aure et ore cum vomitu amitteret. Os non fractum fuit; diſcidit Cl. Auctor pericranium, et intra quatuor dies decem venaeſectiones inſtituit, donec aeger viceſimo quinto die ſenſus recuperauit.

Menſe decembri

2) *Notiones generales de colica pictonum vegetabili, vſu vini pomacei exorta*, Auctore Cl. BONTÉ. p.496.
Vinum pomaceum vetuſtum, nimis fermentatum, vbi acidum tartareum quaſi liberum eſt, colicam pictonum vegetabilem producit, quae frequentior eſt in annis fertilibus, ob fructuum immaturitatem, et in ſterilibus, cum ibi vinum pomaceum vetuſtum in vſu ſit, quam in annis vilioribus. A diuerſitate ſoli et arborum aetate pretium eius pendet, idque melius eſt, quod ex arboribus vetuſtis conficitur. Colica pictonum vegetabilis ab eius vſu ſaepius inducitur in domibus celebrioribus, vbi in magnis vaſis incluſum nimis fermentare ſolet, et in iis, qui vitam ſedentariam amant; coqui ab ignis ardore rigefacti et in athmoſphaera metallica degentes, quae in coquinis a vaſis cupreis ignis calore in calcem mutatis

oritur,

oritur, huic morbo maxime expoſiti ſunt, nec minus miniſtri, inprimis diuitum. Haec ſaepe redire ſolet a leui cauſa, ob imbecillitatem neruorum, ſaepe complicata eſt cum colica pictonum metallica, vbi reſiſtunt inprimis materiae metallicae vel verae, vel ſub forma calcis, eaedem materiae diſſolutae et in vera venena mutatae, et acidum liquorum fermentatorum in primis viis euolutum. Saepe ſimul coniungitur colica arthritica et rheumatica, cum podagra pendeat ab acido tartareo, atque tum profunt veſicatoria. Cum colica pictonum melancholica ſociata ſaepe producit triſtiſſimos effectus, v. g. epilepſiam ad vitae finem vſque durantem, paralyſin minime curandam, icterum pertinacem. Rarius ſe coniungit cum colica pictonum febrili et ſcorbutica, ſaepius vero cum affectibus hyſtericis.

p. 525. 5) *Epiſtola* ad Cl. Auctorem, *de piſo, quod in cauitate narium progerminauit*, a Cl. RENARD. Infans trium annorum tumorem habuit in naſi dextra parte, vnde Cl. Auctor, polypum metuens, piſum eduxit, quod duodecim radices protruſerat, quarum minima pollicis vnius, maxima pollicum trium longitudinem habuit.

Tom. XVI. Tomus XVI. praeter alia in menſe ianuario 1762 ſequentia potiſſimum complectitur.

p. 33. 3) *Obſeruationem, de hydrophobia ſpontanea ſingulari*, Auctore Cl. MAZARS DE CAZELES. Foemina, quae vndecies grauida fuerat, ſemper in quatuor primis menſibus grauiditatis hydrophobia maxime ſingulari laborabat, quae mox a conceptione horrore potus atque ciborum liquidorum, etiamſi et alii his vterentur, ſe manifeſtauit. Adſpectu et murmure aquae in tremores et animi deliquia incidit, et pontem tranſiit obturatis auribus oculisque deligatis.

4) *Obſer-*

4) *Obſeruationes de medela duorum cancrorum vlceratorum et faciei et mammae, vſu cicutae;* Auctore Cl. DECOTES. Foeminae cancrum mammae apertum vſu pillularum cicutae, viginti octo granorum pro doſi, intra quatuor menſes plane curauit, et in viro in earum doſi ad quadraginta octo grana vſque aſcendit, et quamuis debilitatus hinc eſſet viſus, tandem intra duos menſes cancrum faciei et dorſi ex voto diſſipauit. Vtroſque vero aegros per totam curam ſingulis hebdomadibus purgauit duodecim granis *paſtae alexipharmacae de Rotrou*, quae ita praeparatur, vt ex ſemine ricini excorticato oleum prematur, pulueris relicti libra ſemis, ſerpentariae Virginianae vnciae quatuor, tartari albi vncia vna ſumatur, qui puluis ſoli per menſem exponatur, et ſub pillularum forma cum vino Hiſpanico facta exhibeatur, isque ſemper aluum duodecies et quindecies mouit. Dubius igitur eſt Cl. Auctor, vtrum huic remedio, an cicutae, maior curandi vis attribuenda ſit. p. 35.

5) *Epiſtola Cl.* LE CHANDELIER *ad Cl.* VANDERMONDE, *de nonnullis experimentis chemicis.* Cl. Auctor oleum ouorum eduxit ſine igne et ſola diſſolutione principiorum, quae ſpiritu vini rectificato paratur. 1) Diluit vitellum oui gallinacei ſeptem vnciis aquae purae frigidae, quae tingebatur et vitellum fundum petiit, nec poſt triginta ſex horas guttula olei apparuit. 2) Vitellum difficulter ſe coniunxit cum vnciis duabus olei terebinthinae, atque, cum id, quod ab vnciis ſeptem aquae ſolutum erat, affuſum eſſet, ſuper aquam natauit. 3) Vncia vna ſpiritus vini conſiſtentiam vitelli non auxit, quod deinde affuſis vnciis ſeptem aquae ſe praecipitauit, et aqua tincta manſit ſine olei indicio. 4) Vitellum cum drachmis duabus ſpiritus vini rectificati mixtum butyri conſiſtentiam accepit, et quin- p. 43.

que

que vnciis aquae frigidae deinceps dilutum, aliquid olei dedit. 5) Maiorem olei copiam exhibuit vitellum per octo dies conſeruatum et ſimili modo tractatum. 6) Drachma vna ſpiritus vini non ſufficit ad oleum vitelli educendum, et ſpiritus vini debilitatur, ſi vitellum in aqua expanſum eſt, quippe qui aquae admiſcetur. 7) Quatuor vitella per octo dies conſeruata, cum vncia vna ſpiritus vini rectificati mixta et vnciis viginti aquae diluta, multum olei intra viginti quatuor horas produxerunt. 8) Tandem denuo quatuor vitella cum vncia vna et dimidia ſpiritus vini miſcuit, et vnciis triginta aquae diluit, in qua duodecim grana aluminis ſoluta erant, et ex his octo vitellis ſex drachmas olei confecit.

p. 49. 6) *Animaduerſiones de morbo oculorum, vbi declaratur vera cauſſa ſymptomatum, quae operationi extractionis cataractae bene inſtitutae accedunt, et vbi proponitur modus his proſpiciendi;* Auctore Cl. DEMOURS. Relaxatio vueae et corneae cicatriſatio ſaepe extractionem cataractae ſequuntur, et a modo deligandi pendent. Suadet igitur eiuſmodi deligationem, qua oculi partes externae in ſitu naturali conſeruantur. Inprimatur itaque oculus ſanus emplaſtro, vt figura oculi emplaſtro impreſſa remaneat, et imponatur oculo aegroto linteum ſimplex iam vſitatum et aqua madefactum, ſuper quod effudatur cochlear emplaſtri aqua calida emolliti, vt forma oculi accurate exprimatur; idque poſt aliquot minutas ſatis durum erit, vt loco linteorum vſitatorum adhiberi poſſit.

p. 61. 7) *Obſeruatio de callo, qui exortus eſt in fractura femoris, quamquam carie maxime affectum erat,* a Cl. CAMPARDON. Operarius lapſu contuſit femur dextrum ſenſimque ſe formauit abſceſſus, qui cum aperiretur et inde effluxiſſent librae duae ſaniei, aeger ex ſubitaneo motu hoc femur fregit, ad tres quatuorue digitos ſupra condylos, et dilatato vulnere caries

ſimul

ſimul detecta eſt. Febris et dyſenteria inprimis moleſta erat aegro, quibus tandem ſedatis callus oſſis fracti bene formatus eſt, et vulnus ſenſim coaluit atque relicta fiſtula, vnde materies ſanioſa perpetuo emanabat, partis inferioris femoris intumeſcentia, durities et leuis exoſtoſis, aegrum a priſtinis functionibus non impediunt.

In menſe februario.

4) *Obſeruatio de catalepſi a terrore exorta*, Auctore Cl. MAZARS DE CAZELLES. Euacuato aegro per ptiſanam quandam cum vino antimoniato exhibuit iuſculum veruecinum cum paeonia maſcula, valeriana ſylueſtri et floribus gallii lutei per quatuordecim dies, et denuo purgauit, vt inde catalepſis plane diſſiparetur, quam redeuntem iterum ſimilibus remediis et iuſculis cephalicis curauit. p. 131.

5) *Obſeruatio de effectibus periculoſis a retropulſa ſcabie*, Auctore Cl. VETILLART DU RIBERT. Narrantur hic varii morbi in diuerſis hominibus inde exorti, vt anguſtia inteſtinorum, carcinoma labii oris, phthiſis, hydrops, dolores ventriculi et plura. p. 144.

6) *Obſeruatio de foemina ad annum ſeptuageſimum quintum vſque menſtruata*, a Cl. CELLIEZ. Iam a decimo tertio anno catamenia ſuo tempore habuit, quae quadrageſimo quinto anno ceſſarunt vſque ad ſeptuageſimum ſecundum annum, vbi a terrore ſubitaneo magnam haemorrhagiam vteri paſſa, et ab hoc tempore ſingulis menſibus fluxu catameniorum ſine vllo incommodo affecta eſt. p. 152.

7) *Epiſtola* Cl. SABLIERE *ad* Cl. VANDERMONDE, *de parte coſtae bouinae, quae ex fiſtula ani hominis exibat.* Decem lineas longa et quatuor vel quinque lineas craſſa erat, extremitatibus acutis curuis, et febrem, dolores, abſceſſus, ſinus et fiſtulas ſenſim p. 155.

exci-

excitarat, qua quidem extracta aeger celeriter ſanatus eſt.

p. 159. 8) *Obſeruatio de punctione veſicae in vrinae retentione, cathetere ſine fructu applicato*, a Cl. AGASSON. Vir, ſexaginta trium annorum, tanta iſchuria angebatur, vt venter maxime diſtenderetur et peſſima ſymptomata adeſſent, nec niſi aliquot guttulae ſanguinis ex vrethra ſpecillo explorata exirent. Compunxit igitur veſicam Cl. Auctor acu triquetra in regione pubis, ad dextrum latus lineae albae, cum carnoſitates, in collo veſicae metuendae, punctionem in perinaeo diſſuaſiſſent. Eduxit vrinam aliquoties, et illa enchireſi iterum cum ſucceſſu vſus eſt, cum fortuito cannula e veſica exiiſſet. Cauſſam iſchuriae quaeſiuit in maſſa ſcirrhoſo polypoſa in collo veſicae haerente.

p. 169. 9) *Obſeruatio de ſectione portionis epiploi ex vulnere prope vmbilicum propendentis*, a Cl. HENRY. Vulnus tredecim lineas longum erat, vnde exiit portio epiploi quinque vel ſex digitorum, quam cum nullo modo reducere poſſet Auctor, forfice praeſcidit, vnde parum ſanguinis effluit; reliqua ſine ligatura optimo tamen cum ſucceſſu reduxit, vulnus ſutura vniit, et aeger breui tempore rurſus conualuit.

Menſe martio.

p. 223. 3) *De foemina a morſu ſcorpionis curata*, Auctore Cl. VIMONT. Ex vulnere in medio digito cubitus maximopere intumuit, et ibi puſtulae ſero maxime rodente plenae ortae ſunt, quem Cl. Auctor arctius ſupra tumorem ligauit, veſiculas incidit, ſcarificatam manum et digitum fouit ſpiritu vini, et impoſuit cataplaſma ex allio, foliis fraxini et ruta inuicem tritis et cum aqua vitae commixtis; interne vero exhibuit drachmam vnam cum dimidia theriacae. Quibus igitur remediis per quinque dies applicatis intumeſcentia cubiti plane reſedit.

4) *Obſer-*

4) *Obſeruatio de infante octenni, iam in altero aetatis anno catameniis affecto*, a Cl. BERTRAND. Haec puella anno aetatis ſecundo medio iam catamenia paſſa eſt, quae vſque ad medium quinti anni, dum variolis laborabat, ſingulis menſibus ordine conſueto fluxerunt. Nunc redierunt in medio noni anni, dum tuſſi conuulſiua laborabat. p. 227.

8) *Reſponſio* Cl. DAVIEL *ad epiſtolam* Ill. DE HALLER, *d.* 11. *Nov.* 1761. Cl. Auctor contendit, iridem vix ſenſilem eſſe, et ſe ipſum ſaepe portiones huius membranae praeſcidiſſe, ſi in ſtaphylomate nimis adhaeſerit corneae, nec aegros inde viſum amiſiſſe, adeoque id requiri, ſi portio iridis incarcerata non reduci poteſt, niſi fundus oculi ſimul irritetur. Diſcindi igitur poteſt pupilla, ſi lens cryſtallina nimis magna et dura ſit, vel adhaerens, vel pupilla dilatari non queat. Ipſe inter quadraginta tres operationes cataractam extraxit, quae tam dura et craſſa erat, et pupilla nimis parua parum ſe dilatabat, vt annulus vſque ad circulum internum ciliarem diſrumperetur. Alius pupilla poſt extractam cataractam maxima ex parte motu priuata erat, ſine viſus imminutione. Alius, pupilla plane immobili facta, optime tamen picturas tractare potuit. Quodſi igitur choroidea non ſoluitur a cornea et retina ictu aliquo oculorum: ſectio iridis et pupillae eiuſque diſruptio nulla ſymptomata producit. p. 245.

Menſe aprili

2) *Expoſitio et explicatio ſymptomatum colicae pictonum vegetabilis* Auctore Cl. BONTÉ. Tres claſſes eorum conſiderat Cl. Auctor, 1) ſymptomata, quae initio morbi obſeruantur, 2) quae in progreſſu eius accedunt, 3) quae in eius fine adſunt. p. 300.

I) Quibus imminet haec colica, ii languore afficiuntur, digeſtio lentior fit, chylo male praeparato

ſecretiones non rite conficiuntur, vigor animi perit ex atonia neruorum et difficili circulo ſanguinis in abdomine. Facies a viſcido et acido primarum viarum palleſcit, a bile ad ſanguinem refluente ſimul cum oculis flaueſcit vel plumbea apparet. Saburra viſcida ventriculi ponderis ſenſum, ructus et nauſeas producit; eadem in omni inteſtinorum tractu expanſa et a calore euoluta ſpaſmos vagos in nonnullis partibus abdominis excitat, in aliis ſtuporem; imbecillitas femorum et genuum ſentitur, ab irritatis neruis lumbaribus; pulſus eſt exilis, durus, inaequalis, ob nexum nerui intercoſtalis cum neruis cardiacis; lingua ſicca, cruſta alba obducta; vomitus crebro accedit, mucoſus, flauouiridis, ab irritatis neruis exortus, inprimis ab acido primarum viarum, quarum ſiccitas, bilis viſcoſitas et inteſtinorum contractio ſpaſmodica, pertinacem alui obſtructionem excitant.

p. 310. II) Dolores abdominis acerrimi fiunt, acido magis euoluto, fermentato, et irritante. Infimi ventris ſenſilitas maior eſt, quam in colica pictonum minerali, tantopere increſcens, vt aegri ne tactum quidem, nec leuia ſtragula ſufferre poſſint; raro abdomen ſe contrahit, ſed potius ob flatulentiam volumine augetur; dolores renum vehementiſſimi ſunt; vrina ſaepe ſupprimitur, mox clara, mox turbida, cum dyſuria vel ſtranguria, idque ex ſympathia neruorum; dolores pungentes infimi ventris ad omnia membra expanduntur; obſeruantur ſpaſmi doloroſi, horrores vniuerſales, pulſus durus, frequens; febris accedit, affectus comatoſi a cerebri compreſſione; conuulſiones epilepticae, praegredientibus ſaepe tendinum ſubſultibus; inſomnia perpetua, deliria; rariſſime vero raucitas et ſuppreſſio loquelae.

3) *Ob-*

3) *Obſeruatio de fractura complicata partis inferioris cruris, doloribus ad partum accedente;* a Cl. MUTEAU DE ROCQUEMONT. *Fil.* Foemina partui propinqua collapſu domus in ſubterraneum fornicem deiecta eſt, et e ruinis educta in ſyncopen incidit, et cruris fracturam complicatam paſſa eſt. Fractum os in ſitum iuſtum ſtatim reduxit et faſcias applicauit, quamquam dolores ad partum aderant. Collocauit deinde duas foeminas ad latus fracturae, quarum vna femur ſurſum tenebat, altera fractum crus, idque ad femoris motum dirigebat; alia latus oppoſitum tractabat, aliaque foeminae ſcapulas fixas tenebat, et oſſi ſacro plures panni ſubiiciebantur. Fricatis autem genitalibus oleo, manu repulſauit caput foetus male poſitum, ſenſimque verticem ad orificium vteri adduxit. Foetus deinde auctis doloribus viuus ad lucem editus eſt. Fractura nihil damni inde cepit, et intra triginta octo dies plane coaluit, ſalua aegrota. p. 325.

5) *Obſeruatio de hydroſarcocele, frictionibus mercurialibus curata, quamquam malum venereum non metuendum erat*, a Cl. TERLIER. Nauta lapſu ante ſex menſes ſibi parabat dolores lancinantes teſticuli ſiniſtri, vt ſcrotum ſenſim maxime intumeſceret, fluctuaret et initium gangraenae iam adeſſet, cum ſaltationi valde indulſiſſet. Remouit Cl Auctor partem gangraenoſam, aperuit ſaccum muſculoſum tunicae dartos, et exiit aqua turbida duarum librarum pondere. Ipſe teſticulus ſcirrhoſus inferius excreſcentia polypoſa ad pugni magnitudinem onuſtus erat, et funiculus ſpermaticus ſcirrhoſus duos pollices in diametro aequauit. Deſtruxit hoc ſarcoma cauſticis, varia fruſtra tentauit ad leuandos ſcirrhos; aquam in ſacco collectam decies punctione euacuauit, tandem ſetaceo aquae exitum parauit. Poſtremo ad- p. 333.

 hibuit

hibuit per aliquot menſes frictiones mercuriales, quibus hanc ſarcocelen plane curauit.

p. 344. 6) *Epiſtola* ad Cl. VANDERMONDE, *de miro effectu vrinae feruidae in vulnere frontis carioſo*, a Cl. HETTLINGER. Frons infantis lapſu vulneratus eſt, vt os coronale quinque vel ſex lineas patefieret, et ex neglectu ſenſim carie afficeretur. Vrina feruida vero, pene calore aquae feruidae, vlceri applicata fomentatione, exfoliationem accelerauit, et vulnus intra ſex dies plane conſolidauit.

Menſe maio

p. 398. 2) *Expoſitio et explicatio ſymptomatum colicae pictonum vegetabilis* a Cl. BONTE'. Continuatur hic *tertia claſſis* ſymptomatum. Interdum initio decrementi colicae accedunt haemorrhagiae narium, quae criſis rara quidem, ſed ſalutaris eſt, vt et acceſſus catameniorum, cum epilepſiam, affectus comatoſos, cet. caueat, ſpaſmos abdominales tollat et vim venaeſectionis habeat. Coecitas circa finem morbi accedens a vaſis ſanguiferis retinae ita diſtentis, vt neruus opticus eiuſque ramuli comprimantur, exoritur, atque dolores leuat; ſi vero obſtructio ad cerebrum vſque progrediatur, et ſtupor et memoriae lapſus coniunctus ſit: dolores plane tollit. Paralyſis plerumque ſubſequitur, ſi morbus diutius durauit, vel ſaepe rediit, vel tremor membrorum iam adeſt. Superiores extremitates crebrius inde afficiuntur inferioribus, et ſemper remanet artuum imbecillitas. Cum enim neruus intercoſtalis et nerui communicantes dolore irritentur et extendantur: relaxatio ſuccedit, vaſa in membranis neruorum diſtributa obſtruuntur, humor filamenta neruoſa humectans diſſipatur, eorum agilitas perit, vnde relaxantur fibrae muſculares, quarum motus imbecillis tremorem, plane ſublatus paralyſin producit,

quae

quae tamen, cum vitium in membranis neruorum haereat, curari poſſe videtur. Paralyſis inprimis ob nexum nerui intercoſtalis cum ceruicalibus brachia prae reliquis afficere ſolet, quae interdum, ſi obſtructio nerui intercoſtalis diu durauit, ob eius nexum cum neruis lumbaribus ad extremitates inferiores progreditur. Dolores colici interea continuantur, quibus ceſſantibus materia morboſa ad neruos delata paralyſin in dies auget. Epilepſia ſaepe a leui cauſſa inducitur, quam ſequitur interdum mania ob debilitatem fibrarum cerebri, peritque memoria et iudicium, febris lenta accedit ob acrimoniam humorum et meſenterii obſtructionem, macies enormis, cum fluida diſſipentur a vigiliis, doloribus, febre et euacuationibus perpetuis; articulorum ſtrepitus ſemper obſeruatur in hoc morbo, ex ligamentorum ſiccitate. Hydrops ob vaſorum reſorbentium imbecillitatem accedens, inprimis aſcites, non ſanari poteſt. In exitu morbi deiicitur ex ano materia mucoſa, ſpumoſa, flaua, aquam ſupernatans, odore acido; ſalutarem hanc criſin indicant aucti renum dolores, borborygmi, flatus, tenſio abdominis, crebra eiectio materiae durae, globuloſae. Sudores raro proſunt, niſi pauca adſit materia morboſa, cuius maxima pars plerumque ad neruos gangliaque ducta paralyſin excitat. Sudor acidum odorem habet, vaſa tranſpirantia intumeſcunt, et cutis puſtulis rubris obtegitur. Vita poſt colicam hanc vt plurimum triſtis eſt, cum remaneat tremor manuum, nodoſi articuli, initium paralyſeos, et corpus in omni aeris viciſſitudine ſenſibile.

3) *Obſeruatio de morte ſubita ex haemorrhagia inſolita*, Auctore Cl. GONTARD. Vino dedita, triginta quinque annorum, nocte ſenſit dolorem medii digiti manus dextrae, et altero die gangraena acceſſit tam celeris, vt cum oſſe metacarpi amputan- p. 421.

 dus

dus eſſet; ſubſequitur febris maligna per tres hebdomadas, et varii abſceſſus inſignes oriebantur, applicatis tamen auxiliis intra ſex hebdomadas ſanata eſt. Poſt quindecim menſes, dum ebria eſt, ſanguis ſubito proſilit e vena ſaphaena ex foramine ad mediam partem internam cruris, calami ſcriptorii ambitu, ſine vlla contuſione, diſruptione vel vulneris indicio, isque tanto cum impetu promanabat, vt ex ſyncope in mortem incideret.

p. 426. 4) *Obſeruatio de variis effectibus chinae chinae contra gangraenam*, a Cl. COULONVAUX. Vir quadraginta et duorum annorum, vera pleuritide complicata laborans, refrigerio ſuppreſſit puſtulas cutis, vt tonſillarum tumore deglutitio impediretur et peſſima ſymptomata accederent. Adhibuit decoctum chinae chinae cum optimo ſucceſſu, et aeger vigeſimo die morbi per aluum eiecit membranum dimidii pedis longitudine, quae oeſophagi pars eſſe videbatur. Alius ſexagenarius, doloribus rheumaticis, ſingultu et vomitu, vexatus, vſu tamen corticis peruuiani breui tempore eſt reſtitutus.

p. 432. 5) *Obſeruatio de eadem re*, a Cl. DUPAS. Medio crure foeminae oblique fracto, tertio die acceſſit gangraena, quae ſimul femur et gluteos occupabat, repoſuit crus, obtexit membrum linteis ſpiritu vini camphorato imbutis, deditque ſimul decoctum chinae chinae ad quatuor vncias intra viginti quatuor horas, quod cicatricem reliquorum vulnerum effecit, poſtea fractura vti ſimplex tractata breui tempore plane curata eſt.

p. 435. 6) *Obſeruatio eiusdem generis*, a Cl. SALOMON. Orto ſphacelo e fractura cruris cum vulnere, amputauit crus, et cortex peruuianus in opiato cum theriaca et extracto gentianae aegram reſtituit. Alius vlceribus crurum obnoxius, forte aqua vitriolica tractatus,

febrem

ſebrem et cruris femoriſque gangraenam ſibi contraxit, quam vſus chinae chinae ſedauit, ſymptomata deminuit, et aegrum intra quinquaginta dies ſanitati reddidit.

7) *Obſeruatio de bono effectu chinae chinae in ſuppuratione veſicae*, a Cl. LONGIS. Auriga, plauſtro obrutus, peſſimis ſymptomatibus angebatur, inprimis violenta retentione vrinae et alui conſtipatione. Reliquis fruſtra tentatis, ſpecilli ope vrina educta eſt, tandem gangraena genitalium ipſa acceſſit, ichoroſa materia ſimul e veſica effluente, omnia tamen correxit cortex peruuianus, et tuberculum calloſum vrethrae cerei emollientes ex voto diſſiparunt. Nec minus efficax fuit cortex peruuianus in podagra anomala, quod duobus exemplis hic confirmatur. p.438.

8) *Obſeruatio de dyſuria, ex abſceſſu veſicae orta*, a Cl. DENIS. Sexagenarius ſine febre in dyſuriam incidit, et tandem cum vrina ſpecilli ope euacuata exiit pus, quod Cl. Auctor per ſyringam e veſica extraxit, et eius abſceſſum iniectionibus purgauit. Decimo ſexto die vrina foetida, nigra, ſpecillum arrodens, emiſſa eſt; attamen corticis peruuiani vſus tandem aegrum plane reſtituit. Vnde patet 1) inflammationem veſicae interdum ſine febre accedere; 2) materiam malignam ſyringae ope ad ſpecillum applicatae e veſica duci poſſe; 3) ſpecillum ſyringae accommodari poſſe per cochleam foeminam in ſpecilli infundibulo factam, et cochleam marem ad extremitatem ſyringae poſitam; 4) fortaſſe ſyringa diſſolutionem calculi tentari poſſe. p.442.

Menſe iunio

2) *Obſeruatio de bono effectu narcoticorum in violenta epilepſia, cum maniae et hydrophobiae periculo coniuncta*, a Cl. BRIEU. Militi, epilepſia vehementiſſima affecto, vinum emeticum dedit, quo copioſa p.512.

 bilis

bilis euacuabatur, deinde, cum ex aegri abſtinentia nimia hydrophobiam metueret, emulſionem cum laudano liquido per octo dies adhibuit, et aeger ſanitatem recuperauit. Alii, per duos dies omnia alimenta reſpuenti, dedit lac vaccinum, cuius vſu ſenſim aliorum ciborum appetitus reuocatus eſt. Putat igitur, analogiam eſſe epilepſiae bilioſae et hydrophobiae ſpontaneae, cum vtraque pendeat a bile nimis copioſa et acri, quae vehementiſſimis euacuantibus ſubducenda ſit, et relictae partis vis refrigerantibus et narcoticis frangatur.

p. 516. 3) *Obſeruatio de paralyſi veſicae, quam iniectiones aquarum Amelouenſium in Languedocia curarunt*, a Cl. MAZARS DE CAZELES. Septuagenarius a potu ſpirituoſorum ſtatim retentionem vrinae ſenſit per tres dies, et pluribus fruſtra tentatis vrina ſpecilli ope educta eſt; acceſſit poſtea paralyſis veſicae, quam iniectis aquis puris Amelouenſibus ſenſim vicit.

p. 528. 4) *Commentarius de cataracta congenita*, Auctore Cl. DAVIEL. Huius frequentis mali operatio viginti ſemel ſuſcepta eſt ab Auctore, qui ſemper inuenit lentem mollem, membranis ſpiſſis circumdatam, quae tamen facile rumpuntur. Signa, quibus cataracta congenita diſtinguitur ab alio genere, haec ſunt; eiuſmodi oculi perpetuo rotantur, nec ipſum obiectum, nec colorem diſcernere poſſunt, ſed vmbram aliquam rei, quam tactu explorant; oculi ſaepe ſua ſponte clauduntur. Eiuſmodi cataractae, quae vt plurimum anteriori parti iridis et pupillae, ſaepe non perfectae, adhaerent, ſemper albae ſunt, et inaequali ſuperficie anteriori. Prognoſis melior eſt, quam in alia cataracta, cum, ob mollitiem maiorem, pupillae et iridi in tranſitu minus noceat. Motus perpetuus oculi poſt cataractae depreſſionem vel extractionem magis naturalis redditur.

ditur. Adſpectu colorum viuidorum hi aegri hilares fiunt, triſtes per obſcuros, obiecta rotunda confundunt cum quadratis, quae tactu diſcernere coacti ſunt. Organon tactus igitur certum eſt, viſus vero incertum, quod quatuor obſeruationibus hic oſtenditur. In puero enim ſeptenni duas cataractas congenitas, quae in quatuor ſe diuidebant partes, depreſſit, quamquam in primo conamine a ſanguine impediebatur, qui ex vtraque iride, ob motum perpetuum ab acu laeſa, emanabat, et puer, niſi tactu adiutus, nulla obiecta cognouit, et ſemper, ſi manu quid prehenſit, hanc dimidio pede altius tenuit. Nunquam igitur diſtantias recte cognoſcunt. Alius deinde, octodecim annorum, a pueritia coeci, cataractam vnius oculi, quae ſimili modo in quatuor partes molles ſe diuidebat, depreſſit, et alterius oculi cataracta minus reſtitit, cum tantum humorem lacteum conſtitueret, qui ad fundum camerae poſterioris praecipitabatur. Hic iuuenis ſimili difficultate, nec niſi tactu adiutus, obiecta diſcernere potuit.

5) *Obſeruatio de ſcroto a gangraena plane deſtructo, et regenerato*, a Cl. LERAULT. Corticis peruuiani vſus ſeparationem produxit, ſenſimque appendices ſcroti relictae prolongatae ſunt, et nouum ſcrotum, ſutura et pilis inſtructum, intra duos menſes oriebatur. p. 545.

6) *Obſeruatio de duobus condylomatibus venereis palmae manus magnitudine*, a Cl. MAURAN. In foemina, variis morbis venereis affecta, malum ſubito et ſua ſponte ceſſauit; poſt ſex menſes ſenſim et intra menſis ſpatium maſſa carnoſa et doloroſa, palmae magnitudine, in vtroque ani latere creuit. Exſtirpauit itaque Cl. Auctor ſcalpello vtramque maſſam circulari inciſione ſimul cum radicibus, ſphincterem inteſtini recti, quantum fieri potuit, conſeruauit, p. 549.

et fungo vulgari (*amadou*) haemorrhagiam ſedauit, tandem frictionibus mercurialibus vulneris cicatricem effecit. Pondus condylomatis primi erat nouem vnciarum, alterius vndecim.

p. 552. 7) *Obſeruatio de effectu proſpero aceti contra cupri vires triſtes*, a Cl. FABAS. Ab eſu ouorum, cum acetoſa et butyro in vaſe cupreo praeparatorum, quatuor homines vomitu continuo, ſpaſmis extremitatum, motibus conuulſiuis et ventris doloribus angebantur, ſumſerunt acetum, ſenſerunt efferueſcentiam in ventriculo, vomuerunt et ſymptomata ſedabantur. Deinde exhibuit Cl. Auctor oleum et clyſmata emollientia. Periit ancilla, quae acetum repudiarat.

p. 554. 8) *Epiſtola* ad Cl. POUTEAU a Cl. LE CAT, quae docet, inoculationem non magis praecauere recidiuam, quam variolas ſpontaneas. Anno 1732 Pariſiis Canonicus cum quatuor fratribus inoculatus eſt; ipſe non inde variolis affectus eſt, eo magis autem fratres, quorum minimus tum quadriennis anno 1761 variolis naturalibus mortuus eſt.

XI.

Elementa Phyſiologiae corporis humani, Auctore ALBERTO V. HALLER etc. Tomus ſextus. Deglutitio. Ventriculus. Omenta. Lien. Pancreas. Hepar. Bernae, ſumptibus ſocietatis typographicae. 1764. 4. Alph. 3. Pl. 13. Tabb. aen. 3.

Egregium hoc nec vnquam ſatis laudandum opus menſe februario anni 1764 abſolutum et ad prelum paratum eſſe, ex praefatione huic tomo praemiſſa laeti vidimus. Varia ſunt, quae ſui cauſſa in hoc praefa-

praefamine enarrat Ill. Auctor, inprimis autem, vt Noſter, vtpote Auctor, qui ſua cum alienis comparauit, a collectore, cui nihil proprium eſt, ſepararetur, enumerationem eorum, quae aut nouiter ab ipſo viſa et in anatomen vel phyſiologiam introducta ſunt, aut poſt breuiora priorum ſcriptorum indicia minutius elaborata, aut poſt dubias et labantes opiniones per experimenta conſtituta ſunt, ſtatim appoſuit et huic tomo praemiſit. Conſtat ſextus hic tomus ex libris ſex: primus eorum, ordine decimus octauus, cibi iter in ventriculum, decimus nonus ventriculum, vigeſimus velamenta abdominis, vigeſimus primus lienem, vigeſimus ſecundus pancreas et vigeſimus tertius hepar et bilem conſiderat.

A manducatione incipit Noſter, atque vt ſubactio cibi in ore clare pateſcat, maxillae ſuperioris et inferioris huiusque articulationis hiſtoria traditur, dein ligamenta eius articulationis et motus maxillae inferioris huiusque motus inſtrumenta, muſculi nimirum, conſiderantur. Sequitur dentium contemplatio: hos vniuerſis fere animalibus, non ſolum quadrupedibus et piſcibus, ſed auibus etiam, quarum roſtrum dentium locum tenet, et inſectis natura dedit, et ſic dentium imperium latius quam cordis eſſe, Noſter autumat. Dentibus conſideratis muſculi deſcribuntur, qui buccas gubernant; tandem ipſa manducatio exponitur, quae muſculorum et dentium ope perficitur. Hanc commolitionem maximi ad ſubigendos cibos momenti eſſe, et magno cum damno in digeſtione manducationem intermitti, contra ſola manducatione diuturnas cardialgias ſuperatas fuiſſe, et ex parciore cibi copia, eo diligentius verum manducato, poſſe ſatis virium alentium extrahi, Ill. Auctor notat. Sed non ſolius commolitionis haec laus eſt; magna enim pars ad ſaliuam, cum exhalante humore et aliquo p. 1.

muco

muco miſtam pertinet, cum qua cibus ſubigitur. Praecipuus ſaliuae fons eſt parotis; dant quoque eam glandula maxillaris et ſublingualis aliaeque minores, buccales et labiales, quae per ſuos ductus excretorios humorem in os effundunt. Glanduloſo hoc humore ſubtilior eſt alter vaſculoſus, qui ex vniuerſo ore vaporis ad modum exhalat, ex lingua, buccis, gingiuis, labiis, palato, vel in aquulam cogitur. Hic in febribus deficere videtur, quando os cum ingratiſſimo ſenſu ſqualet, neque in hoc caſu ſaliuales glandulae in officio ceſſare videntur. Mucus etiam linguae, ex folliculis ſimplicibus abunde natus, cum ſaliua ſe miſcet, et ſic ex diuerſis his humoribus, potiſſimum ex glanduloſo humore tum ex vapore exhalante componitur ſaliua, quae ab ore ſani hominis nunquam abeſt, quam aut deglutire aut exſpuere cogimur. Saliua humor aquoſus eſt, aliquanto tamen viſcidus, inſipidus, nullo acore praeditus; occultum quidem parcumque acorem in eo, vt in ſanguine, eſſe, eum tamen nec dominari nec ex eo ſaliuae vtilitatem pendere, Auctor perhibet. Neque etiam lixiuioſa eſt ſaliua, eademque deſtillata aquam inſipidam copioſam, exiguum momentum, ſpiritus, lixiuioſae indolis, oleique empyreumatici, tum ſalem fixum, partim de lixiuioſa natura partim teſſellatum, denique terram exhibet, quae calcarea alia, alia lamellata eſt, eique ſimilis, quae ſelenitica dicitur. A terreo hoc elemento tartaream cruſtam in dentibus et calculos in ductu Whartoniano naſci, Ill. Auctor putat.

Cauſſa motus in hoc humore eadem eſt, quae in omnibus corporis humani humoribus, quos vis perpetuo ſuccedentis de corde in minima vaſa ſanguinis ad deſtinatos fines vrget, excitatur tamen quoque tum a preſſione mechanica ope muſculorum, quibus ad manducandum vtimur, tum etiam a

cupi-

cupidine, atque ſaliuam ad odorem, ad conſpectum, denique ad viuidam ideam grati ferculi proiici, hancque cauſſam ad occultam illam glandularum omnium irritabilitatem, quam in experimentis non poſſimus imitari, pertinere, Noſter aſſerit. Copia ſaliuae accurate definiri non poteſt, cum ab infinitis cauſſis ea copia aut augeatur aut minuatur. Sic ab aliis ſecretionibus repercuſſis augetur, minuitur contra ab aucta quacunque alia ſecretione; hoc tamen dicendum eſt, magnum eſſe ſaliuae profluuium. Vtilitas ſaliuae duplex eſt; partim ea in ventriculum venit, partim cum cibo morſo et manducato in ore ſubigitur, et cibum iam pene diſſolutum ventriculo tradit; ideoque ſumma eius aeſtimatur neceſſitas: partem tamen huius humoris in ore reſorberi et in venas reſumi, vis refocillans a pane cum vino manducato, inebriatio a vino in ore contento aliaque probant.

Cibus in ore praeparatus potusque ibidem receptus multa et compoſita vi muſculorum, operoſe hic deſcriptorum, in pharyngem pellitur, ab ea recipitur, et in gulam deſcendit nec ſimplici ponderis potentia ſed muſculorum ope ad ventriculum ducitur. Canalis hic cibarius in omnibus animalibus reperitur, et eſt primarius character, quo a vegetabilibus diſtinguuntur. In aliis ſimplex, multiplex in aliis eſt, homini tamen vnicus ſedem tenet perpetuam; figura non facilis eſt dictu, in vuiuerſum tamen conica, cuius omnes ſectiones circuli ſint. Eadem in vniuerſum ventriculi, quae gulae, inteſtinorum et veſicae vrinariae fabrica eſt; membranae verae quatuor, extima; muſculoſa; neruea; villoſa; celluloſae telae tres, quae earum tunicarum interualla replent. Prima et extima ventriculi tunica maximam eiuſdem partem contegens a peritonaeo eſt, ſequitur tela celluloſa prima, in qua praeci-

p. 63.

praecipui rami neruorum octaui paris et rete truncorum vaſorum reperitur. In conſpectum tunc veniunt fibrae muſculoſae, difficulter a membrana externa expediendae, quae in homine aeque ac animalibus quadrupedibus fere eaedem ſunt, in equo valde ſimiles, plerumque robuſtiores, in nonnullis tamen animalibus debiles, in ruminantibus validae. Sequitur tela celluloſa ſecunda, priore multo laxior; in hac pleraque vaſa ventriculi ſparguntur et numeroſiſſima, atque in eandem et in intimam exhalat vapor, qui in morbis frequenter cum celluloſis laminis conferuet et in viſcidam primo, deinde duram, calloſam et cartilagineam abit. Sub hac reperitur neruea tunica, quae vera ventriculi et inteſtinorum baſis eſt, ſub hac vero eſt tela celluloſa tertia, quae potiſſimum ſedes eſt praecipua inflammationis. Vltima tunica villoſa epidermidi manifeſto continua eſt, quae et decedit et reparatur, quaeque vt cutem vulgaris epidermis, ita nerueam oblinit et defendit. Haec tunica amplior eſt eis membranis, quibus extus circumpoſitis interior coercetur, et haec amplitudo inſumitur in plicas et iuga eminentia, quae in cauum ventriculi eminent. Dictae rugae in ventriculo ſuper modum diſtento euaneſcunt, et in his multo minores aliae vermiculares rugae, reticulatae quaſi adparent, denique villi in cauum ventriculi producti cernuntur, quorum natura ea eſt, vt per eos et arteriae et venae in caueam ventriculi patulis oſtiolis aperiantur. Papillae in homine certa fide nondum innotuerunt. Glandulas Noſter ſemel tantum aut bis vidit, de cryptarum genere, ſimplices, rotundas, lenticulares, membranaceas, cauas, breui ductu per villoſam productas; quas, licet ſemper oſtendi nequeant, reiici tamen non poſſe, autumat. Succus ventriculi, licet interdum acidus vel putridus vel amarus reperiatur, ex muco tamen

et

et aqua componi et ad naturam alcalinam vergere videtur. Hunc ſuccum generant arteriae, quarum plurimae in ventriculo ex coeliaca arteria naſcuntur. Venarum trunci in vniuerſum arterioſorum ſocii ſunt. Nerui numeroſi, a pari vago potiſſimum nati; hinc acris ventriculi interni ſenſus eſt, vehementior potius quam inteſtinorum; acrius etiam quam cutis nuda aut lingua ventriculus ſentit, ita, vt ab acribus, aut potu frigido aut cibo, ventriculum inflante, aut a potu poſt magnam ſitim largiori ſubitae mortes ſequantur. Si autem ad arſenicum aliaue venena ferenda longa conſuetudo hominem aptum reddidit, villoſam tunicam ab acribus criſpatam et inſenſilem redditam eſſe, Noſter arbitratur. Lymphatica vaſa in arcu minori Ill. Auctor vidit quam maxima, alba autem in ventriculo vaſa nuperorum anatomicorum induſtriam non reperiſſe, monet. Inorganicos demum, vt in aliis corporibus, ita in neruea ventriculi et in peritonaeo poros eſſe, quos aqua penetrare poſſit, per eos autem num in viuo animali humor vere penetret, dubitari poſſe, Noſter cenſet.

In ventriculo ſedes famis eſt et ſitis. Prima cibum p. 164. ſumendi neceſſitas eſt, vt materies humorum humanorum et partium firmarum hincque vires reſtituantur. Celerior eſt altera neceſſitas, ne ſcilicet ſanguis et omnes humores humani, ex ſua indole ad ſalis vrinoſi naturam procliues, ſibi relicti putreſcant, acres fiant et ad vitam alendam minus idonei. Pereunt enim cibo deſtituti homines et animalia; quaedam citius, quaedam ſerius, ita ſaepe, vt per longum tempus abſque cibo vixiſſe dicantur, antequam mortem ſubierint. Cum praeterea per omnia organa excretoria continuo decedat aqueus humor, peculiaris aquae neceſſitas ſitim ſeu bibendi appetitum fecit, ne ſanguis, aqua ſua priuatus, denſetur ſibique relictus coga-

cogatur. Sunt quidem animalia, quae non bibunt, primo carniuora, quae raptu viuunt; aliqua deinde ob peculiares aliquas cauſſas diu abſtinent potu, vt cameli et dromedarii, iique propter aquae penum, quam in ventriculi profundis cellulis circumferunt. Natura ſitis in ſiccitate eſt, quam humor natiuus in lingua, ore, palato, faucibus, oeſophago, ventriculo non contemperat, neque remittit ſenſus ingratiſſimus, niſi aquae in ſanguine reparetur abundantia, et pereunt animalia a ſiti per putredinem humorum et febrem acutiſſimam. Licet autem aqua ſimplex ſanginem diluat, fibras humectet et acrimoniam omnem ſubigat, ad reparandam tamen lympham ſanguinis coagulabilem fibrasque ſtruendas non ſufficit; hinc fames, alter vitae cuſtos, addita eſt, quae eſculenta imperet, in quibus farina, oleum, gelatina maiori copia contineantur, poſſintque noua elementa et fluidis partibus ſufficere et ſolidis. Famem vrgent et excitant robur corporis, vermes, acida, neruorum ſenſibilitas maior, denique ignota conditio, quae facit, vt homines aliqui ſuper reliquorum mores in fame, in copia ciborum, in ſuperandis demum abſurdis et difficillimis cibis excelluerint. Videtur autem proxima famis cauſſa tritus eſſe, quando ventriculi neruoſa iuga tenui villoſa cruſta obducta et in ventriculum pendula, ſuper ſe inuicem confricantur; ſuccum gaſtricum autem, quoties per moram factus ſit acrior, appetitum potius delere quam excitare, Noſter autumat. Auferunt famem cibus et omnia, quae ventriculum diſtendunt et naſcituram in neruis famis ſenſationem impediunt vel natam intercipiunt. Tollit demum famem putredinoſum omne, ſiue in cibo fuerit ingeſtum ſiue intus ab vlcere aliquo, aut ab hepate corrupto inſpiratum.

Ad

Ad cibum potumque tranſit Ill. Auctor, fidisque p. 188.
iſtis naturae ducibus, fami nempe et ſiti, auſcultandum eſſe, monet, atque adeo fidelem eſſe horum deſideriorum vocem dicit, vt etiam ſpeciem cibi potusque omnino aptiſſime diſtinguant. Homo a Noſtro omniuorus nuncupatur, eiusque inter carniuora animalia et herbiuora mediam eſſe fabricam, et de vtraque habere dicit, vt tamen aliquanto proprius ad herbiuora accedat. Differre dicuntur hae claſſes ventriculo, dentibus, inteſtinis et potiſſimum coeco inteſtino. In aliis interim animalibus, certe plerisque, aliqua in victu variando libertas eſt. Sic inter manifeſta herbiuora, vaccae, oues, equi diſcunt piſcibus viuere. Contra canis et felis, carniuora, diſcunt pane vti aliisque vegetabilibus. Sed haec minus abſona videri debere, Noſter monet, cum non adeo magnum inter ſuccos animales et vegetabiles diſcrimen ſit. Eſt quidem in plantis aliquanto pronior ad acidum natura, ad vrinoſum in animalibus; omnibus tamen comparatis, ſtatuit Noſter, proprie ſolam gelatinam nutrire, atque gelatinam non in ſola animalium lympha, ſed in farina pariter vegetabilium habitare, duplicemque in farina reperiri materiem, alteram amylaceam, alteram glutinoſam; illam vegetabilis naturae tenaciorem acidum elementum continere et cum aqua vinoſam naturam induere, hanc autem glutinoſam ad animalem indolem accedere et ad cadaueris modum putreſcere. Cibus vegetabilis, vt hiſtoria tradit, primus fuiſſe videtur, et quidem ab arboribus repetitus; dein radices in vſum receperunt homines; aliquanto vltra prouecti in artibus farinoſis ſeminibus, tum lacte et ex hoc parato caſeo et butyro vſi ſunt; et oſtendunt primaeuae hiſtoriae, diu et per aliquot ſecula vegetabili cibo ſolo et lacte homines contentos fuiſſe. Fuit enim ſatis

virium alibilium in vegetabilibus, vt homo vitam ſuſtentaret. Licet autem ſalubris vtique ſit victus excarnis, viribus tamen maioribus eget et longiori vitae labore, vt aceſcens farina in glutinis alcaleſcentis naturam tranſeat; atque haec cauſſa eſt, quare vegetabiles cibi minus nutriant minusque dent roboris. Cum enim inter plantas ſuccosque humanos minor quam inter eoſdem ſuccos et animalia ſimilitudo ſit, et plantae pleraeque aceſcant, et tamen acidum hanc naturam vincere oporteat, ad carnes ventum eſt. Inter animalia piſces primi in cibum recepti eſſe videntur. Piſcium enim naturam inter vegetabilia et animalia ambigere, eorumque gelatinam, cum aquoſa ſit et tenuior, minus ſanguinis rubri facere minusque roboris dare, quam carnes, Noſter autumat. Quo tempore carnium vſus inter homines inualuerit, incertum eſt; poſſit tamen credi, a diluuio primordia eius mutationis eſſe repetenda, cum arbores fructiferae nondum ita conualuiſſent, vt cibi eſſet ſatis. Praecipua vtilium carnium penus eſt ex animalibus herbiuoris, quorum lac mite, vrinaeque et faecum modicus foetor, caro ipſa neque praedura eſt neque foetida, et multum habet gelatinae, potiſſimum iunior; carniuora autem quadrupeda parcius in menſas hominum recipiuntur. Atque nullum dubium eſt, in carne alimenti eſſe plurimum, quae ſuccos contineat, noſtrorum ſimillimos. Gelatina enim in vituli fibris nihil fere differt a lympha ſanguinis humani; parum ab adipe adeps; lac a lacte pene nihil. Vt igitur in humanos humores animalium ſucci tranſeant, pene ſola extractione opus eſt, deinde transfuſione; et firmior eſt gelatina et denſior, quae ex quadrupedum carne cogitur, minusque aquoſa ſunt ea omnia, quae ex animalibus prodeunt; hinc robur maius eſt ab eo alimento. Robur enim pendet ab eo repa-

rato

rato, quod eſt amiſſum, et a copia rubrorum globulorum, et a tenacitate glutinis fibrarum. Praeterea dudum eſt adnotatum, eas gentes robuſtiſſimas eſſe, quae carnibus et iis crudis viuunt, vt Tartaros, Braſilianos etc. ſed ſua etiam habet incommoda victus carneus. Quoties enim ſal abundat, acris iam et fluida fit gelatina et naturam adhaerentem amittit. Hinc intelligitur, merum victum animalem non praeſtare eiuſmodi alimentum, quale ad nutritionem optimum ſit. Nimiam enim habet ſalis vrinoſi portionem; hinc foetidi fiunt humores et naſcitur putredo. Cum itaque ſola vegetabilia debilitent et ſola animalia putrefaciant, vtrumque victum oportet commiſcere, vt vires a carnibus ſuppeditentur, et putredo per vegetabilem victum auertatur, ita tamen, vt aliquantum praeponderet vegetabilis, ſub coenam etiam magis, quia nocte minus recte digeritur, atque adeo maior putredinis metus eſt. Ex minerali regno nihil ſibi ſumit homo praeter aquam, ſi eo placet referre, et ſalem. Licet autem ferrum certo in ſanguinem veniat, et ad rubros globulos conſtituendos conferat, nulla tamen in hoc metallo ſaporis gratia eſt, quae faciat, vt admittatur; nulla in dentibus vis; qua ſubigatur; nihil etiam glutinoſi, quod adhaereſcat: vt omnino in partibus firmis vix vllum reperiatur; ſed id ferrum miſtum aquis, miſtum plantarum ſuccis et ſolutum in ſanguinem venit. Sale communi tanquam praecipuo condimento vtuntur homines, quo et carnes ſuas a putredine ſeruant, et recentes etiam, alioquin fatuas, cum valetudinis compendio reddunt ſapidiores. Cum autem ab acore ſolo, quo terra ſalis marini impraegnatur, vis ſit et ad condendum efficacia, ſal acore iſto per ignem orbatus non probatur, hinc ſal marinus, acore quippe non priuatus, optimus cenſetur. Cum ab

acore vis condimenti exſpectetur, acida puriora ea laude valent; hinc dudum acetum, tanquam puriorem ſuecum, acidum et guſtu gratiorem adhibuerunt. Idque omnino ſalubre et condimenti genus eſt et denique potus. Sacchari in condiendo vires inſignes ſunt; carnes enim conſeruat fortius et tutius quam ſal marinus; cum vero carnium ſaporem in fatuum mutet, eo fine non adhibetur. Mel fere ad ea valet, ad quae ſaccharum. Butyrum ſolo ſcopo putredinis auertendae carnibus circumfuſum vtique inſeruire poteſt, ſed eius vis eſt in aere arcendo et inſectis auertendis; atque cum facile ranceſcat, ſaporem corrumpit. Acidus fumus ligni carnes conſeruat, redditque ſaporem non ingratum, tantum vt duriores fiant, et in ventriculo facile haereant.

p, 225. In potu maior eſt quam in cibo ſimplicitas; ſimplicior aqua pluuia eſt, ex qua fontanas, fluuiatiles, lacuſtres et marinas aquas oriri, Noſter credit. Aqua itaque pluuia et ros primigeniae dicuntur aquae, ſunt etiam leuiſſimae, impurae tamen, cum in vtrisque exhalantes de plantis et de animalibus contineantur humores. Nulla autem aqua ad vſus humanos aptior deprehenditur, niſi ea, quae de pluuia per terram arenoſam, quarzoſam, in aqua certe non ſolubilem, purasque rupes tanquam per colum deſtillans, profluit cryſtallina, leuiſſima, etſi aliquanto tamen, quam pluuia, grauior, a pluuia non mutabilis, non putreſcens facile, ſitim facillime ſedans, et ſpiritu quaſi aliquo linguae placitura. Fluuiatiles aquae ſcaturiginibus deteriores et admodum putreſcibiles ſunt. Putealis aqua magnam terrae et elementi peregrini copiam continet, et ſemper omnium deterrima viſa eſt, inprimis in regionibus planioribus. Continentur in omni aqua ignis et aer, interdum fixus, interdum elaſticus; proximum elemen-

elementum aquae immiſtum terra eſt, varii generis, interdum calcarea, interdum argillacea, in aliis ſpatacea. Inſunt etiam ſales, varii generis, maxime marinus, qui a paucis abeſt, dein nitrum, tum nitrum calcareum, ſali Glauberiano analogum, porro lixiuioſi ſales, etiam volatiles, demum acidum et vitriolum et cuprum et bituminoſi quid, ſulphur, ferrum et alia. Aqua omnibus plantis et animalibus terreſtribus a natura pro potu deſtinata eſt, et cruda quidem et frigens; abſurdum itaque eſt, bonam aquam coctione reddere deteriorem. Videntur enim leuiſſimae et penetrabiles maxime atque linguae placiturae partes continuo auolare, quando ignem ſenſerunt. A decoctione aquae, ob puritatem ſuſcepta, calidus potus ortum traxiſſe videtur. Sed periculoſae ſunt deliciae: debilitant enim et vires ventriculi et appetitum frangunt. Vinum vel ex voluptate vel ex neceſſitate introductum eſt; homines enim potum aliquem quaeſiuerunt, qui ſpiritus excitaret, alacritatem redderet, inebriaret et breue laetumque delirium produceret. Eſt autem omni vino commune, calefacere, vires ingenii et corporis augere, incitare pulſum, deinde adfectus animi praecipitare, inebriare, ſopire, fibramque animalem modico vſu confirmare, maiori hebetare et debilitare; omne autem vinum medicamentum eſt, non potus. Cum homines per nouum orbem ſe diffunderent, in regiones delati, viti generandae parum idoneas, aliquid quaeſiuerunt, quod deſiderium eius humoris leniret; inde cereuiſiam inuenerunt, quae id commodum habet, quod diminuta ſola copia hordei et aquae momento aucto debiliſſima fieri poſſit. Quae ex lupulo amarorem concepit, creditur calculo et podagrae reſiſtere, et ſi meraca fuerit, habetur pro cibo pene potuque vehementer et conſtantius analeptico, quam quidem vinum. Accuſant

 aeris

aeris in viſcore incluſi copiam; et bona etiam cereuiſia artificioſis potius quam naturalibus potus generibus accenſeri debet. Acetum, et ex vino et ex cereuiſia iterata fermentatione ortum, ſanguinem refrigerat, non cogit, ſed nigro triſtique colore foedaturum. Putredini aduerſatur, et cardiaci quid habet atque ſtimulantis; meracus tamen aceti acor a ventriculo male fertur. Spiritus vini, ſiue medicamentum ſiue venenum, num inter potus ſpecies referri poſſit, dubia res eſt; ille vero eſt meracior pars vini, ex omni materia, quae vinum dat, paranda; aqua eſt, occulto acore et plurimo phlogiſto ebria; minori doſi quam vinum temulentiam facit et vehementiorem et facilius funeſtam; vehementiſſime calefacit et ſanguinem in cerebrum congregat, breuem alacritatem excitat, quam ſopor et miſerrimus corporis animique ſtatus ſequitur. Fibras animales ad contractionem incitat, calloſas reddit atque fragiles, et ad omnem porro ſtimulum ſurdas; vaſa omnia anguſtat, humores omnes praeter aqueos cogit, genus neruoſum male afficit et plura alia mala producit, nec vnquam ciborum coctionem adiuuat. Cibi et potus iuſtam menſuram ad integritatem vitae et ad cibi ſalubrem coctionem magis facere, quam ipſum electum, etiam deteriores cibos facile ſubigi, dum exigua eorum copia ſit, Noſter autumat. Licet autem magis in cibo quam in potu, quoad copiam errores committantur, nimius tamen potus, etiam ſaluberrimus, nocet: ventriculum enim diſtendit et relaxat, appetitum deſtruit, et dum aliquando ſubito in celluloſas telas tranſit, cachexias et hydropes efficit. Tempora denique cibi partiri praeſtat, neque vnico prandio vitam ſuſtentare, ita nimirum, vt ad quemcunque paſtum exigua ſit ventriculi diſtentio, vires conſtringentes fortiores, et maior humorum humanorum

copia.

copia. Largius autem prandium, coenam parcam et excarnem eſſe conuenit, cum per ſomnum inteſtinorum et ventriculi motus periſtalticus minor ſit, ad excernenda excrementa ſtimulus deficiat, et tardius appetitus redeat, viresque adeo coquentes labaſcant.

His de ventriculo, cibo potuque praemiſſis, p.258. cauſſas nunc, quae ad mutandum cibum et potum in viuo homine conſentiunt, deinde mutationes, quae in cibo, in ventriculum recepto, accidunt, tandem quid ad eum effectum producendum, et quaenam harum cauſſarum conferat, Noſter enarrat. Inter cauſſas diaphragmatis vim ac muſculorum abdominis enumerat, qua ventriculus vrgetur quam vehementiſſime, et pleni ſtomachi arcus anterior ad poſteriorem adigitur, vt neceſſe ſit, ſi aliquod oſtium apertum fuerit, inaniri ventriculum. Vis contractilis ventriculi in medio ventriculo euidentiſſima apparet, cuius ope integre euacuatur et perſaepe inanis reperitur; eiusque contractio cum laxatione alterna eſt, ita, vt modo hic modo alibi conſtringatur, deinde laxetur, quae alternae vires ſaepe repetuntur. Vocatur hic motus ventriculi periſtalticus, cuius directio deorſum ſiue ad duodenum eſt, ita tamen, vt reciprocatio aliqua locum habeat, quamdiu aliqua in oſtio pylori eſt difficultas, quae cibum per pylorum prohibeat exire. Tempus, quo ventriculus euacuatur, non facile definiri poteſt. Paucum fluidumque cibum celeriter per duodenum inaniri adparet: lente, ſi figurae ſuae tenax, ſi coctioni ineptus, ſi acris fuerit, vt pylorum irritet ſibique oſtium praecludat. Contraria directio a pyloro orſa, atque verſus oeſophagum retrograda, motus antiperiſtalticus vocatur, qui in ructu, qui meri eſt aeris, vapore cibi inquinati, aut in regurgitatione aquae gaſtricae, aut cibi

 non-

nonnunquam acidi vel rancidi; in ruminatione porro, quae cibi eſt iterata manducatio, et denique in vomitu, in quo ventriculus contenta ſua omnia per gulam et os expellit, obſeruatur. Cauſſae vomitus, qui totus morboſus eſt, variae ſunt; ſimpliciſſima in ventriculo nimis pleno atque irritato eſt, ex quo vel ructus, ſi flatu plenus fuerit, vel cibus expellitur. Proxima cauſſa pene eadem eſt ventriculi in pyloro clauſi, alia a nimia irritatione, ſiue ſtimulus in ipſo ventriculo haereat, ſiue mechanicus ſit, vt a trahente hernia, ſiue demum alius ſubtilior eſſe ſoleat, vt irritatio ſympathica a vulnere cerebri eſt. Licet vero vomitus cauſſa euidentiſſime in ventriculo ſit, plerumque tamen irritatio ibidem nata et ſenſus ſummae anxietatis, quae vomitum praecedunt, faciunt, vt ad leuandam aegrimoniam vires diaphragmatis et muſculorum abdominis excitatae, atque moleſtiam de homine amoliturae, vomitum perficiant. Hinc recte, vtrasque vires ventriculi et organorum reſpirationis ad vomitum neceſſarias eſſe, Cll. Viri exiſtimarunt. Ruminatio eſt in animalibus cornigeris, quibus quatuor ſunt ventriculi. Cauſſa eius in altero ventriculo eſt, a quo peranguſtum iter ad tertium ducitur, et eminentia quadam alterius ventriculi obſtruitur. Hinc fluida quidem pars tranſit, ſiccus vero cibus, ob exitum difficilem fortemque vim primi ventriculi, inſigniter muſculoſi, atque ſecundi ſimiles vires, per oeſophagum expellitur et in os redit, quaſi naturali vomitu. In os iterum eructatus, altera, tertia et pluribus vicibus manducatur, deglutitur, vſque dum humore multo maceratus totus mollis ſit, atque per anguſtum iter in tertium ventriculum tranſire poſſit. Praeter cornigera alia etiam animalia, vt lepus etc. ruminant; id autem in his fieri ſolet, quoniam plures iis ſunt ventriculi cellulae, fretis diſtinctae, a quibus cibus, dum

dum durior eſt, repellitur. *Qui homines*, inquit Noſter, *ruminaſſe dicuntur, iis oeſophagus* (*et puto ventriculus*) *muſculi modo carnoſus dicitur fuiſſe.* Aliae cauſſae coctionis ciborum ſunt calor vicinorum viſcerum, aer per os inter deglutiendum receptus, vapor de ventriculo exhalans et viciſſim in ventriculum receptus, ſaliua deglutita et ſuccus gaſtricus. Inter omnia animalia minimam copiam ſucci in ventriculo habent ea, quae carnibus aluntur, ruminantibus plus ſaliuae eſt, plus gaſtricarum glandularum. Piſcibus, quibus vix vllus oeſophagus et tenuis membranaceus eſt ventriculus, proprium organon natura dedit, quod ad alimentum in ventriculum vberrimum ſuccum adfundit. Appendices ſunt coecae, inteſtinula nempe cylindrica, clauſo fine, fabrica faſciculoſa, plenae albo, ſalſo etiam ſatis vehementer ſucco et mucoſo, quem in pylori viciniam effundunt, vt eo alimentum, quod eſt in ventriculo aut per inteſtina deſcendit, irroretur. Non ſolum bilis, ſed etiam ſuccus pancreaticus, ſaepe in ventriculum redeunt. An fluidum nerueum admiſceatur, quaeritur, ſed *haec ita dicuntur*, ait Noſter, *vt refellere nequeas, ſtabilire vix poſſis.*

Mutationes, quas in ventriculo cibi ſubeunt, cum p. 310. plures eodem tempore eueniant, determinatu ſunt difficiles. Dilutio certe et emollitio ante aceſcentiam tempus ſuum habent, et ſuccus de cibo extrahitur. Cibi recepti primo aceſcunt, ſiue ex vegetabili ſiue etiam animali regno ſumantur: eam enim carnium naturam eſſe, vt aceſcant, experimenta oſtendunt; in omnibus etiam carniuororum animalium piſciumque ventriculis veſtigia acidae naturae inuenta eſſe, obſeruationes tradunt. Inde autem declarari poteſt, cur metalla aliaque corpora a ventriculi liquore erodantur. Quae aceſcunt, ea ſibi permiſſa cum aere et calore fermentant, inteſtino

nempe motu agitantur, quem tum aer atmoſphaericus generat, tum etiam magis aer internus expeditus; tunc enim aer oritur et vapor ſaepe inflammabilis, qui de cibo ventriculo recepto aſcendit. Licet autem et inflammabiles alui crepitus, et flamma et ſputum inflammabile interdum obſeruata ſint, ſunt tamen rara et ex morbo: in homine enim ſano principium fermentationis locum vix inuenit, quam in cibis vegetabilibus continuo multa vis adfluentis liquidi humani opprimit, et in carniuoris putredo conſequitur. Cum omnes humores animalium ad naturam putredinoſam vergant, et acidae naturae exigua veſtigia retineant, cibi acida degeneratio ita ſuperatur, vt in putredinoſam indolem vergat. Vera in hominis ventriculo putredo non occurrit, etſi forte in cibis diutius retentis et in animalibus, quae ſolis carnibus veſcuntur. Deinde certum eſt, maſſam ciborum, qui de ventriculo exeunt, vt abſque eminente aciditate, ita absque perfecta putredine eſſe. Vix vllus etiam ex putredine gaſtrica oritur calor, cum humor perpetuo adfuſus quidquam in ventriculo ſimile praeualere non ſinat. Quamuis autem in adipe et in oleis acor plurimus ſit, non tamen aceſcunt corrupta, ſed in ventriculo diu cruda manent, et plerumque in liquamen ſenſim contabeſcunt, ingratiſſimi ſaporis et odoris. Peracta digeſtione omnes cibi, panis, caro, fructus, lac, vinum etc. in vnam vniformem cineream, aut flauam, aequaliter mollem maſſam pultaceam mutantur, in qua figura et fabrica peculiaris deleta, dotes nimiae odoris, ſaporis, coloris, propriae ſpecies abolitae, durities ſubacta et vniformis mucoſa, mediocriter odorata, fatua natura ex omnibus contemperata eſt.

p. 327. Digeſtione conſiderata ſigillatim nunc oſtendit Noſter, quam partem eius mutationis quaeque cauſſarum,

rum, cibos mutantium, producat. Nullum animal abſque plurimo humore cibum coquit, tritus a ciborum coctione abeſſe poteſt, et tamen cibus coqui, neque etiam mora in coquendo multo maior eſt tritu carentibus, quam in animalibus muſculoſo ſtomacho inſtructis. Macerans iſte liquor, ex Cl. Auctoris ſententia, fere ſolius ventriculi progenies eſt, et ab appendicum muco fit, cui in animalibus perfectioribus ſaliua accedit. Licet autem multum in ventriculo ad coquendos cibos ſuccus poſſit, et acoris ſigna non rara ſint, minime tamen fermenti nomine vti oportet, quod cibos in naturam animalem ſalubrem conuertat. Putredinis vero maior vis eſt. Ea enim omnia corpora animalia et vegetabilia in pultem redigit, glutine elementorum diſſoluto. Haec tamen degeneratio abſolute in ciborum coctione admitti nequit. Quae animalia iis viribus ſolis, hactenus enarratis, cibum coquunt, ea ſolis carnibus veſcuntur. Cum autem plurima alia animalia ſeminibus, duro cortice tectis, etiam nucleis, oſſeo putamine defenſis, viuant, addidit natura potentiſſimam vim tritus, cum maceratione coniunctam. Hinc graniuoris ventriculum durum dedit; piſciuoris et carniuoris omnino debilis ventriculus eſt, hinc tritus minor. Sunt etiam alia quaedam coctionis adiumenta, ſine quibus cibi digeri poſſunt, ſed quae addita reliquis cauſſis tamen coctionem ciborum adiuuant. Pertinet eo calor, quippe qui plurimum in ſoluendo glutine, gelatina diluenda, adipe emolliendo, macerante vi aquae augenda, initiis fermentationis et putredinis introducendis poteſt. Ciborum vero reliquiae inter auxilia coctionis non admittuntur, cum potius eam inhibeant. Inter alias demum ventriculi functiones primaria eſt, alimenti partem de ventriculo reſumere; hinc multi homines, cum omnia vomerent,

rent, diu tamen vitam tolerarunt. Tandem quaeritur, num anima ſedem habeat in ventriculo? Olim animae ſenſilem ſedem HELMONTIUS in cardia poſuit: licet vero, tenerum ſenſum numeroſiſſimorum in cardia neruorum eſſe, experientia doceat, praecipuam tamen animae ſedem in capite, Noſter ponit.

p. 340. Ad velamenta abdominis tranſit Ill. Auctor, quae, vt fatetur, prius quam ventriculus deſcribenda fuiſſent, niſi Ipſi diſplicuiſſet, id cibi receptaculum ab oeſophago ſeparare. Membrana abdominis viſcera, certe chylopoietica, continens, peritonaeum dicitur; eius lamina exterior dicta eſt mera tela celluloſa, hinc duplicatura peritonaei non bene dicitur, et eadem eſt celluloſa tela, exterius peritonaeo circumpoſita, in quam effuſa aqua ſaccatum hydropem facit. Nunquam in corpore humano peritonaeum ſiccum reperitur, ſed humet vndique viſcida, pingui, olente aquula, quae ex arteriis generatur vaporis ſpecie, et ex omnium viſcerum abdominis ſuperficie exhalat, non vero ex glandulis, quae nullae ſunt: vti vero is humor de arteriis exhalat, ſic in venas ſani corporis reſumitur, et libertatem viſcerum abdominalium et inter ſe et a peritonaeo conſeruat, vt cum ſumma facilitate, ſine frictione tamen moueri poſſint. Idem humor exſudans morboſe inſpiſſatur in albuminis, glutinis puriſue ſpeciem et fibroſam gelatinam. Ex eo etiam vario humore naſcuntur vitioſae adhaeſiones, quae ſatis frequenter viſcera abdominis aut inter ſe inuicem connectunt, aut ad peritonaeum. Ex peritonaei circumferentia in internam eius caueam numeroſae appendices exeunt, ligamenta dicta, de quibus omnia imi ventris viſcera ſuſpenduntur. Meſenterii fabrica eadem eſt, quae in vniuerſum peritonaeo: natura nempe ex celluloſa tela ſtipata eſt, absque fibris,

fibris, vaſculis numeroſis picta ſed exiguis, nullis neruis conſpicuis, hinc ſenſu et motu caret. Deſcriptis poſthac omentis et vaſis et neruis, tandem partium harum, et primo peritonaei vtilitas exponitur. Continet enim illud ſuo in ſitu viſcera pleniſſimi abdominis, vt preſſionem circumpoſitarum virium muſcularium patiantur quidem, neque ideo de ſuo ſitu decedant. Deinde vapore ſuo interiecto viſcera et inter ſe ipſa et cum peritonaeo, alias continuo adhaeſura, ſolum libera ſeruat. Tandem internis ſuis ligamentis et proceſſibus omnia viſcera ſuo loco continet, ne vagari poſſint et in alienas ſedes de ſua vicinia abeant. Meſenterii vtilitas eſt, inteſtina mobilia ſeruare, et in ſede ſua continere. Omenti demum vtilitas eſt, viſcerum et inteſtinorum perpetuo mobilium ad peritonaeum motum a frictione liberum ſeruare, et adhaeſionem ſeu coalitionem inter ſe impedire, et ſanguinem venoſum, adipe reſorpto repletum, ad hepar ducere, vt ſit praecipuum futurae bilis elementum.

Lienem quadrupeda animalia calida habent: exſanguia non; in aliis ſimplex, in aliis numeroſi ſunt, numeroſi etiam nonnunquam in homine, nullum contra fuiſſe in animalibus et in homine, aliqua exſtant teſtimonia. Omnia in liene inconſtantia ſunt, figura vel maxime, tum in diuerſis animalibus, tum in ipſo eodem homine, neque etiam certior ſitus eſt vel in homine vel in animalibus, et magnitudo nihilo conſtantior, quam priores lienis qualitates. In homine ſano lien ſpongiae quandam habet naturam, quae plurimo ſanguine ebria eſt, color eius in foetu rubicundior, in adulto liuidus eſt, nonnunquam tamen et tunc floride rubet. Arterias habet et venas et neruos et vaſa lymphatica; ductum quidem excretorium nonnulli addiderunt, quem tamen recentiorum induſtria non confirmauit. Lien ſan-

p. 385.

guine

guine valde plenus eſt et plus habet aquae, aliquanto plus ſalis volatilis, olei vero empyreumatici minus. Interior lienis fabrica celluloſa eſt; lien humanus ſpongiae ſimilis eſt, adeo ſucculentus, vt elutis vaſis et ſiccatis fere in nihilum abeat. Glandulas aliqui, vt MALPIGHIUS, in liene aſſumſerunt, RUYSCHIUS vero praeter vaſa et celluloſam fabricam nihil animaduertit, cuius ad ſententiam, quae Noſter vidit, omnino propius accedunt. Vtilitatem lienis in ſanguinis praeparatione pro hepate conſiſtere, et lienem in eo miniſterio peculiare quid habere, quod in natura ſanguinis et in motu atque in motus demum temporibus reperiatur, Ill. Auctor docet. Sanguinem, aſſerit, in liene fluidiorem eſſe quam fere in vllo viſcere, et praeterea indole lixiuioſa ſalina, oleum diſſoluente vberiore imbutum. Cauſſam autem, cur ſanguis peculiarem hanc naturam in liene induat, in maiori quam alibi luminis ramorum arterioſorum ſimul ſumtorum ad totum viſcus ratione ineſſe, hinc ſanguinem ronteſcere, in venis potiſſimum retineri, ſtagnando acrimoniam concipere lixiuioſam, putat, idque eo magis, cum in loco calente lienis ſanguis lenteſcat, et putridos adiacentis inteſtini coli habitus per poros inorganicos recipiat. De ſanguine lienali monet, eum inani ventriculo per grandem arteriam in laxum viſcus et molles venas magna copia irruere, idque diſtendere atque in liene copioſiorem manere, ventriculo vero cibis et inprimis aere diſtento lienem contra diaphragma vrgeri, inde quaſſari et inaniri, et ſanguinem eius per venas ad hepar protrudi. An aliae vtilitates per morbos et per viſceris exciſionem erui poſſint, nondum liquide conſtat, de exciſione autem notandum, motum ſanguinis per hepar in aliis plus, minus in aliis paſſum eſſe, vitiatam inde bilem et ciborum coctionem, hinc cruditatem,

tatem, flatus et vrinae augmentum, male cibum coquentibus familiare. Aliae hypotheſes lubrico nituntur fundamento.

Pancreatis fabrica, vaſis, ductibus et neruis deſcriptis, de ſucco eius agit, cuius naturam non facile exponi poſſe putat, cum et ductus pancreaticus plerumque vacuus reperiatur, et ab alieno humore alias occupetur: ſaliuae tamen iſtum ſuccum ſimilem eſſe, colore ſubalbido, ſapore ſubſalſo, etiam inſipido aliisque proprietatibus, eius copiam non exiguam eſſe et perpetuo fluere. Caeterum in plurimis animalibus pancreas reperiri, et, quibus deſit, iis certe appendices illas coecas locum tenere pancreatis, ideoque magnam eſſe huius viſceris vtilitatem et, cum cyſtica bilis plerorumque animalium acerrima ſit et apprime viſcida, proptereaque vehementiſſime inteſtinum ad motum periſtalticum ſtimularet, non absque vomitus forte periculo, et ex iſta parum commode cum cibo miſceretur, cum viſcor repugnet, partem certe vtilitatis ſucci pancreatici eſſe diluere bilem cyſticam ac mitigare, et ex illo beneficio bilis latius per inteſtina cibique maſſam poſſe dilui, et cum maſſa ciborum melius miſceri: inde autem acrimoniam temperari, quae alioquin iter cibi praecipitaret, tandem a ſucco pancreatico cibariam maſſam dilui et diſſolui, vt a ſaliua et ſucco ventriculi; aluum ſiccam homini fuiſſe, cui ſcirrhus ductum pancreaticum comprimebat, ſuccumque pancreaticum facere cum aliis ſaliualibus ſuccis, ne vaſa lactea inania otientur et coaleſcant, oſtendit Noſter. p.427.

Hepar late per animale regnum dominatur; et in omnibus quadrupedibus, auibus et piſcibus reperitur, neque paucis inſectis aliquid datum eſt, non quidem totum ſimile hepatis, ſed cauum et celluloſum potius et ſimilius appendicum pyloricarum, a p.454.

Cll.

Cll. Viris tamen cum hepatis nomine deſcriptum. Hepar humanum ſimplex eſt, minus, quam in pleriſque animalibus, diuiſum. Animalibus quadrupedibus, quibus diuiſi ſunt pedes, pleriſque etiam hepar in multos lobos diuiditur, ſed etiam equo multilobum eſt et porco biſulco atque apro tayacu. In aliis aliter diuiſum eſt; ex quibus omnibus nihil ſatis certi, aut alicuius in phyſiologia momenti deduci poteſt, cum neque cum alimenti genere propria hepatis fabrica coniungatur, neque cum claſſe animalis. Vaſa hepatis adducentia ſunt arteriae, vena vmbilicalis et vena portarum, quae peculiaria quaedam habet: primo naturam arterioſam, vnde ad arterias diu relata fuit. Pariter enim, vt arteriae, ſumma luminum ramorum truncum longe ſuperat, et pro hac ratione neceſſe eſt, vt ſanguinis venae portarum motus tardetur. Sed etiam ideo magis probabiliter cum arteriis coniungitur, quod inſigni robore omnes alias venas corporis humani et eo magis arterias vna vena portarum ſuperet. Magnum etiam venae portarum priuilegium eſt, quod ſola venarum omnium ſuccum aliquem ſeparet de ſanguine. Quod ad naturam ſanguinis attinet, quem ea vena ad hepar aduehit, credibile videtur, diuerſum eſſe a ſanguine aliarum venarum. Eae enim, vt ab vno viſcere et vno membro ſanguinem reuehunt, ita videntur vnius eiuſdemque ingenii ſanguinem continere: vena portarum autem a diuerſiſſimis viſceribus ſanguinem reuehit. Hinc in ſanguine venae portarum plus erit adipis, quam in vllo alio totius corporis cruore, ſecretioni deſtinato; erit in eodem ſanguine multum putreſcibilis et ſubalcaleſcentis vaporis. Vaſa hepatis auehentia ſunt vena caua, dein vaſa lymphatica, quae et ab arteria et a vena portarum liquorem habent; tandem ductus bilarii, hepati prae aliis viſceribus proprii, quorum natura

pecu-

peculiaris eſt; exterior nempe membrana ſtricta fit ex tela celluloſa robuſta et craſſa, ſequitur textus celluloſus laxus et inflabilis, tunc neruea tunica cum villoſa ſuperinducta. Muſculoſa fabrica obſcura eſt; irritabilitas ad venena aliqua, ad ferri aciem nulla, neque certus motus. Valde dilatabilis eſt et ad magnam molem diſtenditur. Acriter demum ſentire dicitur, ob dolores acerrimos, quos aegri patiuntur, quibus calculus bilarius maior per eum ductum ad inteſtinum migrat. Nerui numeroſi ſatis ad hepar adueniunt, coniuncti ex octauo pare et ex neruo magno ſympathico. Membrana hepatis communis a peritonaeo eſt, de interiore facie, qua ad ipſum viſcus reſpicit, celluloſa tela vndique effloreſcit, in qua celluloſitate corpuſcula ſedent, quae pro glandulis habita fuerunt. Cum omnibus viſceribus commune ſit, faſciculos vaſculoſos, ſenſim diminutos, ramoſos, celluloſa tela obuolutos per eorum intima diuidi: omnia haec in hepate euidentiora ſunt. Fundamentum cuiuslibet faſciculi praebet venae portarum ramus, et ductus bilarius adſidet; circa eum arteriae ludunt et nerui: circumdat omnia reticulum celluloſum. Ex his vaſis cum celluloſa tela fit peculiaris caro; hinc hepar firmius eſt, quam alia viſcera et ſero putreſcit. Faſciculi illi vaſorum, qui cum ſuis celluloſae telae vaginis hepatis lobos in maiores et minores lobulos diuidunt, vſque dum denique carnis hepatis minimae quaſi inſulae ſuperſint, quas nullae porro conſpicuae celluloſae lineae diuidunt, et quarum propria fila celluloſa cum ſuis vaſis firmius cohaerent, quam cum celluloſa circumfuſa, acini vocantur. Ad quemlibet talem acinum concurrunt ramus venae portarum, porus bilarius et ramus arteriae hepaticae; in his ipſis acinis venae a caua venas ad portas attingunt, et in iisdem humorum ſuorum inter vaſa ve-

noſa, arterioſa et bilaria ſunt communicationes. Acinos nemo negat, ſed de interiore fabrica dubitatur. Eſſe glandulas dixerunt aliqui et inprimis MALPIGHIUS. Noſtro vero ſatis certum videtur, *illos animalium hexagonos acinos non elementum, ſed agmen elementorum fuiſſe, lobulum nempe hepatis, ex multis minoribus particulis compoſitum, ſola clauſum celluloſa tela. Quare etiam manifeſto et caret communi membrana, et flatum impulſum in celluloſa ſpatiola circumpoſita dimittit, vt veſicas ſub externa membrana excitet.*

p. 519. Veſicula fellea non in omnibus animalibus reperitur; quaedam enim non aliam bilis habent officinam, quam hepar. Licet autem in multis et nonnullis adeo hominibus deeſſe dicatur, ſunt tamen, in quibus accuratiore facta inquiſitione adparuit. Potuit enim hepati immerſa veſicula latuiſſe, vel contracta et exigua, ductuque cyſtico non latior, aut denique conſumta fuiſſe. Ponitur receptaculum bilis in ſulco hepatis transuerſum retrorſum et ſiniſtrorſum; figura aliquid habet piriforme, eſt tamen, vbi omnino oualis aut praeter modum longa et gracilis, aut vbi finem coecum longum et acutum reflectit et pene bifurcatum habet. Magnitudo incerta eſt et per morbos augetur. Membranaceum et tunicatum hoc receptaculum eſt, in vniuerſum eiusdem cum aliis ſaccis in corpore humano fabricae. Extima membrana ab hepatis membrana externa naſcitur; intra hoc velamentum commune celluloſa tela laxa eſt; ſequitur, quam muſculoſam vocant; irritabilitas eſt eiusmodi, vt a venenis veſicula ſe contrahat, non ita ab aliis verioris notae irritationibus. Celluloſa altera vaſculoſa elegante reticulo arterioſo percurritur. Senſu ſat acri gaudere aliqua ſuadent. Neruea ſe habet, vt in inteſtino; tum tenerior celluloſa tertia et villoſa, ſemper vt

in

in inteſtino, pulchre reticulata. Folliculi glanduloſi non ſemper reperiuntur, attamen, cum aliquando adſint, poſſunt pro perpetuis haberi, qui in media parte veſiculae et circa ceruicem conſpicuis poris mucum rubrum effundunt. Arteriae hepaticae ramuli minores per vltimam celluloſam membranam diſtributi, etiam ſuccum tenuem in veſiculam exhalant, et viciſſim venae portarum radiculae aliquid de ea veſicula ſorbent. Pori etiam inorganici frequentes ſunt, vt bilis per integram veſiculam perſpirans colon late tingat. Ex veſicula fellis ductus excretorius exit, qui cum ductu hepatico conuenit, ſerius aliquando, demum in ſinu duodeni. Fabrica huius ductus in vniuerſum eadem eſt, quae veſiculae. Nullum autem animal veſiculam absque hepate nactum eſt, nullum etiam, cui veſicula ab hepate libera ſit et diſtans. In nonnullis enim animalibus ex hepate ductus in cyſtidem immittuntur; licet iidem in permultis animalibus negari nequeant, in humano tamen hepate alia via, quam per ductum cyſticum, bilem ex hepate in veſiculam veniſſe, Noſter nunquam vidit.

Humor, qui vel in veſicula bilaria continetur, p. 542.
vel in vaſis illis de hepate ad duodenum patentibus, bilis vocatur, alia cyſtica, alia hepatica; hanc mitem, illam amariorem dicunt. Collectae tamen obſeruationes oſtendunt, in hepate quidem bilem minus amaram eſſe, poſſe tamen per moram ſolam in robuſto animale et denique in ſano homine amareſcere, et dotes conſequi, quae ſunt in cyſtica bile; contra bilem quidem cyſticam in ſano et adulto homine amaram, neque tamen hunc ſaporem ei proprium eſſe, cum ad cyſticam fetus bilem nondum quidem acceſſerit. Bilis indoles propria viſcor eſt; quae viſciditas tum per aetatem, nam bubula vitulina viſcidior eſt, tum per morbos augetur.

Quadrupedibus adultis et homini bilis ſana amara eſt, non acida, et per morbos fit inſipida. Color eius in plerisque animalibus viridis eſt, in carniuoris obſcurior et flauedine plurima commixtus; in morbis pene ad nigredinem accedit. Cum amarore et viſcedine intenſior color coniungitur; aquoſa et inſipida expalleſcit. Exhalans portio bilis recentis odore eſt fatuo, fere inciſi abdominis: in nonnullis animalibus acrior. Bilis primo recens facile cum aqua, cum oleo difficilius, miſcetur tamen intertrita; cum aqua ſubacta vires gerit ſaponis et ſoluit oleum, vt aquae miſceatur; humores humanos dicitur fundere; hinc remedium praebet egregium tum internum tum externum, ſed etiam nimia ſua acrimonia in calidiſſimis regionibus in venenum abit, vt v. g. ex piſce *Guamajacuatinga* apud barbaros inter ſumma venena habeatur; cum ſyrupo violarum vireſcit; ab acidis ſalibus ſiccis et acidis mineralibus coagulatur; coit etiam cum ſpiritu vini, debiliter tamen; ab acidis liquoribus vegetabilibus parum mutatur, neque putredo bilis a vegetabili acore impeditur; a ſalibus mediis aut liquoribus parum, neque etiam a fixis ſalibus mutatur et clarior potius fit et flauedo intenditur; cum ſpiritibus alcalinis volatilibus diluitur et commode vnitur et colore intenditur; ſibi relicta putreſcit, tunc foetet et odorem moſchi induit; putredinem adiuuat addita terra abſorbens; ſapor cum putredine acerrimus fit. Aqua diſſipata bilis coit in maſſam ſpiſſam, amaram cum dulcedine, quae in aere deliqueſcit, in aqua lacteſcit, et in ſpiritu vini aquoſo ſoluitur et cum ſabulo aut argilla coaleſcit. In bile tum animalium tum hominis non raro calculi naſcuntur, quorum tanta eſt in homine varietas, vt in claſſes difficilius diſpeſci poſſint, cum hiſtoriae pleraeque non ſuffi-

ciant. Graecos enim ſcriptores de hoc morbo, qui ſub tempora renouatarum demum litterarum innotuit, ſiluiſſe, duas tamen claſſes vtcunque conſtitui poſſe, Ill. Auctor notat. Alii grandes iidemque ſubrotundi ſunt, oliuae, nucis, oui aut alia eiusmodi elliptoide figura: etiam teſſerarum ſimiles, quando plures in eadem veſica ſe confricuerunt. Hi calculi plerumque non ſunt lamellati, et alias ex calce aliqua albisque aut flauis aut viridibus glebulis componuntur, friabiles iidem et inſipidi. Plerumque ad ignem colliqueſcunt et funduntur fere vt cera ſigillaris, et flammam concipiunt; in his bilis abundat: alii ardere recuſant, quibus plus terrae ineſt. Denique frequentiſſimi ſunt calculi minores vnius alteriusue grani, fere ſemper nigri, etiam pellucidi, anguloſi, figurarum polyhedrarum. Hi ſemper viſi ſunt arſiſſe. Reperiuntur etiam in ductu cyſtico et ductu hepatico aut choledocho calculi, variae figurae, ſubrotundi, etiam anguloſi et numeroſi, vt in fellis veſicula, inflammabiles, flaui, alias tamen terrei et non inflammabiles. Chemica bilis analyſi obtinentur aer, tanquam ſpuma apparens; aqua in magna quantitate; aqua porro multo ſale volatili impraegnata; adſcendit oleum ſpiritu leuius, flauum, rubrum, lentum, poſtea ſpiritu grauius, piceum, nigrum, empyreumaticum. Salem volatilem plurimi auctores ſeparare non potuerunt; pauculum alii admiſcerunt et abundius alii. Remanet demum carbo nigerrimus. Calculorum analyſis ea eſt: inſipidi fere ſunt, tamen etiam amari. Alii in aqua ſoluuntur; alii etiam a ſalibus lixiuioſis; optime colliqueſcunt in ſpiritu terebinthinae. Alii ſoluuntur in ſpiritu vini. In ſpiritu nitri teneréſcunt et ſoluuntur. Etiam in raphani ruſticani ſucco cruſta exterior molleſcit, et in ſucco cochleariae atque

 naſtur-

naſturcinarum plantarum ſoluuntur. Igne demum ſubiecto calculi dant aerem, phlegma, oleum duplex et carbonem. Ex quibus apparet, bilem non eſſe acidam, neque etiam alcalinam; olei copiam maiorem habere et acriorem eſſe ſanguine, et a reliquis humoribus humanis in eo differre, quod cum eadem fere aquae copia portionem olei amari et penetrabilis maiorem admiſtam poſſideat, cui ſal volatilis vrinoſus admiſtus eſt. Cum praeterea bilis olea aquae reddat miſcibilia, etiam ea dote ad ſaponem accedit.

p. 578. Bile conſiderata, viam eius nunc exponit Ill. Auctor, illam primo ex hepate per ductum hepaticum in choledochum, hinc in duodenum, dein ex veſicula in choledochum itidemque in duodenum, tandem ex hepate in veſiculam fluere aſſerit. Alias vias, per quas bilis ex hepate ad veſiculam veniat, atque bilem in veſicula generari, Noſter negat. Tandem etiam oſtendit, bilem a veſicula ad hepar redire: in ſano quidem homine bilis cyſtica ad hepar non venit, quando vero pertinax obſtructio ductum choledochum clauſit, vel calculus iter ad inteſtinum obſedit, videtur de ipſa cyſtide fellea bilis in ductus hepaticos atque per eos in venam cauam et in vniuerſum corpus ſe diffundere. Non tamen omnis icterus eſt a cyſtica bile. Frequentius eſt ab hepatica, retrorſum reuoluta, quoties eadem obſtaculum habet in ductu choledocho. Denique nec bilis iter obſtructum ſolum eſt cauſſa icteri, non certe eiusmodi, quem oculi medici poſſint oſtendere. Naſcitur enim icterus, et bilis adeo retrograda in ſanguinem refluit plurimas ob cauſſas, quarum aliquae vix corporeae ſunt, vt ex ira. Huc etiam pertinet moeror profundior, terror, vulnus cerebri, febris acuta, vulnus a ſtlopo illatum, tumor in pleura natus: comeſti fructus ſolani, demum ipſe viperae morſus.

In

In harum cauſſarum nonnullis, vt in febre acuta etc. poſſit ſubeſſe latens hepatis inflammatio; in aliis malis bilis motus videtur incitari; in aliis credas tardari bilem et eius motum lenteſcere, vt anguſtas et rugoſas vias cyſticas ſuperare nequeat, vt in dolore animi. In nonnullis demum ſuſpicari poſſis, ductus choledochi exitum arctatum fuiſſe. Haec via praeter naturam eſt, neque poteſt cum veteribus aut aliis recipi, partem aliquam bilis in ſano homine per hepar in ſanguinem venoſum refluere. Cum bilis ex veſicula non naſcatur, neque ab ea in hepar ſani hominis redeat, atque ab hepate ad inteſtinum et ab eodem ad veſiculam veniat, vt per ductum ſuum in idem inteſtinum redeat, patet, eius in hepate vnicum fontem eſſe. Quaeri autem poteſt, ex quibus vaſis bilis decedat? ex venis generari bilem venaeque portarum cauſſam probabiliorem videri, Noſter autumat; ſiquidem omnia ad bilem generandam idonea ei inſint. Sanguinem habet eiusdem indolis particulis pleniorem, quae in bile abundant. Deinde ſub putrido humore, qui videatur eam ad alcalinam naturam et ad putredinem concipiendam aptam indolem adiuuare poſſe, quae eſt in bile. Porro bilis viſcidior eſt, quam plerique humores humani. Eſt autem etiam eius proprietatis in vena portarum peculiaris cauſſa, et in principiis venae portarum lente mouetur ſanguis. Quodſi nunc motus ſanguinis in hepate lentiſſimus eſt, trahent ſe particulae pingues, quae bilem generant, et is lentor coniunctus cum circuitu tardiori aptiſſimus erit generando viſcido humori, qualis eſt in bile. Cum itaque multa praecipua vena portarum habeat, quae omnia non ſunt in arteria, cui ſanguis idem eſt, qui in renibus, et idem pari celeritate mouetur, bilem ab iſta vena ſecerni, colligendum eſt.

p. 601. Cum lentus in hepate ſanguinis motus ſit, et bilis in veſiculam recepta in quietem reducatur, ideoque periculum obſtructionis maximum ſit, aliae vires praeter cor hepati datae ſunt, quarum aliae conſtantes ſunt, aliae ad certa tempora reſtringuntur. Perpetuus eſt motus reſpirationis, quo hepar vrgetur; videtur autem eius effectus in hepar quam in veſiculam promtior eſſe, inanitur tamen ea exſpiratione. Praeterea veſicula fellea vomitu depletur et peculiarem ſuam compreſſionem a viſceribus, cibum recipientibus, habet, quae vero vires non perpetuae ſunt. Veſicula autem diſtenta proprio motu ſe non conſtringere, nec bilis hac ratione prodire poteſt. Copia bilis, quae ſecernitur, non exigua eſt; variat tamen, ita vt in morbis et ira abundior generetur, et in homine in ſiniſtra decumbente melius inaniatur. Secreti iſtius humoris pars in ventriculum redit, maior vero pars ad inteſtina ſe conuertit, tuncque aliqua mutatur, aliqua cum excrementis diſperit. An autem bilis pars reſorbeatur et ad ſanguinem veniat, certo definiri non poteſt, ſi enim reſorbeatur, eam non acrem eſſe et vim ſuam nimiam amiſiſſe, putandum eſt. Vtilitates bilis magnae ſunt; primo videtur inſeruire diſſolutioni ciborum, et cum muco, et cum oleo et cum aqua ſe miſcere, eaque omnia alioquin hoſtiliter ſe repulſura in vnum homogeneum magma ſoluere. Porro ad acidi ſubactionem confert, quod officium cyſticae potiſſimum bilis eſt. Praeterea ad motum periſtalticum quidquam facit, licet non negandum, hanc vnicam motus iſtius cauſſam non eſſe, quippe qui ſit in inſectis, quibus hepar nullum eſt, neque bilis vlla. Ab ea demum ventriculum ſtimulari, vt famem percipiat, credendum eſt. Inter hepatis vtilitates prima, quae inquirenti ſe offert, eſt generatio bilis, tanquam ſucci, ſine quo cibi coqui nequeunt. Facile

etiam

etiam adparet, hepar diaphragma replere et ſuſtentare, vt et in exſpiratione plenus ſit eius fornix, et inter inſpirandum diaphragmatis deſcendentis preſſionem excipiat et ad ſubiecta viſcera perferat. Sed etiam calore ſui ſanguinis, qui eſt plurimus, ventriculum et colon fouet, neque vero ſuccum alimentarium, cum ab inteſtinis eum non accipiat, coquere poteſt, neque in ſanguinem conuertere. Vltima, quae hic mouetur, quaeſtio eſt, an non ſanguinis circuitum hepar moderetur? *In foetu*, inquit Noſter, *ſatis certum eſt, hepar ſeruire frangendo ſanguinis ab vmbilicali fune redeuntis impetui, vt per hepar, arterioſo more diſtributus, multa parte ſui impetus per frictiones neceſſarias amiſſa, lentior per venas reduces in venam cauam rediret, ſitque hepar tutelae auriculae dextrae praepoſitum, quae tantae ſanguinis innitentis preſſioni male reſiſteret, niſi eam hepar debilitaret.* Ab adulto autem homine magnam partem neceſſariae huius in ſanguinis impetu diminutionis abeſſe, cum totum illud maximae venae vmbilicalis flumen nunc ſiccum ſit: cum tamen in adulto vena portarum multum de celeritate ſanguinis amittat, eiusque ſanguis lentius fluat, ſanguinem ſyſtematis viſcerum chylopoieticorum minori cum impetu in venam cauam proximamque dextram cordis auriculam niti, Ill. Auctor putat.

XII.

Philoſophical Tranſactions, giving ſome Account of the preſent Undertakings, Studies, and Labours, of the Ingenious, in many conſiderable Parts of the World. Vol. LII. Part I. for the Year 1761. London: printed for L. Dauis and C. Reymers. 1762. 4. ad pag. 414. tab. aen 14.

h. e.

Tranſactiones philoſophicae, quae laborum, ab eruditis in variis orbis terrarum partibus nouiſſime ſuſceptorum, quandam exhibent notitiam. Vol. LII. Pars I. ad annum 1761.

pag. 1. 1) *Relatio de vſu Vlicis, ſiue geniſtae ſpeciei,* Furze *dictae, ad ripas fluminum muniendas, in epiſtola* Cl. DAV. WARK ad Cl. STEPH. HALES. Vidit in medio fluminis frutice vlicis arenam retineri, vnde concluſit ad eius vtilitatem in muniendis ripis, et methodum ad haec praeſtanda idoneam deſcribit.

p. 3. 2) *Deſcriptio memorabilis halonis, in litteris* Cl. TH. BARKER ad Cl. WIL. STUKELEY. Memoratis nonnullis, quae mutationem coloris in ſyrio, nec non cometam, in orione viſum concernunt, ad deſcribendam, quae Lyndoni circa vndecimam horam antemeridianam, 20 maio 1737 coelo ſereno atque ſudo per duas fere horas viſa eſt, halonem ſe accingit, eamque in ſchematiſmo exhibet. Conſtabat ex vulgari halone cum circulo horizontali albo, atque ab aliis halonibus, in quibus nulli parelii conſpiciuntur, in nulla re diuerſa fuit, praeterquam quod orbis internus, extremitate ſuperiori ac inferiori cum communi halone connexus, ac iisdem coloribus

loribus licet lucidioribus ornatus, verſus medium quatuor fere gradibus arctior fuit circulari orbe eum ambiente. Ellipticam proinde referebat halonem, cuius diameter maior ſub quadrageſimo quinto gradu viſa, coniugata vero quatuor gradibus minor erat, ob quem ſingularem orbem interiorem Cl. BARKERUS eam notatu dignam iudicauit.

3) *Recenſio meteori in noua Anglia viſi, et ecnephiae proceloſi in ea regione exorti; in litteris* Cl. IO. WINTHROP ad Cl. TH. BIRCH. Anno 1760 decimo maio, fere 35′ poſt horam nonam matutinam, omnes regionum circa Bridgewater in noua Anglia ad 80 milliaria ſitarum, vt poſtea compertum eſt, incolae tribus horrendis, ac ſi maximum exploderetur tormentum, fragoribus exterriti ſunt. Exploſiones hae intermixtae erant ſono terribili, ac eiusmodi, qui in terrae motibus audiri ſolet, totumque phaenomenon quatuor fere horae minuta durauit. Originem eius, ex relatione fide digni incolae Roxburienſis, aliorumque intra ſphaeram huius phaenomeni degentium, adſcribendam comperiit Cl. Auctor coelitus delapſo globo ignito, diametri 4 vel 5 pollicum apparentis, tantique ſplendoris, vt lumen ſolare impedire non poſſet, quo minus ſub ſole motu horizonti parallelo a ſeptentrionali plaga verſus auſtrum incedens conſpiceretur. p. 6.

Alterum phaenomenon ex ecnephiarum proceloſorum genere fuit. Cum enim decimo iulio Cantabrigiis ante meridiem tempeſtas, flante africo, ſerena et calida eſſet, ac poſt meridiem coelum nubibus obtegeretur, vt tandem circa quintam horam plueret ac ſemel tonaret: eo ipſo tempore plurimi Leiceſtriae incolae non ſine horrore viderunt, nubes ex occidente hiberno, atque occaſu aeſtiuo celerrime conglomerari, quae conglomeratae cum terribili

fragore

fragore gyrum formare coeperunt. Hic gyrus verſus tellurem propulſus in collis arbores primum ſaeuiit, easque euulſas ad magnam diſtantiam proſtrauit, lapides ex terra erutos ſecum rapiebat, vnum 150 librarum grauem ad quinque pedum diſtantiam prouoluebat, ac cum flumen huius procellae, quod 40 decempedas latum aeſtimabatur, in planitiem camporum delatum eſſet, dici vix poteſt, quantam vaſtitatem iis intulerit. Emenſum cum tanta clade circiter dimidium milliare in domum Dauidis Linde illapſus, eandem funditus proſtrauit, e quatuordecim tamen hominibus, qui in ea erant, vnus tantum periit.

p. 17. 4) *Litterae* Cl. NEVIL MASKELYNE ad Cl. TH. BIRCH, *concernentes aberrationem radii lucis per lentem refracti, ex figura ſphaerica ortam.*

p. 21. 5) *Excerpta ex litteris Abbatis* DE LA CAILLE ad Cl. WIL. WATSON, *in quibus ſeriem obſeruationum detegendae lunae parallaxi inſeruientium, inſtituendam in inſula Sanctae Helenae* Cl. NEVIL MASKELYNE *commendat.*

p. 26. 6) *Litterae reſponſoriae* Cl. NEVIL MASKELYNE *ad* Cl. WIL. WATSON.

p. 28. 7) *Diſſertatio de denario Samnitico nunquam antea vulgato, in epiſtola* Cl. IO. SWINTON ad Cl. TH. BIRCH.

p. 39. 8) *Relatio de eruptione montis Veſuuii, in epiſtola* Cl. FRANCISCI HASKINS EYLES STILES ad Cl. PHIL. CARTERET WEBB. Haec triſtis eruptio montis Veſuuii d. 23 decembris 1760 accidit, atque dum fumus in apice montis proruere coepit, et flamma

flamma breui poſt ſecuta eſt, cum ingenti lapidum cinerumque in regiones circumiacentes proiectione, Cl. LOWTHER cum Cl. WATSON, et Abb. CLEMENTE ac ruſticis quibusdam ducibus, curioſitate ducti, in aſcendendo hoc periculoſo monte occupati, ab eius apice vix 150 pedes aberant. Fugerunt itaque, et parum aberat, quin cinerum copia et lapidibus proiectis obruti interiiſſent. Fuſius haec deſcribuntur in ſequenti numero.

9) *Alia narratio eiuſdem eruptionis montis Veſuuii; in litteris* Cl. FRANC. HASKINS EYLES STILES ad Cl. DAN. WRAY. p. 41.

10) *Excerpta ex litteris* Cl. ROB. MACKINLAY ad Ill. Comitem DE MORTON, *Romae datis, nono ianuario* 1761, *quae nuperam montis Veſuuii eruptionem atque antiquam Veneris ſtatuam Romae repertam concernunt.* p. 44.

11) *Cl.* T. W. *epiſtola ad Cl.* WILL. BRAKENRIDGE, *de termino et periodo vitae humanae, qua luculenter oſtenduntur errores, in ordinando pro Breslauia ex tabulis* HALLEYI *calculo facti, falſaeque inde deductae concluſiones, ſalubritas, quae in hac vrbe permagna iudicatur, hic examinatur et refutatur, ac verus illius ſtatus cum variis Angliae locis comparatur, et, demonſtrata imperfectione omnium tabularum ex* 1000 *vitis deductarum, methodus indicatur, ad quam multo accuratior tabula confici poſſit.* Quamuis vita humana, quae a tot tamque obſcuris pendeat cauſſis, nihil ſit incertius, ex quo tamen natorum ac mortuorum indices annui conditi et publicae luci expoſiti ſunt, ſagacibus admodum ratiociniis animaduerſum eſt, ex vniuerſis regionum, vrbium pagorumque incolis multitudini proportionalem vbiuis, ſi bella, peſtes, p. 46.

et

et contagia excipias, numerum hominum naſci ac mori, adeo, vt ex dato numero natorum vel demortuorum annuo in data regione numerus incolarum, et vice verſa ex numero incolarum dato determinari poſſit, non qui quidem, ſed quot hominum, per annum moriantur, et quae aetates morti maximopere obnoxiae ſint, quotue annis totus ille numerus euaneſcat. Poſt plurium Virorum Clariſſ. tentamina tandem MOIVREI ac HALLEYI, Geometrarum illuſtrium, in ſubtili hoc argumento tabulae tantam auctoritatem conſecutae ſunt, vt eruditi curioſiores eas ad ea loca reducere conentur, in quibus viuunt, alii contra ex collatione diuerſarum tabularum ea lege reductarum, vt caeteras, quas praeſtant, vtilitates taceamus, diſquirant, quaenam loca reliquis ſalubriora ſint. Reduxit, vt ex epiſtola ſuſpicamur, tabulas Halleyanas Doct. NEWMANNUS ad ciuitatem inclytam Breslauiam. Ex tabulis ita reductis pro Breslauia cum multis eruditis Cl. BRAKENRIDGE in ſuis de hoc argumento diſquiſitionibus, transactionibus inſertis, non ſolum pronunciauit, Breslauiam ſalubriorem eſſe Angliae ciuitatibus, inprimis vero Londino, ſed Breslauienſium etiam ciuium curam in tuenda ſobolis ſuae ſalute magnopere laudauit. Hoc aegre fert harum litterarum Auctor, atque omnia conquirit argumenta deſtruendae huic ſententiae inſeruientia. Vrget inprimis, terminum, quem HALLEYUS in tabulis ſuis ſuppoſuit, plane differre ab eo, qui ex indicibus natorum ac mortuorum annuis Breslauienſibus in reductione tabularum aſſumtus eſt. Cuius diuerſitatis cum neque D. NEWMANNUS in reducendis tabulis, neque BRAKENRIDGIUS in ferendo de ſalubritate Breslauiae iudicio aliquam habuiſſent rationem, concludit, priorem imperfectam feciſſe tabulam, poſteriorem in iudicio proferendo grauiter erraſſe. Plurima

tandem

tandem addit de hoc curioſo ac ſubtili argumento, quae nouis diſquiſitionibus latum aperire poſſint campum.

12) *Experimenta de retardando incremento nimio arborum frugiferarum, ad augendam fructuum copiam; in epiſtola* Cl. KEANE FITZGERALD ad Cl. PETR. COLLINSON. Vidit Cl. Auctor, arbores iuniores in ſolo fertili poſitas ad fertilitatem adduci poſſe, ſi pars corticis praecipuorum ramorum reſecetur. Tentauit igitur in quibusdam prunis et ceraſis, in loco fertili luxuriantibus, medio auguſto 1758 haec: corticem ramorum praecipuorum, trunco proximorum, pruni duplici inciſione circulari diſcidit, qua parte laeuis et ſine nodis erat, vtrasque inciſiones tres vel quatuor digitos diſtantes perpendiculari inciſione coniunxit, ſeparauit corticem a ligno, partem nudam et corticem ſeparatum obtexit, ne aer liber accederet, et poſt quartam horae partem, dum lignum ſtillabat, corticem accurate repoſuit, arctisque faſciis ſuperius et inferius conſtrinxit. Ceraſi caudicem ſimili modo decem lineas ſupra terras eminentem tractauit, nec minus varios ramos ceraſi *morelli*, et praecipuos ramos duarum prunorum *perdrigon*, quae vetuſtae luxuriantes quidem, ſed ſteriles erant. Intra menſem intumuit cortex ſupra et infra ligaturam, qua ſoluta omnia optime coalita inuenit, excepta vna pruno *perdrigon*, in cuius praecipuo ramo cortex repoſitus ex parte coalitus, reliqua ſoluta et delapſa erant. Omnia iterum leuiter deligauit vſque ad aeſtatis acceſſum, vbi omnia perfecta erant, effloruerunt et largos fructus protulerunt. Initio menſis auguſti 1759 idem expertus eſt in variis arboribus iunioribus, inprimis duarum iuniorum pirorum, quae nondum effloruerant, praecipuos ramos ſimili modo tractauit, quarum prior p. 71.

magnam

magnam fructuum copiam genuit, alterius ramus circumciſus mediocrem, reliquae arboris partes ne quidem effloruerunt. Deinde corticem in duabus variis malis accurate ſeparauit et vtrumque permutauit, vt alteri alterius corticem apponeret, qui perfecte accreſcebat, vtrisque ramis largos fructus proferentibus.

p. 75. 13) *Relatio de vrtica marina, in epiſtola* Cl. IOSEPH. GAERTNERI ad Cl. PET. COLLINSON. Reperit Cl. Auctor in littoribus meridionalibus Cornubiae varias vrticae marinae ſpecies nondum deſcriptas, quae a Cl. HUGHS Zoophyta appellantur. Cum vero tangentem vix pungant; non recte vrticae marinae dicuntur, et melius referri poſſunt ad genus *hydrae* LINNAEI, vulgo *polyporum*, cum 1) componantur ex gelatinoſa ſubſtantia, 2) cum vnum tantum orificium habeant, vſui alimentorum et excrementorum inſeruiens, 3) cum idem orificium obſitum ſit ſerie tentaculorum. Nec minus conueniunt cum hydra in rebus accidentalibus, cum degant in aqua, aliis corporibus firmiter adhaereant, lentiſſime moueantur, viuipara ſint, et creſcant, etiamſi pars quaedam abſciſſa ſit. Polypi in genere diuidi poſſunt in duas claſſes; priores enim irritati tentacula non celant, poſteriores ab irritatione ſe contrahunt.

Altera claſſis a varia poſitione tentaculorum, vel in membranaceo integumento, vel in corporis productione, floribus ſimili, vel in diſco polypi poſitorum, in tres ſpecies diſpeſcitur, 1) in *hydram calyciſloram*, 2) *hydram corolliſloram*, 3) *hydram diſciſloram*. Prior claſſis continet peculiarem ſpeciem, *hydram tentaculis denudatis numeroſiſſimis*, *corpore longitudinaliter ſulcato*, hic depictam. Corpus fuſcum eſt, tactu laeue, quamuis ſit ſulcatum, qui ſulci ſaepe in tres minores diuiduntur, et in marginem dentatum conti-

continuantur, qui corporis ambitum ſub inſertione tentaculorum circumdat. Numerus tentaculorum ex diſco ad pollicem vſque prominentium, colore viridi et in extremitate colore roſeo praeditorum, intra 120 et 200 eſt. Diſci color eſt fuſcus, os in centro poſitum varia diametro et figura. Sunt et aliae duae varietates, colore diuerſo tentaculorum.

Alterius claſſis primam ſpeciem facit *hydra calyciflora, tentaculis retractilibus variegatis, corpore verrucoſo.* Pedunculus cylindricus laeuis, colore carneo, ſuſtinet corpus animalis rotundum, a quo calyx vt membrana continuata oritur, cuius externa ſuperficies et corpus animalis paruis protuberantiis albis obſitum eſt, interna calycis ſuperficies varias ſeries tentaculorum continet, quae maiora ſunt verſus diſcum, quam ad marginem calycis, et transparentia; diſcus ſtelliformis eſt, colore mixto ex fuſco, flauo, cinereo et albo. Hic polypus ſe contrahens corpus in hemiſphaerium irregulare mutat. Altera ſpecies eſt *hydra corolliflora, tentaculis retractilibus frondoſis.* Hoc animal, contractum erucae ſimile, tegitur cute nigro alba, orificium eius in craſſa corporis extremitate inuenitur, in oppoſita adſunt quinque parui denticuli cauum circumdantes. Superficies cylindrici corporis ſex duplices ſeries habet nodorum perforatorum, qui in paruos cylindros extendi poſſunt, quibus animal ſe figere et antrorſum ſe mouere poteſt. Caput, figura ouali vel hemiſphaerica, vacuum eſt et conſiſtit ex fuſca membrana, qua ſimul octo vel decem tentacula inueſtiuntur, quae foramen ſummitatis capitis circumdant, et in varia brachia diuiduntur, multis papillis inſtructa. Hoc animal in fundo maris viuit. Tertia ſpecies eſt *hydra diſciflora, tentaculis retractilibus ſubdiaphanis; corpore cylindrico, miliaribus glandulis longitudinaliter ſtriato.* Corpus ſi extenditur, eſt figura cylindrica, nonnullis

ſeriebus rectis glandularum obſita, quarum vnaquaeque conſtat tribus lineis glandularum, quarum media craſſiſſima eſt. Raro pauciores quam octo ſeries adſunt. Baſis cylindri eſt roſea, reliqua pars flaua, cum cinereo mixta, glandulae colore corporis, media linea ſerierum ſemper alba eſt. Ex diſco polypi proficiſcuntur tentacula octodecim ad triginta ſex, ſubſtantia ſemi transparente, colore albido, ſuperius variegato cum maculis fuſcis. Diſcus conuexus eſt, colore aurantiorum, ambitu maculis fuſcis referto. Animal irritatum in conoideam figuram contrahitur; in rimis rupium marinarum habitat. Vltima ſpecies eſt *hydra diſciflora, tentaculis retractilibus, extimo diſci margine tuberculato.* Color corporis aeſtate ruber eſt, in fine autumni obſcure viridis vel brunus fit, ſuperficie externa laeui; tentaculis in diſcum inſertis varii coloris; inter haec et membranaceum integumentum eſt ſeries tuberculorum hemiſphaericorum vario colore, quae in ambitu diſci poſitae ſunt. Omnes hi polypi aere accurate expreſſi hic conſpiciuntur.

p. 85. 14) *Catalogus 50 plantarum horti Chelſeiani, Societati Regiae exhibitus a Societate pharmacopoeorum per Cl.* IO. WILMER.

p. 89. 15) *Relatio de cicuta, a Cl.* STOERKIO *commendata*, Auctore Cl. WIL. WATSON. Tres inprimis plantae ſaepe cum cicuta maiori, ad vſum medicum praecipue apta, ob ſimilitudinem confundi ſolent; 1) eſt *cicutaria vulgaris*, in nonnullis Angliae partibus *cow-weed*, in aliis *wild cicely* dicta, quae vernali tempore cicutae ſimilis eſt, priusquam illius petioli maculis purpureis referti ſunt, cicutae tamen odor fortior eſt, folia magis diuiſa et colore viridiori, quam folia plantae *cow-weed*, quae praeterea iam inter

inter aprilem et maium floret, cicuta demum iunio. Pedunculi cicutae ſunt glabri et maculati, ſemina anguſta, ſulcata, in medio craſſa, in altera pedunculi ſulcati et tomentoſi inueniuntur, ſemina longa, glabra, nigra. 2) *Cicuta minor* PARKINSONI, vel *cicutaria tenuifolia* RAII, aeſtate et autumno ſaepe pro cicuta habetur, a qua differt ratione foliorum, quorum color et figura cum petroſelino conuenit, pedunculi non maculati ſunt, et deficit odor peculiaris cicutae. 3) *Myrrhis ſylueſtris ſeminibus aſperis* C. BAUHINI, verno tempore facile cum cicuta permutari ſolet, a qua differunt myrrhidis folia maxime diuiſa et minus viridia, odor eſt debilis et deſunt maculae; ſemina cylindrica, aſpera, in apicem terminantur. Folia cicutae colligantur tempore ſicco, medio maio, dum caules floriferi progerminant, odor fragrans venenatus iam adeſt, et petioli maculis purpureis referti. Ad haec inprimis reſpiciendum eſt ob clima, ſolum, ſitumque diuerſum, quippe quod cicutae radix diſciſſa in Anglia nunquam ſuccum lacteum praebet, qui emanare a STOERKIO dicitur.

16) *Deſcriptio anthelii, prope Oxonium obſeruati, data in litteris* Cl. IO. SWINTON ad Cl. TH. BIRCH. p. 94. Anthelii ex eo phaenomenorum genere ſunt, quae raro apparent. In transactionibus non niſi duorum antheliorum ab HEVELIO Gedani 1661. d. 10 ſept. et a WEIDLERO in Saxonia 1738. d. 18 ian. obſeruatorum deſcriptiones occurrunt. Tertium hic deſcriptum ac aeri inciſum, die 24 iulii 1760 circa 10 horae minutum poſt ſeptimam horam tempore veſpertino, vidit Cl. SWINTON Cudſdena Oxonium reuertens. Sol verus in regione occidentali erat ac tenuis nubecula eius radios paululum minuebat, in regione oppoſita vero ſplendebat pſeudoſol, nube

atra circumdatus, cuius magnitudo ac ſplendor, quamuis pro diuerſo athmoſphaerae ſtatu continuo diuerſus eſſet, veri tamen ſolis magnitudinem et ſplendorem exaequabat, diſcus vero anthelii non aeque bene terminatus erat ac ſolis diſcus.

p. 98. 17) *Relatio producti naturae Dumbari in Scotia, ſimilis illi in Giants-Cauſeway Hyberniae reperiundo*, ab S. V. RICHARD. Hic deſcribitur portus Dumbaricus, inter duas rupes ſitus, quarum vna eſt promontorium, cuius ſumma pars conſiſtit ex lapide rubro, duro, et lapidi quadrato ſimili, qui ſiſtit pilas trium laterum ad octo vſque, ſubſtantia albo rubra ſelenitica inuicem mixtas, et ex laminis horizontalibus conſtantes, iuncturis inaequalibus, maculis et venis lapideis albis.

p. 99. 18) *Narratio memoratu digni phaenomeni Oxonii obſeruati, in litteris* Cl. IO. SWINTON ad Cl. TH. BIRCH. Viceſimo primo ſeptembris 1760 verſus veſperam ab horae ſextae 40 minuto vſque ad ſeptimae horae 25 minutum Cl. Auctor conſpexit meteoron nunquam antea viſum, cuius icon aeri inciſa eſt. Atra enim nubes, columnae ex denſiſſimo fumo formatae inſtar, horizonti ad perpendiculum inſiſtens, ſenſim ſenſimque zenith verſus prouoluta, tandem verſus oppoſitam coeli partem ſe extendebat. Ea parte, qua horizonti proxima erat, aliquot gradus lata fuit, reliquae partes tanto latiores viſae, quo propius ad coeli punctum verticale accedebant. Circa horam ſeptimam in circularem fere haec columna orbem commutata iridem retuliſſet, niſi illum eius colores ab ea diſtinxiſſent; inferiores enim partes atrae, altiores ſubfuſcae atque albae apparebant; margines vero ſubflaui primum valde laeuigati ac bene terminati erant, deinde autem irregularis figurae.

rae. Cum hoc phaenomenon per aliquot horae minuta lunam conſpectui plane ſubduxerit, et in locis ab Oxonio quinque quinimo duodecim milliaria diſſitis eodem tempore obſeruatum fuerit: facile apparet, quantae denſitatis, quantaeque altitudinis fuerit. Cl. SWINTONUS illud inter tubas turbineas terreſtres referendum eſſe docet, tantoque magis admirandum eſſe, quanto magis conſtat, tubas turbineas marinas nunquam in mare circa aquam, multoque minus terreſtres Oxonii fuiſſe obſeruatas.

19) *Relatio de nonnullis productis naturae in Scotia, ſimilibus illis in Giants-Cauſeway in Hybernia deprehendendis, in Epiſtola* Cl. EM. MENDEZ DA COSTA ad S. V. RICHARD. In Inſula Cana rupes portus in pilas polyedras eriguntur verſus meridiem, et in fine occidentali Inſulae adeſt rupes humilis, vbi inuenitur pauimentum e lapidibus hexagonis recte compoſitum, vnius pedis et nouem pollicum, cui ſubiacet ſimile pauimentum. Conuexitas pilarum deorſum, concauitas ſurſum ſpectat. p. 103.

20) *Elementa tabularum nouarum de motu ſatellitum Iouis, in epiſtola* Cl. RICH. DUNTHORNE ad Cl. CAR. MASON. p. 105.

21) *Diſſertationem de zoophytis Regiae Societati Scientiarum Angliae ad legendam et diiudicandam tradit* IOB. BASTER. Zoophyta et plantae et animalia ſunt, quippe quae radice corpori cuidam adnexa creſcunt, et tacta ſe affici ſentiunt, eſcamque occurrentem membrorum motu arripiunt. Duo eorum genera poſuit LINNAEUS, dura ſiue lapidea, vel mollia, quibus falſo adnumerat pennatulam, hydram, taeniam, voluocem, cum nec radicem habeant, nec p. 108.

corpori adhaereant, et mera animalia ſint. Corallia ſunt plantae e conferuarum genere, in quorum apicibus non polypi, ſed ſemina cellulis incluſa reperiuntur, id quod detexit Cl. Auctor in *corallina dichotoma, capillari, articulis cylindricis, breuiſſimis, dichotomis, ſubclauatis*, LINNAEI no. 7. *in corallina dichotoma, capillari, articulis omnibus clauatis*, LINN. no 8. *in corallina capillari, inferne pinnata, articulis cylindricis*, LINN. no. 9. Putat deinde, *penicillum*, ſiue *corallinam culmo ſimplici, ramis faſciculatis, faſtigiatis dichotomis flexilibus, inarticulatis*, LINN. no. 10. nec ad corallina, nec ad ſertularias, vel ad alia zoophyta pertinere, cum ſit vermis tubiphorus ex ſcolopendrarum genere. In ſertularia iam ab initio perfecta vegetatio obſeruatur, cum ouula tenerorum inſtar geniculorum ex corpore matris propullulent, increſcant, decidant, et, ſi lapidem vel aliud corpus durum offendunt, ei adhaereant, donec foetus excludantur. Ouuli teſta eſt vegetabilis, protrudens radiculas et breuibus articulis increſcens; internum oui eſt animale, ſimul cum teſta ramulos ſpargit, vnde flores ſiue polypi prodeunt, qui ſemina ſiue ouula pariunt. Eiuſmodi vegetationem per quatuor menſes obſeruauit in *ſertularia abietina*, ſiue *ſertularia denticulis ſuboppoſitis tubulatis, calycibus oualibus, ramulis alternis* LINNAEI no. 5. Impoſuit enim ſertulariam in vitrum aqua marina plenum, quam in dies bis mutauit, et intra quatuor hebdomadas apex extendebatur et polypus enatus eſt. Idem obſeruauit in polypis plumaceis, qui vero in mari magis, quam in aqua dulci, creſcunt.

p. 119. 22) *Narratio inuſitati phaenomeni Doretſhirae obſeruati; in litteris* Cl. IO. STEPHENS ad Cl. EM. MENDEZ DA COSTA. Menſe auguſto 1751. cum tempeſtatem per aliquot tempus calidam et aridam exce-

excepit largior pluuia, colles Charmoutho propinqui, ac Dorſetſhira verſus auſtrum proſpicientes, mutata hac athmoſphaera ſubito fumare coeperunt, breuique poſt ſubtili quidem, ſed viſu percipienda flamma, per aliquot dies continuo arſerunt. Poſthaec ſemper quidem fumum emiſerunt, ſed interdum tantum ac per interualla arſerunt vſque ad hiemem. Sequenti tempore, quoties largius, inprimis cum tonitru ac fulgure, pluerat, vel ventus notozephyrus ſeu africus (qui fluctus marinos contra colles hos tanta vi propellit, vt ſaepe numero ingentes eorum partes proſternat,) flauerat, toties ſemper idem phaenomenon apparuit. Cl. STEPHENS perſcrutando anno 1759 interiorem compagem horum collium, illico magnam in iis pyritarum copiam inuenit, qui quidem non conſtituebant aliqua ſtrata regularia, ſed diſperſi, interpoſita terrea maſſa, aceruatim iacuerunt; porro inuenit magnam copiam marcaſitarum, quae fere decimam partem ſulphuris continebant, cornuum ammonis, aliorumque conchyliorum cruſta ex materia pyritarum conſtante circumdatorum, et belemnitarum ſimili materia obſitorum. Colles, qui ad duo milliaria fere excurrunt, a ſuperficie vſque ad libellam maris 35 vſque 40 pedes profundi, fundo inſiſtunt argilloſo atri coloris, bitumine valde impraegnato. Curioſitate ductus Cl. Auctor ex hac collium materia centum libras collegit, eamque coaceruatam aerique expoſitam quotidie aqua humectauit, vnde poſt decem dies calor exortus eſt, breuique poſt aceruus per aliquot horas exarſit, donec omne phlogiſton in eo conſumtum eſſet. In fine tractationis exinde et rationes huius phaenomeni redduntur, et variae concluſiones, quae montes igniuomos, terraeque motus et thermas concernunt, deducuntur.

 23) *Ad-*

p. 123. 23) *Additamenta de quibusdam laminis vitri albi in Herculaneo repertis*, *ex epiſtola* Cl. IO. NIXON. ad Cl. CAR. MORTON.

p. 135. 24) *Deſcriptio Cephi* (*Cepphus*) *ex litteris* Cl. LYSENS ad Cl. ROBERT. MORE. ALDROVANDUS quidem iam deſcripſit hanc auem maſculam, a qua differt haec foemina, cum latera mandibularum non purpurea ſint, nec oculi ex parte rubri, nec circa oculos orbis albus, ſed potius ſemicirculus variegatus, femoribus, alias viridibus, hic coeruleis, pedibus et membranis digitos connectentibus in mare fuſcis, in foemina ex parte nigris.

p. 140. 25) *Excerptum ex indice dioeceſeos Holy Croſs dictae in Salop, a die Michaelis* 1750 *ad diem Mich.* 1760. a Cl. ROB. MORE *communicatum.*

p. 141. 26) *Relatio terrae motus*, *qui Vlyſſipone die* 31 *martii* 1761 *contigit; in litteris ex ea ciuitate die* 2 *apr.* 1761 ad Cl. IOSEPH SALVADOR *datis.*

p. 142. 27) *Alia eiuſdem terrae motus narratio*, *in litteris* Cl. MOLLOY ad Cl. KEANE FITZGERALD.

p. 143. 28) *Continuata relatio caſus* Cl. WIL. CAREY, *cuius muſculi oſſeſcebant. In litteris* Cl. WIL. HENRY ad Ill. CADOGAN. Initio ſaliuatione vſus eſt, et emplaſtra mercurialia bono cum ſucceſſu brachiis et articulis impoſuit. Poſtea per aliquot menſes balnea marina adhibuit bis ſingulis diebus, ac deinde proſpero cum effectu corpus et articulos fricauit cum ſucco quercus marinae; ſic ſanitatem quidem recuperauit et vſum articulorum oſſificatorum, atque genuum callus ita ſoluebatur, vt viginti milliaria anglica vno die conficere poſſet: attamen

duri.

durities brachiorum et muſculorum ad carpum vſque continuatur, quamquam non amplius increſcit.

29) *Deſcriptio noui thermometri atque barometri, data in litteris* Cl. KEANE FITZGERALD ad Ill. Comitem DE MACCLESFIELD. Thermometri huius deſcripti metallici, quod iuxta SMEATHONI tabulam expanſionum metallorum ingenioſiſſime excogitatum atque adornatum eſt, et quod ex ſententia Auctoris multo maiora prae reliquis thermometris commoda habet, ideam aeque ac barometri, ab aliis plane diuerſi, vix aliter quemquam conſecuturum putamus, quam accurata omnium partium ea conſtituentium collatione cum ſchematiſmis ab Auctore ſuppeditatis, attentaque totius machinae thermometri ac barometri conſideratione. p. 146.

30) *Narratio terrae motus in Inſula Madeira die* 31 *martii* 1761 a Cl. TH. HEBERDEN *data, et a* Cl. WIL. HEBERDEN *communicata.* p. 155.

31) *Relatio de tractatu latine ſcripto et Societati Regiae tradito, hoc titulo* *): de admirando frigore artificiali, quo mercurius eſt congelatus, diſſertatio, cet. a I. A. BRAUNIO, *per* Cl. WIL. WATSON. p. 156.

32 - 48) *Variae hic enarrantur obſeruationes, quae tranſitum Veneris die* 6 *iunii* 1761 *concernunt, et a celeberrimis Aſtronomis Londini, Oxonii, Pariſiis, in Inſula Sanctae Helenae, in Suecia, Conſtantinopoli, in Sibiria, Lugduni Batauorum, et in aliis locis factae ſunt.* p. 173 - 255.

49) *Caſus aegri, ex cuius vrethra calculus magnus per perinaeum exiit, cum Societate Regia communicatus* a Cl. IOS. WARNER, *cui hunc commentarium miſerat* Cl. p. 258.

 FRE-

*) vide Comment. noſtr. Vol. X. Part. II. pag. 212.

FREWEN. Nauta, 76 annorum, a ſex vel ſeptem annis doloribus calculi in dies auctis vexabatur; apparuit in latere dextro perinaei verſus ſcrotum tumor durus, increſcens, et partes ita extendens, vt tandem dilacerarentur, et calculus inſignis hic depictus prodiret; vrina deinceps ſemper ex hoc vulnere contracto et calloſo egreſſa eſt. Alius, viginti duorum annorum, per aliquot annos inſignes dolores calculi pertulit, donec tandem perinaeum poſt inflammationem disruptum eſt et calculus egreſſus, altero calculo in vrethra relicto, quem Cl. Auctor hac diſtenta exemit; labia vulneris ſutura vnita intra quatuordecim dies coaluerunt.

p. 264. 50) *Relatio caſus pueri, qui vtrumque malleum et vnum ex incudibus amiſerat, communicata* a Cl. PHIL. MORANT. Accidit hoc malum poſt febrem inflammatoriam malignam putridam, cum cutis eruptione ſcarlatina, tumore, dolore, et obſtructione naſi coniunctam; neſcit vero, vtrum membrana ſit deſtructa, an ita relaxata, vt oſſa haec deciderint; auditus tamen maxima ex parte periit. Adfuit fortaſſe abſceſſus tympani, quod inde deſtructum eſt.

p. 265. 51) *Obſeruationes, quae corpus Regis mortuum concernunt*, a Cl. FRANCISCO NICHOLLS. Humi proiectus ſine ſenſu et motu inuentus eſt in conclaui, cum leui contuſione temporis dextri, nec ſanguis amplius e ſecta vena emanauit. In ſectione cadaueris viſcera abdominis integra et ſana apparuerunt, praeter nonnullas hydatides renum; cerebrum ſanum erat; nec ſanguis ibi extrauaſatus; pulmones nec inflammati, nec ſcirrhoſi, attamen pericardium a ſanguine coagulato diſtendebatur, et in media parte lateris ſuperioris ventriculi dextri cordis orificium rotundum craſſitie digiti minimi conſpiciebatur, per quod

quod omnis ſanguis ventriculi dextri in cauum pericardii tranſiit, et cor ita compreſſit, vt ſanguis venarum ad auriculas mitti non poſſet, eaeque vna cum ventriculis vacuae inuenirentur. Cum igitur cor nullum ſanguinem ad cerebrum mitteret, ſtatim omnes animales et vitales actiones ceſſarunt, et mors ſubita ſecuta eſt. Duplex itaque oritur quaeſtio: 1) cur dextrum latus cordis ſanguine tantopere repletum ſit, vt rumperetur? 2) cur ſanguis potius diſruperit ventriculum fortiorem, quam auriculam debiliorem? In trunco aortae aderat transuerſa fiſſura membranae internae pollicis vnius et dimidii longitudine, per quam tranſiens ſanguis ſub tunica externa ecchymoſin fecerat, quae principium aneuryſmatis declarabat. Haec diſtenſio aortae profecto iam diu adfuit et debilitatem arteriae pulmonalis et ventriculi dextri iam ab initio excitauit, ipſam autem aortam in ruptura ventriculi violentam diſtenſionem ſuſtinuiſſe, ex recenti fiſſura aortae apparet, in qua diſtenſione proxima cauſſa latet, cur ventriculus nimio ſanguine onuſtus rumperetur. Cauſſa proxima diſtenſionis aortae fuit compreſſio abdominis in deponenda aluo. Alteram quaeſtionem ſoluunt duae res, 1) textura, connexio, et capacitas pericardii, quae vix maior eſt, quam vt cor contineat, dum duo eius caua repleta ſunt, duo autem vacua, 2) ordo, in qua acciderunt hae nimiae diſtenſiones vtriusque arteriae et cauitatum cordis. Prima diſtenſio profecto accidit in aorta, et arteria pulmonalis ſuffecit, ad impediendum ſanguinis exitum ex ventriculo dextro et arteria pulmonali, et nimis extendenda haec caua, vt ideo eodem tempore hae duae arteriae magnae et ventriculus dexter nimis extenſus ſit, et pericardium tertiam partem vltra modum continuerit. Dum itaque circulus ſanguinis in pulmonibus ceſſabat, auricula et ventriculus

ſiniſter

ſiniſter contracti manſerunt, vt interea ventriculus dexter, maius ſpatium in pericardio inueniens, tantopere impleri potuerit, donec rumperetur. Adiectae ſunt icones huius cordis rupti.

p. 275. 52) *De inaequalitatibus motuum planetariorum ex mutua planetarum attractione ortorum, demonſtratis in litteris* Cl. CAR. WALMESLEY ad Cl. CAR. MORTON.

p. 336. 53) *Recenſio tractatus gallici, Societati Regiae transmiſſi, cui titulus:* Lettres ſur l'Electricité, Auctore Abb. NOLLET, a Cl. WIL. WATSON.

p. 344. 54) *Caſus viri, cuius cor inſigne volumen habuit,* a Cl. RICHARD. PULTENEY, *communicatus* a Cl. WIL. WATSON. Vir, 33 annorum, in pueritia rhachitide debilitatus, a refrigerio incidit in pleuritidem, paulo poſt in rheumatiſmum verum vehementem, quo ſedato thermis bis vſus eſt, anxietate autem, animi deliquiis et palpitatione cordis vlterior earum vſus impediebatur; rheumatiſmus pectus et genua vehementer affecit, pulſus mollis ac celerrimus, palpitatio cordis inſignis, et inprimis ſomni defectus adfuit, nec niſi lateri ſiniſtro ob ſuffocationis metum incumbere potuit. Debilitas eius vnam tantum venaeſectionem, ſed bono cum ſucceſſu, permiſit. Accedit ſenſim hydrops, tuſſis, aſthma, haemoptoes, mors. Cauitas abdominis in ſectione continuit liquorem fuſcum tenuem, ventriculus et inteſtina erant valde inflata, pulmones ſani, ſanguine turgentes pleuraeque adhaerentes; pericardium vbique firmiter cohaeſit cum corde permagno, pallido, textura maxime flaccida. Totum cor aneuryſmaticum viſum eſt, parietibus vbique tenuibus, ipſaque aorta valde laxa fuit, minime tamen concretiones poly-

polypoſae inueniebantur. Cor, abſciſſis vaſis maioribus, 28 vnciarum pondere fuit.

55) *Narratio quorundam de electricitate experimentorum, facta in litteris* Cl. EDUARD DELAVAL ad Cl. BENIAMIN WILSON. Ingenioſiſſimus DELAVAL per experimenta quaedam Vol. LI. Ph. Tr. deſcripta, lapides aliasque res ex terra confectas, per diuerſas methodos, ac inprimis per diuerſos caloris gradus ex non electricis fieri electricas docuit. Quod cum eruditorum nonnulli ita interpretarentur, eam mutationem corporum non immediate a calore pendere, ſed potius ex omnis humoris euaporatione conſequi, quae accedente calore neceſſario contingit. Huic ſententiae erroneae obuiam iturus ſequens in medium profert experimentum. Si tubulus vulgaris ſugendae herbae Nicotianae adaptatus vel aliud corpus tenue eiusdem ſimilisque materiae igniatur, vſque dum rubeat ex calore, tum materiae electricae propagandae aeque aptum eſt, ac ſi frigidum fuerit. Refrigeſcens deinde ſenſim ſenſimque eum caloris gradum conſequitur, in quo maximam electricitatem exſerit; poſt vero paucioribus quam duobus horae minutis omnem perdit electricitatem, quamquam nondum plane frigidum factum eſt. Ecquis eo interuallo temporis eam humiditatem deſtruendae electricitati ſufficientem imbibiſſe arbitrabitur? Praeterea ad haec experimenta nullum ex eo corporum genere adhibitum, quae humiditatem aeream ſubito attrahunt. Secundum experimentum deſumit Cl. DELAVAL a corpore, in quo per calorem effectus priori plane contrarius ac oppoſitus producitur. Etenim gradus caloris, ad conciliandam aliis corporibus electricitatem neceſſarii, hoc corpus efficiunt non electricum. Eſt illud corpus cryſtallus Yſlandica ex duplici, quam in ea lucis radii patiun-

P. 353.

patiuntur, refractione, notiſſima, in qua haec phaenomena conſpiciuntur. Si in aere moderati caloris fricatur, aliqua vix notabilia electricitatis indicia exhibet, deinde increſcens calor ad paululum maiorem gradum eo, quem in manu obſeruamus, omnem plane electricitatem deſtruit, tandem refrigefactus lapis hanc denuo conſequitur. Cl. DELAVAL fruſtum huius cryſtalli vaſi, mercurio repleto ac glacie circumdato, impoſitum per duas horas caute poſthaec, ne aliquem a manu reciperet calorem, extractum fricauit, ac in eo tum eam electricitatem animaduertit, quam nullo alio tempore; poſtquam vero eum in foco ad diſtantiam ignis aliquam per aliquot minuta conſtituerat, electricitas eius tota deſtruebatur, nec frictione aliqua eius ſigna produci poterant. Hinc Auctor concludit, duo diuerſa dari corporum ſolidorum genera, quorum vnum calore conſequitur electricitatem, quo eodem alterum hanc amittit, cum tertium corporum genus, vt vitrum, cet. per omnes caloris gradus, in reliquis neceſſarios, eandem retineat.

p. 357. 56) *Relatio de encrino cum ſtipite articulato, in littoribus Inſulae* Barbados *reperto, qua declaratur, ad quodnam genus animalium referenda ſint foſſilia, quae dicuntur ſtar-ſtones, aſteriae et aſtropodia in pluribus huius regni partibus inuentis: in litteris* Cl. IO. ELLIS ad Cl. EM. MENDES DA COSTA. Eſt *encrinus capite ſtellato ramoſo dichotomo, ſtipite pentagono equiſetiformi;* ſtipes longitudine tredecim pollicum, diametro tertiae pollicis partis, decreſcit paululum in ſummitate, e vertebris pentagonis teſtaceae ſubſtantiae conſtat, tenui cartilagine coniunctis, vnde pendet motus animalis. E centro capitis tranſit canalis per centrum omnium vertebrarum ſtipitis; in diſtantia vnius pollicis et vltra multae ſeries, e quin-

que

que brachiis cylindricis articulatis verticillatim compoſitae, obſeruantur, quae in quinque cauitates vertebrarum inſeruntur; articulus quilibet longitudine et diametro duodecimam partem pollicis aequat, et centrum articulorum coniungit canalis cum centro trunci; interior ac inferior ſuperficies articulorum quatuor tubercula oſtendit, ſubſtantia teſtacea. Nonnullae vertebrae magis eminent, et anguli in globulos paruos deſinunt, qui maiores ſunt in vertebra capiti proxima, ipſaque craſſitie a reliquis vertebris differunt, et valde exiguae fiunt verſus caput. Id, quod dicitur caput, eſt calyx oualis, ſubſtantia cruſtacea, in centro ſtipitis haerens, 1 $\frac{3}{4}$ pollicis longus, et $\frac{1}{4}$ poll. profundus, in cuius centro eſt cauitas, fortaſſe cum parte interna vertebrarum ſtipitis connexa, vbi ventriculus et inteſtina animalis haerere videntur. Suſtinetur vero calyx ſex brachiis dichotomis teſtaceis, quorum ſingulorum baſis tribus articulis conſtat; vnumquodque brachium diuiditur in duo brachia articulata, inferius conuexa, ſuperius plana, cum ſulco profundo in medio aſcendente, et duabus ſeriebus tentaculorum obſito, vt in aſteriis. A margine ſuperiori articuli medii brachiorum proueniunt duae ſeries vnguium tenuium articulatorum, digitis ſimilium, ſemipollicem longorum et in apicem deſinentium, qui etiam in conuexa parte duas tentaculorum ſeries continent. Addita eſt icon encrini aeri eleganter inciſa.

57) *Annotatio in locum quendam Editoris Ephemeridum Pariſ. quibus titulus:* Connoiſſance des Mouvements Celeſtes pour l'Année 1762. *facta in litteris* Cl. MATTH. RAPER ad Ill. Com. DE MACCLESFIELD. p. 366.

58) *Excerpta ex litteris* Cl. DE LA LANDE ad Cl. BEVIS *e gallico tranſlata.* p. 369.

59) *Ob-*

p. 371. 59) *Obſeruatio tranſitus Veneris ſub ſole die VI. iun.* 1761, *in Inſula* Rodriques, a Cl. PINGRE, *e gallico translata per* Cl. MATTH. MATY.

p. 378. 60) *Obſeruationes inſtitutae in* Promontorio Bonae Spei a Cl. CAR. MASON et Cl. DIXON *ad tempus medium reductae, cum appendice.*

p. 395. 61) *Latitudo Obſeruatorii in* Promontorio Bonae Spei, *determinata per obſeruationes diuerſarum ſtellarum* a Cl. CAR. MASON.

p. 396. 62) *Narratio obſeruationis tranſitus Veneris ſub ſole die VI. iun.* 1761 Madraſſi *in India Orientali* a Cl. WIL. HIRST *factae ac deſcriptae in litteris eiusdem* ad Ill. Com. DE MACCLESFIELD.

p. 399. 63) *Relatio de tractatu impreſſo, latino ſermone, et Regiae Societati tradito, hoc titulo*: de Veneris ac Solis congreſſu obſeruatio, habita in aſtronomica ſpecula Bononienſis Scientiarum Inſtituti, die 5 Iun. 1761. Auctore EUSTACHIO ZANOTTO; a Cl. NATHANAEL BLISS.

XIII.

Noua phyſico - medica.

Academia Scientiarum, elegantiorum litterarum et artium *Lugdunenſis* nuper in conuentu publico, qui poſt diem S. Ludovici celebratur *), non diſtribuit praemium, a b. CHRISTIN conſtitutum, quod promiſerat ei, qui artificium inueniret doceretque, corium adeo durandi et praeparandi, vt impenetrabile glandi plumbeae, e ſclopeto exploſae, et

*) vid. Comment. h. Vol. XI. p. 550.

et acutiſſimae ferri aciei reſiſtat; idem e contrario praemium denuo offert vel rei phyſicae peritis, vel artificibus hac in re verſatis, eosque inuitat, vt in rem propoſitam ſedulo inquirant.

Manhemi in congreſſu publico, qui nuper fuit die 17 menſis octobris, Scientiarum Academia Theodoro-Palatina ex omnibus ſcriptis, quae ad eam ſuper problemate phyſico in hunc annum propoſito *) miſſa fuerant, id praemio dignum cenſuit, cuius adiecta ſchedula nomen IOANNIS HENRICI A GRECHTSON *Saxonia ſuperiori oriundi* continebat. Fictum vero hoc fuit nomen, ſub quo delituit inclytus et ſcriptorum fama celebris vir, IOANNES HENRICUS GOTTLIEB A IUSTI, Regis Boruſſici metallorum Praefectus et ab eodem nuper demum rerum metallicarum et officinarum ferrariarum per omne regnum conſtitutus Director. Poſtulauerat Academia faciliorem minusque ſumtuoſum, cum ratione temporis tum ligni, atque vſu probatum modum ex cupri minera verum excoquendi cuprum.

Hac occaſione Eadem Academia nouas eruditis propoſuit quaeſtiones, quarum altera iterum ad rem phyſicam pertinet; quaeritur videlicet: num ſit res quaedam, ex qua perinde, ac e cobalto praeparari poſſet pigmentum illud coeruleum, quod ſmaltum dici ſolet? Quomodo res illa appelletur, et quo modo ſit praeparanda?

Reliqua problemata cum in hunc et ſequentes annos, tum primi ſecundique ordinis **) nos iam indicare meminimus, vt ea repetere ſuperfluum eſſet.

Virum

*) vid. Comment. h. Vol. XII. p. 163.
**) ibid.

Virum quendam ignotum elogio LUDOVICI DURETI optime conſcribendo praemium aliquod propoſuiſſe, idque Cl. CHOMEL reportaſſe, in ſuperioribus partibus *) indicauimus. Idem vir, vel alius, illius tamen exemplo incitatus, iterum praemium aliquod tricentorum ponderum gallicorum (300 *livres*) ſub iisdem legibus atque conditionibus obtulit Ordini Medicorum Pariſino, quod daretur ei, qui prae caeteris, optime ex illius ſententia in elogio quodam hiſtorico vitam, mores et doctrinam IOANNIS GUINTERI (*Winter*) *Andernaci* Doctoris Regent. Facultatis medicae Pariſinae, Archiatri Franciſci I. deſcriberet. Nunc vero relatum legimus, id accepiſſe LUDOVICUM ANTONIUM PROSPERUM HERISSANT, in Pariſina Vniuerſitate arti medicae deditum, qui in hac vitae deſcriptione plura attigiſſe dicitur, quae ad hiſtoriam medicinae variarumque illius diſciplinarum in hoc ſeculo, per vniuerſalem litterarum reſtaurationem celebrato, complendam pertinent. Vixit autem GUINTERUS ab anno 1487 vsque ad a. 1574. Statim ac hoc ſcriptum ad noſtras peruenerit manus, epitomen illius reddere lectoribus non morabimur.

Aliud et inſignius Idem Ordo Medicorum Pariſinus praecedenti anno accepit beneficium, quo ſimul copia ipſi data eſt, diligentiam induſtriamque diſcipulorum ſuorum excitandi, excitatam vero et pluribus ſpeciminibus probatam praemio adficiendi coronandique. IOANNES enim DE DIEST, Altenanus, Doctor Reg. Ordinis Med. Pariſini, ineunte anno praeterito 1764 mortuus, ſexagena millia ponderum gallicorum, (60000 *livres*) teſtamento legauit eidem Ordini, hac tamen lege, vt promittat atque in ſe recipiat, quolibet biennio dignitatem Licentiati

*) vid. Vol. XI. pag. 56. et Vol. XII. p. 366.

tiati et honores Doctoris. Regentis dicti, gratis impertire ei candidato, quem ex omnibus, qui beneficium hoc petituri ſint, digniſſimum haberent. Quod cum ratum habuerit Ordo, atque huic inſtituto annuerit ſumma regni Curia (*Parlement*,) Ordo haereditatem adiit die 13 menſis auguſti 1764. Vt vero nunc promiſſa ſoluat, nuper is notum fecit, ſe cuilibet ſuorum alumnorum concedere libertatem beneficium hoc petendi, ſi modo ea praeſtare valeat, quae fundatoris teſtamentum ab eo exigit. Qui itaque prima vice beneficii huius particeps fieri optat, eum oportet nomen ſuum in *Scholis Ordinis medici* ante vltimas dies menſis ianuarii anni proximi, 1766, profiteri, praeterea ſimul adferre 1) teſtimonium baptiſmale, vt liqueat eum iam annum vigeſimum ſecundum aetatis exceſſiſſe, 2) aliud, in quo duo viri ingenui, honeſti, et fama aliqua conſpicui, de eius morum integritate et fide catholico-apoſtolica romana teſtentur, 3) alia, quibus conſtet, cuiusnam doctoris aut magiſtri inſtitutione et qua in academia vſus fuerit, an etiam vniuerſitatis Pariſinae doctoribus operam dederit, et 4) ſi ſit peregrinus, etiam eas litteras, quibus ipſi a ſummo Magiſtratu iura indigenae fuerunt conceſſa. Omnes, qui hoc fecerint, deinde admittentur examini, quod ad inquirendum in eorum profectus ab vniuerſo Ordine medico ſuper cunctis artis medicae partibus inſtituetur, quo facto ex his ille eligetur, qui ipſi prae ceteris hoc beneficium mereri viſus fuerit.

Hagae Comitum Cl. I. HENRICUM VELSE, qui Cel. THOMAE SCHWENKE ſucceſſor erat deſignatus *), hoc munere ſe iterum abdicaſſe, neque dum conſtare, quisnam huic ſit ſucceſſurus, ex litteris ab amico acceptis cognouimus.

*) in hoc Volum. pag. 564.

Viennae Auſtriae munus Profeſſoris Anatomici, quo antea LAURENTIUS GASSER, cuius praematuram mortem nuper nuntiauimus, *) functus fuerat, nunc Vir Cl. MATTHAEUS COLLIN, Medicinae Doctor ſibi demandatum tertio menſis iunii huius anni eſt auſpicatus.

Nuper etiam *Berolini* Vir Cl. HERMANNUS LUDOVICUS MUZELIUS, Medicinae Doctor et Profeſſor, iuſſu Regis Boruſſorum in meritorum gratiam titulo *Conſiliarii intimi* ornatus eſt.

Academia vero, quae *Regiomonti* floret, nuperrime non exiguam fecit iacturam morte Viri Cl. IOANNIS CHRISTIANI LAUBMEYERI, Medicinae Doctoris, et qui inter Profeſſores eiusdem ſcientiae Ordinarios quintum occupabat locum. Occubuit autem die decimo tertio menſis octobris huius anni morbo, vt breui ſic atroci, vix octo dies cum eo conflictatus et quadrageſimum octauum aetatis annum nondum aſſecutus.

Inter praeclaras virtutes, quae Auguſtiſſimae Ruſſorum Imperatrici ſubditorum amorem et exterorum admirationem attulerunt, ea ſane eminet cura, qua valetudini omnium incolarum proſpicere ſtudet. Hunc enim in finem non ſolum Collegium quoddam Medicum Petropoli conſtitutum eſſe, alio tempore narrauimus **), cui incumbit, omnium per late patens imperium Ruſſicum rerum medicarum habere rationem, ſed nunc etiam, vt incrementum artis medicae atque chirurgicae quouis modo augeretur, neque deeſſet vtriusque artis tironibus opportunitas ſcientiae anatomicae acquirendae et ampli-

*) ſup. ead. pag.
**) Vol. XI. pag. 714.

amplificandae ex mandato Eius, praeterito anno, 1764, Moſcouiae conditum eſſe, legimus, theatrum anatomicum, in quo omnes anatomiae diſciplinas inpoſterum docere iuſſus eſt IOANNES FRIDERICUS ERASMUS, Medicinae Doctor et in eadem Academia Anatomiae, Chirurgiae et Artis Obſtetriciae Profeſſor Publ. Ord.

Maxima ciuium incolarumque copia inter praecipuas felicitatis prouinciae alicuius partes poni ſolet et, his vel maxime temporibus, incolarum numerum augere, et prouinciam aliquam florentiſſimam facere, plurimi principes arbitrantur vnum eſſe idemque opus, cui innumerae curae, exquiſita conſilia et ingenioſiſſima, ſaepe etiam callida, nec raro incaſſum, impenduntur adminicula. Mirari hinc conuenit, a pluribus id negligi, quod, ſapientiſſimi cuiusque iudicio, ſane non vltimum, quin praecipuum eſt, puta, curam ſobolis progignendae; in qua vel magnae etiam ſunt partes earum mulierum, quae parturientibus adſiſtere et opitulari ſolent, et quae rerum tunc agendarum et auxilii ferendi ſaepius ſunt ignariſſimae. Curare itaque, vt illae in hoc negotio, cui ſe fouerunt, rite inſtruerentur, vt haberent opportunitatem in conditis ad hunc vſum domibus publicis acceptam ſcientiam exercitio firmandi, et vt nullae huic negotio admitterentur, de quarum ſcientia et dexteritate non certo conſtaret: hoc puto conſilium eſſe populo augendo vtiliſſimum, certiſſimum nec impoſſibile. Qua vero in re in variis, Germaniae etiam, prouinciis multum huc vſque delictum fuit. Interim fuerunt etiam inter noſtros principes, qui, vt huic malo mederentur, magnis interdum ſumtibus omnem adhibuerunt operam, domosque exſtruendas curarunt, in quibus vel grauidae foeminae pauperculae, vel ſcorta enutri-

rentur parerentque, adeoque cum mulieribus tum artis medicae ſtudioſis occaſio ſubminiſtraretur, artem obſtetriciam rite ediſcendi. En laudabilis huius inſtituti nouum exemplum! Seren. Dux Brunſuicenſis iuſſit, domum ad eam rem *Brunſuigae* propediem exſtrui, in qua non ſolum artis medicae et chirurgicae tirones, ſed etiam mulierculae, quae ſe huic operi dari volunt, a Profeſſore Collegii Anatomico-Chirurgici ad praxin artis obſtetriciae manu quaſi ducerentur, et ipſi manus admoturi ſe in hac arte exercerent.

Varia*) iam aliis locis de fatis, quae variolarum inſitio in Gallia experitur, commemorauimus, plura ex eo tempore, quae ibidem hac in re acta fuerunt, comperimus, quae cuncta vero repetere nolumus neque poſſumus. Multis enim deeſt certa fides; aliis iam in publicis ſcriptis aperte contradictum fuit; alia nondum ſunt ita confirmata, vt de his dubitare non amplius liceret. Sic referebatur, Clariſſimum GATTI, acerrimum variolarum inoculationis defenſorem atque propugnatorem, poſtquam Sereniſſima Dux DE BOUFFLERS, cui ille variolas quondam per inſitionem tradiderat, altera vice, morbo nunc ſponte oborto, grauiter decubuiſſet, cito ſententiam ſuam mutaſſe, hunc morbi ſubeundi modum nunc damnaſſe, nec non pretium illud a Cl. CONDAMINE, vt dicebatur, propoſitum et Ill. viro DE BATAILHE DE FRANCES concreditum**), explorata nunc et demonſtrata morbi varioloſi bis accedentis veritate poſtulaſſe. Omiſſis potius omnibus iis narrationibus incertis, ea, de quibus conſtat, communicemus. Negari itaque non poteſt, Sereniſſimam Ducem de BOUFFLERS altera vice et ſponte quidem obortis labo-

*) Vol. XI. p. 558. Vol. XII. p. 171. 366.
**) ibid. p. 366.

laboraſſe variolis; ſed reticendum quoque non eſt, ipſam eandemque declaraſſe, ſe ex inſitione artificiali veras non habuiſſe variolas. Addi etiam conuenit, variolas has ſecundarias in quibusdam diariis Gallicis ſpurias appellatas fuiſſe, praeterea ſubeſſe et alias cauſſas, quae non permittunt, vt hoc exemplum euertendae inſitarum variolarum ſecuritati et praeſtantiae ſufficiat, nec vt Cl. GATTI eo adducatur, vt male hanc frequentiori, etſi non perpetuo, vſu probatam methodum oderit. Ex quo itaque iam liquet, fabellis eſſe annumerandum, quod Cl. GATTI praemium hoc propoſitum requiſiuerit. Quod multo certius exinde euinci poteſt, cum perſpicuum ſit conſtetque inter omnes, non Cl. CONDAMINE, ſed ipſum GATTI illam pecuniae ſummam depoſuiſſe, eamque et adhuc apud Ill. DE BATAILHE paratam reſtare. Quo ſane cum ingenuitatis Cl. GATTI et ſtudii veritatis inquirendae, non opinionibus occoecati, tum eius varioloſae inſitionis patrocinii, nondum prorſus mutati, grauius eſſe poſſe argumentum negamus. Scriptum autem, quod Summus medicorum Ordo a ſex medicis eiusdem ordinis conſcribendum et ferendae ſententiae ſuae, quam Summa regni Curia ab eo poſtulauerat, praemittendum curauit, nunc typis euulgatum eſt*). Licet vero id plurima conquiſita contineat, quae in vtramque partem non ſolum in pluribus ſcriptis variarum linguarum proſtant, ſed etiam, quae in variis acceptis litteris familiaribus nuntiata fuerunt, ab

*) Rapport ſur le Fait de l' Inoculation de la petite verole, lu en préſence de la Faculté de Medécine de Paris, et imprimé par ſon Ordre, pour être communiqué à tous ſes Docteurs, avant qu'elle donne ſur cette queſtion l'avis, que le Parlement lui a demandé par ſon Arrêt du 8 Iuin. 1763. a Paris chez F. A. Quillau. 1765. 4.

omni tamen partium ſtudio non prorſus alienum eſſe et magis partibus eorum fauere videtur, qui inoculationem diſſuadent damnantque. Omnium vero in eo prolatorum argumentorum ſumma eo redit, atque ipſi Cll. Auctores in fine eius ita concludunt, vt arbitrentur: *Ordinem medicorum Summum ſuper hac re nondum certi quid et irreuocabile ſtatuere poſſe, ſed tantummodo affirmare, theoriam eorum, qui inſitionem exercent, haud adeo firmo niti fundamento, praxin huius methodi non reſpondere eius theoriae, eam eſſe, certe adhuc, imperfectam et multis incommodis periculisque obnoxiam, vt itaque illius vſus nec poſſit ſuaderi nec concedi, et vt ſatius ſit, expectare et diligenter animaduertere, vtrum illae gentes, quae frequentius hac arte vtuntur, eam ad neceſſarium euehere poſſint perfectionis gradum, annon eaedem, experimentis ſaepe infelicioribus admonitae et auocatae, illam primae miſſam faciant, quod alio tempore iam feciſſent.* Sententiae huic ſubſcripta erant nomina GUILELMI IOSEPH. DE L'EPINE, IOANNIS ASTRUC, MICHAELIS PHIL. BOUVARD, THEODORI BARON, IACOBI VERDELHAN DES MOLES, HENRICI IACOBI MACQUART, virorum, quorum plurimi inoculationi aduerſantur *). Non obſtante vero hac ſententia, plurima ſuffragia ab Ordine hoc in conuentu generali, congregatis omnibus eius membris collecta, methodum hanc admiſiſſe, ſupra narrauimus **). Quid praeterea nuper in publicis diariis de infelici exitu variolarum, quibus poſt inſitionem nobilis quidam DE QUINSON, nepos Marchionis DE MIREBEAU laborauerit, et de grauiter decumbente ob variolas, bis inſitioni ſubiecta, ſorore argenterii cuiusdam non ignobilis, TOURTON dicti, relatum legimus, tam diu inter dubias referimus res, frequen-

*) vid. hui. Vol. P. I. p. 171.
**) ibid.

frequenter ſimilibus falſis narrationibus ſeducti, donec id vlterius fuerit confirmatum. In noſtris aeque ac propinquis regionibus variolarum inſitio ex aliquo tempore, non quidem prorſus quieſcere, tamen langueſcere videtur, poſtquam inter perplura experimenta, quaedam, etſi pauca, minus felicem habuerint exitum.

Memoria PETRI CHRISTIANI WAGNERI, Principis Brandenburgo Culmbacenſis Conſiliarii intimi et Archiatri, Collegii Medicorum Directoris, Baruthinae ciuitatis Phyſici primarii, Academiae Naturae Curioſorum, Societatis Botanicae Florentinae aliarumque Societatum Sodalis.

Non poteſt negari, eum medicum, qui quotidie in aula Principis verſetur, multis modis de patria bene mereri, cum non ſolum ſanitatem Principis, cuius ſingularem curam ſuſcepit, tueatur, ſed excitet aut confirmet ſubinde amorem eius erga literas et artes. Neque enim mirandum eſt, a medico, literis innutrito, his potiſſimum Principis fauorem conciliari, aut Principem amore et veneratione artium repleri, vnde tanta patriae commoda oriuntur. Ea de cauſſa ergo factum eſt, vt Culmbacenſis Princeps ſuaſu WAGNERI copioſiſſimum rerum naturalium theſaurum Baruthi colligeret et in dies augeret, qui magno cum conſenſu noſtrorum et exterorum inter praeſtantiſſimos totius Germaniae, et propter multitudinem, et propter pretium inſigne, refertur. Praeterea eius curam WAGNERUS ita geſſit, vt etiam ordo et iuſta ſingularum partium diſtributio omnibus probetur, et, quicumque adſpexerint, fateantur, ſe nihil facile in hoc ge-

nere exquiſitius et praeſtantius vidiſſe. In primis tum, cum ipſum Principis palatium incendio vaſtatum eſt, huius Viri labor et prudentia ſingularis omnia a vi flammarum integra ſeruauit. Quo autem laudabilius talia colliguntur, quoue vtilius in ordinem rediguntur, eo magis approbamus WAGNERI ſtudium, quod rem, maiorem fere priuato ſumtu, Principi ſuaſit, ac, ne quid ad publicam vtilitatem decusque deeſſet, ipſe non ſine multa induſtria effecit. Sed reſtat alia laudum materies, quam e temporum ordine collegimus.

Patriam habuit Curiam Variſcorum, vbi 1703 d. 10. Aug. natus eſt: parentes ADAMUM DANIELEM et BARBARAM MARGARETHAM SCHILLINGIAM: praeceptores TROEGERUM, KAPPIUM, LANGHENRICUM, MEIERUM, FICKWEILERUM, omnes Albertini gymnaſii in vrbe patria doctores. In academia Halenſi, quo ſe anno aet. 16 contulerat, WOLFIUM, THUMIGIUM, ZSCHACKWIZIUM audiit, medicos item, HOFMANNUM et ALBERTUM, anatomen et medicinam theoreticam atque practicam explicantes, denique BASSIUM in chirurgicis. Inſuper ingenium et aſſiduitas WAGNERUM ita vbique commendarat, vt a COSCHWIZIO in domum, arctiorem familiaritatem et liberalem diſciplinam admitteretur, coleretque apud eum botanica, anatomica, chemica, pharmaceutica, praxin clinicam et obſtetriciam artem. Neque tamen, etſi vel ſic ad officia medici ſatis paratus erat, prius in patriam reuerſus eſt, quam celeberrimis medicis Lipſienſibus, nominatim WALTHERI ſcholis anatomicis vſus eſſet. Non ita multo poſt, defenſa Halae diſputatione *de lapidibus Iudaicis*, a. 1725 Doctoris honorem cepit, conuentisque medicis Ienenſibus nobiliſſimis, Curiam repetiit, vnde mox Baruthum adire viſum eſt. Sed quoniam illo tempore

pore colonia Gallorum, Erlangam delata, medico egebat, linguae Gallicae perito, hortatu amicorum WAGNERUS ibi habitare coepit, probatusque celeriter omnium exſpectationi, et Gallis et Erlangenſibus aliquamdiu vtilem operam nauauit. Tunc fama Viri, FRIDERICO, Comiti Pappenhemenſi, nunciata, peperit ei dignitatem archiatri, conſiliarii et phyſici ordinarii totius principatus. Mortuo Comite, et amicis et literarum amori hoc dedit, vt Erlangam rediret, vbi honore conſiliarii et medici aulici a Principe Culmbacenſi auctus eſt. Quo quidem decore ita ſe deuinctum putauit, vt oblatum a Principe Onolsbacenſi munus archiatri declinaret. Nec ingrata fuit patria: cum enim FRIDERICUS Culmbacenſis vna cum archiatro Berolinum peteret, WAGNERUM interea filiae medicum adiunxit. Per quod tempus etſi vbiuis demonſtrauerat fidem ac doctrinam, tamen luculentiſſimum documentum acceſſit, poſtquam Principem et archiatrum, vtrumque eodem morbo decumbentem, ſanitati reſtituerat. Itaque creatus eſt conſiliarius aulicus, venitque cum WEISMANNO, ſocero, eodemque phyſico Erlangenſi, in muneris ſocietatem. Anno denique 43 ad dignitatem archiatri et phyſici ordinarii primi adſcendit, ideoque a. 45 Principem in itinere Gallico et Italico comitatus eſt, qui eum poſtea et a conſiliis intimis eſſe voluit, et medicorum collegio praefecit. Omnino autem virtutem ſingularem et ſtudium, quo fauorem omnium gratiamque Domini promeruerat, ſemper adiuuit fortuna quaedam, aut diuina potius prouidentia, ad quam WAGNERUS, magno et commendando pietatis ſenſu plenus, omnia retulit, tum inprimis illuſtris et admirabilis, cum Principes ſua cura grauiſſimis morbis liberauit. Nec dubitauit quiſpiam, qui praemia WAGNERI, huc vſque enumerata, conſiderauerit, quibus etiam

externa iungimus: nam ab Acad. Nat. Cur. Societate Bononienſi, botanica Florentina, Cortonenſi, Bauarica et acad. ſcient. in Monte Peſſulano ſocius electus eſt. Bis contraxit matrimonium, prius cum REGINA HEERIA, quod non diuturnum fuit, poſterius cum MARGARETHA WILHELMINA WEISMANNIA. E priore filios quatuor reliquit, quorum vnus medicinae Doctor eſt. Tempora vitae, ex quo muneribus admotus eſt, diſpertiit inter literarum ſtudia, ad quae dicitur inſatiabili amore ſe dediſſe, et aegrorum curationem, moleſtam illam ſaepenumero ob crebram vigilandi neceſſitatem, qua corpus paulatim frangi ſenſit. Tamen duplicem morbum grauiorem feliciter ſuperauit. Extremos annos moleſtiores reddidit nephriticus dolor, qui tum quoque rediit, cum ſedata erat diarrhoea diuturna, vno anno ante mortem orta. Et quamquam coeperat pro viribus negotia denuo tractare, tamen mox decubuit, tulitque aliud ex alio malum, nauſeam, inſignem laſſitudinem, paralyſin lateris, hydropem thoracis et abdominis, qui a. 1764 d. 8 Oct. Virum, Principi, patriae et nobis cariſſimum, vita profecto laudabiliter geſta, exſtinxit.

XIV.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1762 prodierunt.

Der in ſchweren und verwirrten Krankheiten vernünftig rathende und glücklich curirende Medicus, oder gründlicher Unterricht, wie in ſolchen wichtigen Fällen beſonders von jungen Aerzten Conſilia medica am ſicherſten können theils eingehohlet, theils auch fürnemlich nach Hoffmann- und Boerhaaviſchen Grundſätzen klüglich ertheilet werden. Erfurt. 8.

Kurze

Kurze Lehrſätze von den Entzündungsfiebern und derſelben Curart. Frankf. u. Leipz. 8

Eſſai ſur les Fievres aigues. a Bordeaux.

Nachricht von der Heilung der Biſſe von tollen Hunden. Nürnberg. fol.

Copia de lettre d'un amico Provinciale al D. BASSANI (*ſine l. et a.*) 4 mai.

Epiſtola, quam de vindiciis HAENII ad ALB. DE HALLERUM mittunt lippi et tonſores HAENII (*ſine l.*) fol.

Lettre a Mſr. BERNOULLI. a Paris. 12. (Cl. CONDAMINE, *qui Auctor eſt huius epiſtolae, controuerſiam narrat, quam de variolarum inoculatione habuit cum* GAULLARD, *hoſte inoculationis.*)

Fünf und zwanzig Geſpräche vom hohen Alter, nebſt einer leichten Anweiſung zu ſolchen zu gelangen. Aus des Herrn Archiat. VON FISCHER *lateiniſchen Tractat* de ſenio *ausgezogen, mit Zuſätzen erweitert und ins Deutſche überſetzt. Halle.* 8.

Sammlung chirurgiſcher Bemerkungen, aus verſchiedenen Sprachen überſetzt. 3ter Theil. Altenburg. 8. *m. K.*

Chirurgiſcher Operationen Erſtes Stück: von der Onkotomie. Leipz. u. Roſtock. 8.

Abregé de l'Embryologie ſacrée, ou Traité du Devoir des Prêters, des Médecins et autres, ſur le Salut eternel des Enfans, qui ſont dans le ventre de leur mere. a Paris. 12. (*Auctor huius epitomes eſt Abb.* DINOUART, *quam ex opere italico* Cl. CANGIAMILA, *Doct. Theol. compoſuit.*)

ANDREAS ADAMI, Diſſ. inaug. exhibens partem tertiam formularum. Vindobonae. 8.

Recueil de differents memoires ſur la Tourmaline, publié par M. FRANC. ULR. THEOD. AEPINUS. a St. Petersbourg. 8.

B. S. ALBINI de ſceleto humano liber. Leidae. 4.

P. I.

P. I. AMOUREUX Diſſ. tentamen de noxa animalium. Auenione. 4.

ANGERMANNS *neue und auf eine lange Erfahrung gegründete Anweiſung zum Seidenbau. Helmſt.* 8.

Oſſervazione di due Lacertole acquatiche, o Salamandre, uſcite da Baſſo Ventre di un Fanciullo di Tortona, data in luce da CASIMIRO ANINO. Aggregato al Collegio di Chirurgia nella R. Univerſita di Torino, e Ceruſcis Maggiore nel Reggimento della Guardie di S. M. in Torino. 4.

SAM. AURIVILLII Diſſ. inaug. de eryſipelate, Reſp. *Iſaac Suenſſon.* Vpſal 4.

A Treatiſe on the diſeaſes of Woman; in which is attempted to join a juſt Theory to the moſt ſafe and approved Practice with a chronological Catalogue of the Phyſicians, who have written on theſe diſeaſes; translated from the French Original, written by D. I. ASTRUC. London. 8. Voll. 2.

IOS. BAADER Ph. et M. D. Mat. med. Botan. et Chem. in Vniv. Friburgenſi Briſgoica P. O. P. Obſeruationes medicae inciſionibus cadauerum anatomicis illuſtratae. 8.

Die Grenzen der Naturlehre werden beſtimmt. Eine Akademiſche Abhandlung der herzoglich teutſchen Geſellſchaft der ſchönen und höhern Wiſſenſchaften zu Iena, bey ſeiner Aufnahme gewidmet von ERNST GOTTFRIED BALDINGER. *Torgau.* 4.

IOHANN BALLS *practiſche Abhandlung von Fiebern, oder gründliche Anweiſung, wie alle Arten von Fiebern zu erkennen, zu beurtheilen und zu heilen ſind: aus dem Engl. überſetzt von D. S**.* (D. CHRIST. FRIEDER. SELIG.) *Frankfurt* 8.

Diſſertation ſur l' Education phyſique des Enfans, depuis leur naiſſance juſqu'a l'age de puberté. Ouvrage, qui a remporté le Prix le 21 Mai 1762 à la

a la Societé Hollandoiſe des Sciences, par M. BALLEXSERD. a Paris. 8.

GUILLELMI BALLONII opera omnia in quatuor tomos diuiſa, ſtudio et opera IAC. THEVART digeſta, denuo in lucem edita cum praefatione THEOD. TRONCHIN. Genev. 4. Voll. IV.

IOBI BASTERI opuſcula ſubſeciua, obſeruationes miſcellaneas de animalculis et plantis quibusdam marinis, eorumque ouariis et ſeminibus continentia. Tom. II. Liber I. Harlemi. 4. (*Tribus praegreſſis Libris, qui annis* 1759. 60. 61. *prodierunt, communem titulum eodem hoc anno imprimendum curauit Auctor, vt hi tres libri praemiſſi priorem conſtituant tomum.*)

Elemens de Pharmacie Theorique et Pratique: contenant toutes les Operations fondamentales de cet Art, avec leur definition, et une explication des operations par les Principes de la Chymie; la maniere de bien choiſir; de preparér et de melér les medicamens, avec des Remarques et des Reflexions ſur chaque Procedé; les moyens de reconnoitre les medicamens falſifiés ou alterés; les recettes des medicamens nouvellement mis en uſage, les principes fondamentaux de pluſieurs Arts dependans de la Pharmacie; tels que l'art du Confiſeur et ceux de la preparation des eaux de ſenteur et de liqueurs de table, avec une table de vertus et doſes des medicamens. Par M. BAUMÉ. a Paris. 8.

WOLPHERD. IOH. BEELDSNYDER Diſſ. inaug. de inflammatione diaphragmatis ſeu paraphrenitide. Traj. ad Rhen. 4.

De vtriusque analyſeos vſu in re phyſica Volumina duo. De analyſeos infinitorum vſu in re phyſica. Volumen ſecundum. Auctore R. P. BELLEGARDE, e. S. I. etc. Parmae. 4.

IOAN. BENEDEK, Diſſ. inaug. de mania et ſtatu maniacorum in paroxyſmo conſtitutorum. Traj. ad Rhen. 4.

De rubiginis frumentum corrumpentis cauſſa et medela, diſſertatio, Auctore L. BENVENUTI. Lucae.

AMBROSIUS BERGMANN Diſſ. inaug. de ruricolarum Liuoniae ſtatu ſano et morboſo. Lipſiae. 4.

IOH. ULR. BILGUERS *Anweiſung zur ausübenden Wundarzneykunſt in Feldlazarethen. Glogau. gr.* 8.

LUD. REINHARD BINNINGER, Diſſ. ſiſtens oryctographiam agri Buxouillenſis et viciniae. Argentor. 4.

An Eſſay on the medical Conſtitution of Great Britain. To which are added obſervations on the Weather and the Diſeaſes, which appeared in the Period included betwixt the firſt of Ianuary 1758 and the Summer Solſtice in 1760. together with a Narrative of the Throat Diſtemper and the miliary Fever, which were epidemical in the Duchy of Cleveland in 1760. Likewiſe Obſervations on the Effects of ſome Anthelmintics, particularly of the Great Baſtard Black Hellebore, or Bear's-Soot (by CHARLES BISSET.) London. 8.

Herbarium Blackwellianum, emendatum et auctum, i. e. ELISABETHAE BLACKWELL collectio ſtirpium, quae in pharmacopoliis ad medicum vſum aſſeruantur, quarum deſcriptio et vires ex anglico idiomate in latinum conuerſae ſiſtuntur. cum praefat. CHR. IAC. TREW. Excudit, figuras pinxit atque in aes incidit NIC. FRID. EISENBERGER. *neu vermehrtes und verbeſſertes Blackwelliſches Kräuterbuch u. ſ. w.* a tab. viu. color. pict. 528-537. Norimbergae fol.

MARC. ELIES. BLOCH. Diſſ. inaug. de exanthematibus. Francof. ad Viadr. 4.

10.

IO. BOECLER Diſſ. inaug. de acidulis Petrinis. Argentor. 4.

GEO. RUD. BOEHMER Progr. in quo diſſertationis de nectariis florum additamenta proponit. Wittenbergae. 4.

PHIL. ADOLPH BOEHMER Diſſ. inaug. de colica. Reſp. *Car. Gottl. Grote.* Halae. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de ictero nigro febribus acutis exanthematicis ſymptomatice ſuperueniente, vt plurimum funeſto. Reſp. *Wolfg. Laur. Guil. Bernhold.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de ſpaſmorum externorum ratione ad viſcera, indeque oriunda morborum complicatione. Reſp. *Io. Zachar. Strümphler.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de vlcerum externorum ſanatione difficili ob illorum cum morbis viſcerum complicationem. Reſp. *Geo. Andr. Molzahn.* ibid. 4.

Eiusd. Diſſ. inaug. de vomica pulmonum. Reſp. *Car. Henr. Birner.* ibid. 4.

HERRMANN BOERHAAVS *Anfangsgründe der Chymie oder gründliche Anweiſung, auf was Art die natürlichen Cörper können chymiſch aufgeſchloſſen, und daraus heilſame Arzeneyen bereitet werden: aus dem Lateiniſchen ins Deutſche überſ. nebſt einem nützlichen Anhange von chymiſchen Geräthen etc. Berlin.* 8. *m. K.*

Eiusd. *Kurze Lehrſätze von Erkennung und Heilung der Krankheiten; aus dem Latein. überſetzt, mit Anmerkungen. Berlin.* 8.

Ejusd. de morbis neruorum praelectiones academicae, quas ex auditorum manuſcriptis collectas edi curauit IAC. VAN EEMS. Bernae. Voll. 2.

Ejusd. libri editio prima Veneta. T. I. II. Venetiis. 4.

Idem liber. Francof. 8.

HERM. BOERHAAVE praelectiones academicae de lue venerea, in quibus diri huius morbi hiſtoria, origo, progreſſus, cauſſae, ſymptomata et curationis methodus accurate deſcribuntur: accedit eiusd. celeb. Auctoris Diſſertatio inaug. de vtilitate explorandorum in aegris excrementorum vt ſignorum. Lugd. Batau. 8.

GEO. BONELLI Ripoſta alla dimonſtrazione apologetica del S. D. G. B. BASSANI. a Roma. 4.

Conſiderations ſur les Corps Organiſés, ou l'on traite de leur Origine, de leur Developpement, de leur Reproduction etc. et ou l'on a raſſemblé en abregé tout ce, que l' Hiſtoire naturelle offre de plus certain et de plus intereſſant ſur ce ſujet; par M. BONNET. Tome. I. II. a Amſterd. 8. Voll. 2.

Eben deſſelben Unterſuchungen über den Nutzen der Blätter bey den Pflanzen und einige andere zur Geſchichte des Wachsthums der Pflanzen gehörige Gegenſtände. Aus dem Franzöſ. überſetzt von I. C. ARNOLD. *Nürnberg. 4. m. K.*

TUSS. BORDENAVE de varicibus theſes anatomicae et chirurgicae. Reſp. *Io. De Bauvé.* Paris. 4.

Delle Acque di San. Criſtoforo Trattato di GIAM. BATTISTA BORSIERI. in Firenza. 8.

ERNST. GOTTL. BOSE Diſſ. inaug. ſuper neruorum actione ex colliſione. Reſp. *Dav. Henr. Schindler.* Lipſiae. 4.

BOUGERI optice de diuerſis luminis gradibus dimetiendis opus poſthumum, in lucem editum a D. DE LA CAILLE et in latinum conuerſum a IOACH. RICHTENBURG. Viennae, Pragae et Tergeſti. 4. c. f.

Soins faciles pour la propreté de la Bouche par M. BOURDET. a Lauſanne. 12.

Leichte Mittel den Mund rein und die Zähne geſund zu erhalten durch Herr BOURDET. *Leipzig.* 8.

Lettres

Lettres philoſophiques ſur la formation des Sels et des Criſtaux, et ſur la generation et le mechaniſme organique des Plantes et des Animaux, a l' occaſion de la Pierre Belemnite et de la Pierre Lenticulaire; avec un Memoire ſur la theorie de la Terre; par M. BOURGUET. Seconde Edit. av. figur. a Amſterd. 8.

CAR. FRANC. BOUTIGNY Quaeſt. med. an bubones critici in febribus malignis ſtatim incidendi? *aff.* Reſp. *Coſn. Auguſt. Lezurier.* Pariſiis. 4. (*Eadem quaeſtio iam ibid. defenſa eſt Praeſ.* HONOR. PETIOT. 1756.)

Methode a ſuivre dans le traitement des differentes maladies epidemiques, qui regnent le plus ordinairement dans la Generalité de Paris, par M. BOYER. Chevalier de l' Ordre du Roi, ancien Doyen de la Faculté de Medecine a Paris etc. Paris. 12.

PET. BRASDOR theſes anatomicae et chirurgicae de ani fiſtula. Reſp. *Ant. Lud. Ioſeph. Majault.* Pariſiis. 4.

IO. AD. BRAUNII De admirando frigore artificiali, quo mercurius eſt congelatus, Diſſertatio. Petropol. 4. mai.

Regnum animale in claſſes IX diſtributum, ſiue Synopſis methodica ſiſtens generalem animalium diſtributionem in claſſes nouem, et duarum primarium claſſium, quadrupedum ſcilicet et cetaceorum, particularem diuiſionem in ordines, ſectiones, genera et ſpecies, cum breui cuiusque ſpeciei deſcriptione, citationibus auctorum de iis tractantium, nominibus eis ab ipſis et nationibus impoſitis, nominibusque vulgaribus a D. BRISSON. Edit. altera auctior. Lugd. Bat. 8.

ANDR. EL. BÜCHNER Diſſ. inaug. de ſudoris pedum inprimis habitualis noxia ſuppreſſione. Reſp. *Sim. Caſp. Pitſch.* Halae. 4.

ANDR. EL. BÜCHNER, Diſſ. inaug. de ſolutione inflammationis per diſcuſſionem facta non ſemper optima. Reſp. *Io. Carl Larſſohn.* Halae. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de ſoda, vt morbo ſaepe graui. Reſp. *Adam Wern. Ackermann.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de haemoptiſi vt haemorrhagia plerumque periculoſa. Reſp. *Aug. Frid. Chriſt. Chemnitz.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de validiorum euacuantium noxis in hydrope. Reſp. *Io. Chr. Seyffert.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. ſiſtens ſolutionem empyematis per mictionem purulentam. Reſp. *Io. Geo. Flohr.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de ſalutaribus et noxiis motuum conuulſiuorum ſymptomaticorum effectibus. Reſp. *Io. Gottfr. Samuel Hertel.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de vſu interno olei vitrioli diluti in nonnullis ſcabiei ſpeciebus. Reſp. *Alb. Henr. Aug. Helmich.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de venaeſectione in febribus catarrhalibus non ſemper nociua. Reſp. *Car. Euler.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de cauſſis determinantibus ancipitem euentum morborum in noſocomiis occurrentium. Reſp. *Paul. Io. Wilh. Münnich.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de regulis in mitigandis morborum ſymptomatibus neceſſario obſeruandis. Reſp. *Otto Chph. Krüger.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de religioſarum S. ordinis Ciſtercienſis ſanitate tuenda. Reſp. *Georg Froſt.* ibid. 4.

Traité hiſtorique des Plantes, qui croiſſent dans la Lorraine et les trois Evechés, contenant leur deſcription, leur figure, leur nom, l'endroit ou elles croiſſent, leur culture, leur analyſe et leurs proprietés, tant pour la Medecine, que pour les Arts et Metiers, par M. S. I. BUCHOZ. Avocat

au

au Parlement de Metz, Doct. en Philoſ. et en Medecine. Tome I. a Nancy. 8.

F. I. BÜCHTINGS *geometriſch oeconomiſcher Grundriß zu einer wirthſchaftlichen Verwaltung der Waldungen, vortheilhaften Einrichtung der zur Landwirſchaft gehörigen Grundſtücke, nebſt einer Abhandlung vom Bergbaue. Halle.* 8.

BALTHAS. IOAN DE BUCHWALD, Diſſ. inaug. de rubro ſanguinis colore. Reſp. *Nic. Niſſen. Storm.* Hafniae. 4.

Dell' Acqua Martiale di Rio nell' Iſola dell' Elba et dell' uſo della medeſima in Medicina e Chirurgia Trattato Storico - Fiſico - Medico d' ALBERTO GIUSEPPE BUZZEGOLI Fiorentino, Publico Profeſſ. di Medicina Pratica e Filoſofia in Rio cet. in Firenze.

SPIRIT. CLAUD. FRANCISC. CALVET, Quaeſt. an potus caffé quotidianus valetudini tuendae, vitaeque producendae noxius? *Affirm.* Reſp. *Pet. Ioſ. Mar. Collin.* Auenion. 4.

Ejusd. quaeſt. med. an praeſertim apud diuites adhibenda ſit variolas inoculandi methodus? *Affirm.* Reſp. *Petr. Barthol. Pennier de Longchamp.* ibid. 4.

Ejusd. quaeſt. med. an in febribus intermittentibus epithemata in carpis? Reſp. *Iac. Mich. Goujon.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. de fluidi neruei ſecretione, natura et vſu. Reſp. *Car. Ode Bonioty.* ibid. 4.

PETRI CAMPER demonſtrationum anatomico pathologicarum liber ſecundus, continens peluis humanae fabricam et morbos. Amſtelod. fol. imperial. c. tab. aen. (*opus quidem hoc anno inchoatum, non vero abſolutum.*)

IOH. FRID. CARTHEUSER fundamenta pathologiae et therapiae, praelectionibus ſuis accommodata. Tomus II. morbos abdominis, artuum,

cutaneos et vniuerſales continens. Francof. ad Viadr. 8.

IO. FR. CARTHEUSER, Diſſ. inaug. de lichene cinereo terreſtri. Reſp. *Godofr. Ludov. Sikius.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de vitioſis formularum medicarum praeſcriptionibus ex ignorantia chemica oriundis. Reſp. *Ern. Traugott Beſack.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de potioribus atoniae cauſſis et remediis. Reſp. *Arien Ernſt Bruinfiſch.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de pinguedinibus animalium ſubdulcibus ac temperatis. Reſp. *Car. Frid. Stuppe.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de hydrophthalmia. Reſp. *Ant. Gryger.* ibid. 4.

Collezione Iſtorica di Caſi Chirurgici metodicamente diſpoſti, e con note illuſtrati da GIUSEPPE CAVALLINI DI CELOPINI, alumno nel Regio Spedale di S. Maria Nuovo di Firenze. Tom I. Part. I. Sopra i tumori inflammatori d'iſpezione Chirurgica. in Firenze. 4.

Relation d'une maladie epidemique et contagieuſe, qui a regné l' Eté et l' Automne 1757 ſur des Animaux de differentes eſpeces dans quelques Villes et plus de ſoixante Paroiſſes de la Brie. Ou l'on voit, que cette maladie eſt relative a certaines Epidemies, qui arrivent aux hommes, meme a la peſte; qu'elle fournit des idées intereſſantes ſur la nature d'autres maladies, et ſur une maniére d'expliquér les metaſtaſes au moyen du tiſſu cellulaire; par M. H. AUDOUIN DE CHAIGNEBRUN. a Paris. 12.

A Treatiſe on the Diſeaſe called a Cold, by CHANDLER. London. 8.

Cartes anatomiques par M. CHIROL. Chirurgien, contenant:

Tableau

Tableau de toutes les arteres du corps humain. a Paris. fol. atlant.

Tableau de toutes les muſcles du corps humain. ibid. fol. atl.

Obſervations on the epidemical Diſeaſes in Minorca, from the Year 1744 to 1749. To which is prefixed a ſhort Account of the Climate, Productions, Inhabitants, and Epidemical Diſtempers of that Iſland. By GEORGE CLEGHORN. 2nd. Edit. London. 8.

Dei Diſcorſi Toſcani del Dottore ANTONIO COCCHI, Med. ed Antiquario Ceſareo, dedicati a S. Excellenza la Sig. Conteſſa d' Orford. Parte I. II. in Firenze. 4.

Regime de PYTHAGORE, traduit de l' Italien du Docteur COCCHI. a la Haye. 8.

Anti Newtonianiſmi pars ſecunda; in qua reiectis methodo et philoſophandi regulis Newtonianis totiusque ſectae principiis indicatis, euertitur prae caeteris argumentis, vt plurimum ex aduerſariorum penu depromptis, vacuum, vis inertiae, mutua grauitas et attractio; opera et ſtudio CAELESTINI COMINALE. M. D. Napoli. 4. (*Prior Pars contra Opticen* NEWTONI *iam* 1754 *prodiit.*)

Traité pratique ſur la goutte et ſur les moyens de guerir cette maladie, par M. COSTE. 2nde Edit. augmentée. a Berlin. 8.

Arts des Forges et Fourneaux a fer, par M. le Marquis DE COURTIVRON et par M. BOUCHY Troiſieme Section, en ſuite de l' Art concernant le fer c. tab. aen. XVI. Quatrieme Section. Traité du fer par M. SWEDEMBORG, traduit du Latin par M. BOUCHY. (a Paris) fol. (*c. tab. aen. IX.*)

HENR. IO. NEPOM. CRANZ materia medica et chirurgica iuxta ſyſtema naturae digeſta. Tom. I. II. III. Viennae Auſtr. 8. Voll. 3.

HENR. IO. NEP. CRANTZ Stirpium Auſtriarum faſciculus primus. Vienn. Auſtr. 8 mai. c. 3. tab. aen.

ANTONII CRON tractatus phyſicus de lue Americana ac omnium tutiſſima medendi methodo. Melit.

CAR. WERNERUS CURTIUS Diſſ. inaug. de monſtro humano cum infante gemello. Lugd. B. 4. c. f.

Recherches ſur la maniere d'agir de la Saignée et ſur les effets, qu'elle produit, relativement a la place, ou on la fait, par M. DAVID. a Paris. 12.

HEINR. FRIDR. DELIUS *Abhandlung von Blähungen, als einer öfters verborgenen Urſache vieler ſchweren Zufälle. Aus dem Lateiniſchen überſetzt und mit neuen Anmerkungen vermehrt. Nürnberg.* 8.

Ejusd. Diſſ. inaug. exhibens trigam caſuum medico chirurgicorum. Reſp. *Mich. Neuſtädter.* Erlangae. 4.

Le Gentilhomme Cultivateur, ou Corps complet d'Agriculture, tiré de l'Anglois de M. HALL. et de tous les Auteurs, qui ont le mieux ecrit ſur cet Art; par M. DUPUYS DEMPORTES. Tome III. IV. a Paris. 4. c. f.

Ejusdem libri in 12. Tomus V. VI. VII. VIII.

Memoires ſur la mortalité des moutons en Boulonnois dans les années 1761 et 1762. par M. DESMARS. a Boulogne ſur Mer. 4.

L'art de s'enrichir promtement par l'agriculture, prouvé par des experiences, par le Sieur DESPOMMIERS. a Paris.

GEO. CHPH. DETHARDING Diſſ. inaug. de morbis vitiatae maſſae ſanguineae. Reſp. *Conr. Frid. Krüger.* Buetzouiae. 4.

FRID. ADOLPH. DETLEFFSEN Diſſ. inaug. de medica tormentorum aeſtimatione. Helmſtad. 4.

GUALT. VAN DOEVEREN ſermo acad. de erroribus medicorum ſua vtilitate non carentibus. Groeningae. 4.

IOS.

IOS. LUD. DORER Diſſ. inaug. de ſaltatione, ſanitatem conſeruante, morbos inducente, indicante, curante Argentor. 4.

Traité de Phyſiologie par IEAN FERAPIE DUFIEU Tom. I. II. a Lyon. 12. Vol. 2.

Extrait de deux lettres, l'une du 12 Iuillet, l'autre du 28 Aout 1762, ecrites par M. DUMONT, Fils. Lithotomiſte a Bruxelles, a M. LE CAT, Ecuyer, Secretaire perpetuel de l'Academie des Sciences de Rouen, ſur ſa methode de faire l'operation de la Taille. a Rouen. 12.

A Treatiſe on the Kings-Evil by DURANT. London. 8.

S. DURAEUS Diſſ. campanam vrinatoriam ſiſtens. Reſp. *Nic. Lenderbeck.* Vpſal. 4.

Oeuvres anatomiques de M. DUVERNEY, Volumes II. enrichis de 30 Planches. a Paris. 4.

The Diſeaſes of the Bones, of M. DUVERNEY: translated by SAM. INGHAM. Surgeon. Lond. 8.

BERNHARD GOTTFR. EBERHARD Diſſ. inaug. de dyſenteria. Trai. ad Rhen. 4.

IO. PETR. EBERHARD Diſſ. inaug. de actione narcoticorum in fluidum nerueum. Reſp. *Car. Gottlob Schröder.* Halae. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de doloribus partum promouentibus. Reſp. *Io. Sigiſm. Sachſe.* ib. 4.

Ejusd. *Verſuch einer nähern Erklärung von der Natur der Farbe. Neue u. ganz veränderte Auflage.* ibid. 8.

D. BALTHASAR EHRHARTS *oekonomiſche Pflanzenhiſtorie, nebſt dem Kern der Landwirthſchaft-Garten-und Arzneykunſt.* 12*ter und letzter Theil, welcher ein allgemeines Regiſter über das ganze Werk enthält. Ulm und Memmingen.* 8

S. FRID. EHRMANN Diſſ. inaug. de morbo catarrhali benigno hoc anno inter Argentoratenſes epidemio. Argentor. 4.

P. EKERMANN Diſſ. de vſu ſcriptorum Ciceronis Oeconomia. Reſp. *Dan. Gevalin.* Vpſ. 4.

Ejusd. Diſſ. magni pectoris inter ſecunda moderatio. Reſp. *And. Kinberg.* ibid. 4.

IO. FRID. ELLER obſeruationes de cognoſcendis et curandis morbis, praeſertim acutis. Regiomonti et Lipſiae. 8.

Die längſt gewünſchte Cur des ſo fürchterlichen und von vielen vor unheilbar geachteten Scharbocks, durch wenige, doch gewiſſe, ſichere und gar nicht koſtbare Mittel, beſtehend in einem angenehmen Pulver, etlichen Kräutern und einer Sorte Tropfen, welche aus dem ſo edlen Weinſtein entſpringen, die alle genannt werden, mit ſammt derſelben Gebrauch, damit ein ieder dieſer Patienten ſich ſelber auch andern helfen könne. Es werden gleich Anfangs die Meynung verſchiedener Doctorum *angeführt, wovon eigentlich dieſe gar böſe, auch oft mit noch andern Zufällen verknüpfte Krankheit entſtehe. Die Recepte zum Theil nebſt ihrer Methode zu helfen beygefügt, mit noch einer Zugabe, welche* 1) *von den vornehmſten Land- und Schifſkrankheiten und ihrer baldigen Hülfe handelt; wie auch* 2) *von den Urſachen, warum ſo viele Menſchen vor der Zeit dahin ſterben; und* 3) *wodurch ſolches verhütet werden könne. Dem iſt beygefüget eine kleine Schifsapotheke oder Labedoſe. Alles mit Bedacht ans Licht geſtellt von* CHRISTIAN ERNESTO ENDTERO. *Hamburg.* 8.

Inſtitutio, quo modo quilibet homo, inprimis vero praegnans mulier, parturiens et puerpera, ratione diaetae ſeſe gerere debeat, in gratiam earum foeminarum, quae ruri in ſuis viuunt praediis, Ruſſica lingua conſcripta, a I. FR. ERASMO. Petropoli. 8.

ARTHUR CONRAD ERNSTINGS, *hiſtoriſche und phyſicaliſche Beſchreibung der Geſchlechte der Pflanzen, welcher Herr* LINNAEUS *ſyſtematiſches Verzeich-*

zeichniß von den Geſchlechtern der Pflanzen beygefüget worden. Mit Kupfern und Regiſtern. Erſter Theil. Lemgo. 4.

Conſtructio lentium obiectiuarum ex duplici vitro, quae neque confuſionem a figura ſphaerica oriundam, neque diſperſionem colorum pariunt; Auctore LEONARD EULERO Petropoli. 4.

Abhandlung von Irrländiſchen Kohlen, die keinen Rauch geben, aus dem Franzöſ. überſetzt von L. R. F. Frankfurt und Leipzig. 8.

IO. FANTONI ſpecimen obſeruationum de acutis febribus miliaribus. Niſſae. 8 mai.

IO. FRID. FASELIUS Progr. I. II. de chorda tympani. Ienae. 4.

Ejusd. Progr. exhibens reſponſionem ad problema: num ſtragulorum atque induſiorum in febribus putridis exanthematicis mutatio ſit facienda? ib. 4.

Ejusd. Progr. de nitro ſemiuolatili, egregio aduerſus febres malignas atque exanthematicas remedio. ibid. 4.

IO. IAC. FEHR. Diſſ. inaug. ſiſtens virginem hydrope vtriusque ouarii cum aſcite coniuncto laborantem. Argentor. 4. c. fig. aen.

EPHR. HENR. THEOD. FISCHER Diſſ. inaug. de lochiorum retentione. Erford. 4.

Adheſions or Accretions of the Lungs to the Pleura and their effects on reſpiration conſidered by MALCOLM FLEMING. London. 8.

Traité de l' Aſthme contenant la deſcription de cette maladie par M. FLOYER, traduit de l' Anglois. a Paris. 12.

L' Art de tirér des Carrieres, la Pierre d' Ardoiſe, de la fondre et de la tailler, par M. FOUGEROUX DE BONDAROY. a Paris. fol. c. fig.

Ejusd. Art de travaillér les cuirs dorés et argentés. ibid. fol. c. fig.

De

Del modo di regolare i fiumi et i torrenti etc. di PAOLO FRISI. in Lucca. 4.

GEO. CHRIST. FÜCHSEL Diſſ. inaug. quaedam deſideria medica exhibens. Erford. 4.

Neueſtes aus dem Reiche der Pflanzen, beſonders die Erzeugung derſelben, und deren innerſte Geheimniſſe betreffend, von W. F. v. G. z. R. Nürnberg. fol. cum tab. viu. col. pictis.

Idem liber gallice verſus. ibid. fol.

PEHR. ADR. GADD. Diſſ. inaug. om Sättet, at utrota och förminska Sädesmaſken. Reſp. *Otto R. Böckmann.* °Abo. 4.

Ejusd. Diſſ. om Schäferiernes uphiel pande i Finnland. Reſp. *Math. Engſtröm.* ibid. 4.

IOSEPH GALTIER Diſſ. de prognoſi medica ex necrologicis eruenda. Monſpelii. 4.

PETR. SEVERIN GARBOE Diſſ. inaug. ſiſtens experimenta quaedam circa malum hypochondriacum. Halae. 4.

Obſervations on D. HUNTER's Medical Commentaries by G. GARNER. London. 8.

GUIDO ANDR. GARNIER Quaeſt. med. an medicinae caſtrenſi plurimae cautiones, pauciora remedia. *aff.* Reſp. *Simon Vacher.* Pariſiis. 4.

Expoſition anatomique de la ſtructure du Corps humain, en vingt Planches, inprimées avec leur couleur naturelle, pour ſervir de Supplement a celles, qu'on a deja données au Public, ſelon le nouvel Art, dont M. GAUTIER eſt Inventeur, par le meme Auteur. a Marſeille. fol. mai.

Akerbrukets chemiska grundet, II. Delen, Om akerjord mänernes rätta Känning och förbätting. Praeſ. PEHR. ANT. GEDD. Reſp. *Laur. Zidbeck.* °Abo. 4.

IOH. CAROL. GEHLER. Diſſ. inaug. de partu difficili ex hydrope ſoetus. Reſp. *Salom. Daniel Naumann.* Lipſ. 4.

Fort-

Fortſetzung der Abhandlung von der Materia Medica *des Herrn* STEPH. FRANZ. GEOFFROY. *4ter Theil, von den innländiſchen Pflanzen, aus dem Franzöſiſchen überſ. Leipzig.* 8.

IO. GESNER Diſſ. Phytographiae ſacrae generalis pars practica altera. Turici. 4.

NATALIS MARIA DE GEVIGLAND Quaeſt. med. an quamdiu ſerpit gangraena, etiam a cauſſis internis, amputatio non tentanda? *aff.* Reſp. *Nic. Iean-roy.* Paris. 4.

IAC. FRID. GIRARD Diſſ. inaug. de enematibus inteſtinalibus. Argentor. 4.

I. G. GLADBACH tractatio de morbis a veſtitu contra frigus inſufficiente. Francof. 4.

D. I. FR. GLASERS *Preiſsſchrift, wie das Bauholz in den Gebäuden zu Abhaltung groſser Feuersbrunſt leicht, wohlfeil, bewährt und dauerhaft zuzurichten, daſs es nicht leicht Feuer fange oder fortbrenne, mit Anmerkungen erläutert und verbeſſert. Hildburgshauſen.* 8.

PHILIP FRID. GMELIN Diſſ. inaug. de tumoribus oedematoſis ex febribus intermittentibus oriundis. Reſp. *Io. Theoph. Eberh. Boehm.* Tubingae 4.

IO. DE GORTER chirurgia repurgata. Viennae et Lipſiae. 4.

ANTON GOUAN hortus regius Monſpelienſis, ſiſtens plantas tum indigenas, tum exoticas, No. MMCC. ad genera relatas cum nominibus ſpecificis, ſynonymis ſelectis, nominibus triuialibus, habitationibus indigenarum, hoſpitiis exoticarum, ſecundum ſexualem methodum digeſtas. Lugduni. 8.

Oracao inaugural, do primeiro curſo de operacoens Cirurgicas que publicamente fez con permiſſao de ſua Mageſtade fideliſſima no Hoſpital Real de Liſboa: FILIPPE IOSEPH DE GOVEA, Cirur-

gico da Camera do Sereniſſimo Infante o Senhor. D. Manael recitada ne ultimo de Ianeiro 1762. in Liſboa. 8.

IO. ERHARD ANTON GRAFF. Diſſ. inaug. de lapidibus cancrorum citratis. Altorfii. 4.

IO. DAV. GRAU. Diſſ. de pure vero. Reſp. *Io. Ludolf. Francke.* Ien. 4.

Flora Virginica, exhibens plantas, quas IOANN. CLAYTONUS in Virginia creſcentes obſeruauit, collegit et obtulit D. IOH. FRED. GRONOVIO, cuius ſtudio et opera deſcriptae et in ordinem ſexualem ſyſtematicum redactae ſiſtuntur. Lugd. Bat. 4.

D. AUG. GROTIANS *Abhandlung von dem Baue der Levcojen, Nelken und Aurickeln. 2te vermehrte Auflage. Nordhauſen.* 8.

IOH. STEPH. GUETTARD Quaeſt. med. an in partu difficili ſola manus inſtrumentum? *aff.* Reſp *Carol. Sallin.* Pariſ. 4.

G. F. GUTERMANNS *Bedenken über mancherley aus Unwiſſenheit verunglückte Geburten. 2ter Theil. Nürnberg.* 8 *mai.*

Practical Obſervations on cancres and diſorders of the Breaſt etc. by RICHARD GUY. Lond. 8 mai.

ANT. DE HAEN. vindiciae difficultatum circa modernorum ſyſtema de ſenſibilitate et irritabilitate humani corporis contra V. P. ALB. V. HALLER ad easdem difficultatum apologia. Viennae. 8.

Ejusd. Pars VI. rationis medendi in noſocomio practico, quod in gratiam et emolumentum medicinae ſtudioſorum condidit Maria Thereſia. ibid. 8 mai.

Ejusd. libri Pars VII. ibid. 8.

GEO. HAFFNER Diſſ. inaug. de hydrope articulorum. Vindobonae. 4.

ALBER-

ALBERTI HALLERI opera minora, emendata, aucta et renouata. Tomus I. anatomica, ad partes corporis humani vitales, animales, naturales. Acceſſerunt tabulae aeneae. Lauſannae 4 mai.

Ejusd. *Anfangsgründe der Phiſiologie des menſchlichen Körpers, aus dem Lateiniſchen überſetzt von* IOH. SAM. HALLEN. *2ter Band; das Blut, deſſen Bewegung, die Abſonderung der Säfte davon. Berlin.* 8.

Ejusd. Elementa phyſiologiae corporis humani. Tomus Quartus. Cerebrum, Nerui, Muſculi. Lauſannae. 4 mai.

Ejusd. Tractatus de reſpiratione. ibid. 8.

Elements d'Agriculture, par M. DU HAMEL DU MONCEAU: avec figures en taille douce. T. I. II. a Paris. 12. Voll. 2.

Hiſtoire d'un Inſecte, qui devore les grains de l' Angoumois; avec les moyens que l'on peut employér, pour le detruire, par Meſſieurs DU HAMEL DU MONCEAU et TILLET. a Paris. 12.

L'Art du Cirier par Mr. DU HAMEL. a Paris. fol. c. f.

L' Art du Cartier par *le meme.* ibid. fol. c. f.

Ejusd. *Kunſt des Kohlenbrennens, aus dem Franzöſ. überſetzt und mit Anmerkungen vermehrt von* I. H. G. V. IUSTI. *Berlin. 4 mai. c. f.*

Ejusd. *Abhandlung von Bäumen, Stauden und Sträuchern, welche in Frankreich in freyer Luft erzogen werden. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt und mit vielen neuen Anmerkungen vermehrt durch* CARL CHRISTOPH OELHAFEN VON SCHÖLLENBACH. *Erſter Theil. Nürnberg.* 4. *mit Kupf.*

ISAAC HARTIENS Diſſ. inaug. de cortice peruuiano. Vltraiecti. 4.

IOH. IAC. HARTMANNS *neue Gartenerforſchung oder gründliche Anweiſung, wie man ſich bey einen Blumengarten in allen Fällen zu verhalten. 2ter Theil. Anweiſung zu einem Obſt- oder Baumgarten. 3ter Theil*

Theil. Anweiſung zu einem vollſtändigen Küchengarten. 4ter Theil. Erfurt. 8. *Voll.* 3.

D. FRIEDR. HASSELQUISTS *Reiſe nach Paläſtina in den Iahren von* 1749 *bis* 1752. *Auf Befehl Ihro Majeſtät der Königin von Schweden, herausgegeben von* CARL LINNAEUS, *aus dem Schwediſchen. Roſtock.* 8.

IAC. BOTH. HENDRIKSEN. Diſſ. inaug. de gonorrhoea ſimplici. Traiecti ad Rhen. 4.

FRANC. DAV. HERISSANT Quaeſt. med. an vero in empyemate neceſſaria, licet raro proſpera paracenteſis? *aff.* Reſp. *Lud. Gilbert Boyrot de Ioncheres.* Pariſiis. 4.

IO. HERRMANN. Diſſ. inaug. de roſa. Argentorati. 4.

The vegetable ſyſtem, or the internal ſtructure, and the Life of Plants, their Parts and Nouriſhment explained; their Claſſes, Ordres, Genera, and Species aſcertained and deſcribed, in a method altogether new; comprehending an artificial Index and a naturel Syſtem, with figures of all the Plants, deſigned and engraved etc. by IOHN HILL. Vol. IV. containing the whole Claſs of Aſſociales or Capitale Plants. London. fol. mai.

An Enquiry into the Means of improving medical Knowledge by HILLARY. M. D. London. 8.

HIPPOCRATIS aphoriſmi atque praeſagia cum recognitione et notis ANDR. PASTAE, etc. Bergam. 12.

ANTON HOEGG. Diſſ. inaug. exhibens obſeruationes medico-chirurgicas. Ienae 4.

SAM. CHRIST. HOLLMANNI commentationum in Reg. Scient. Societate inde ab anno 1756 recenſitarum ſylloge, cum tab. aen. Goetting. 4.

Principia medicinae Auctore FRANCISCO HOME. Edit. 2da. Edimburgi. 8.

Principes de l' agriculture et de la vegetation par M. HOME. a Berne. 8.

Eſſai

Eſſai ſur le Blanchiment des Toiles; traduit de l' Anglois de M. HOME. a Paris. 12.

GUIL. HUDSONI Flora Anglica, exhibens plantas per regnum Angliae ſponte creſcentes, diſtributas ſecundum ſyſtema ſexuale: cum differentiis ſpecierum, ſynonymis auctorum, nominibus incolarum, ſolo locorum, tempore florendi, officinalibus pharmacopoeorum. Londini. 8.

Dagbok ofwer en Reſa igenom de, under Stora Kopparbergs Höfdingedöme lylande Lähn och Dalarne a. 1757 af ABRAH. HÜLPHERS. Waeſterås. 8 mai.

Medical Commentaries. Part. I. Containing a plain and direct Anſwer to Profeſſor MONRO iun. interſperſed with Remarks on the ſtructure, functions, and diſeaſes of ſeveral parts of the human Body: by WILL. HUNTER. London. 4.

NICOL. IOSEPH. IACQUIN enumeratio ſtirpium plerarumque, quae ſponte creſcunt in agro Vindobonenſi montibusque confinibus. Vindobonae. 8.

IO. GODOFR. IANKIUS, Diſſ. I. de foraminibus caluariae eorumque vſu. Reſp. *Io. Caſp. Hoermann.* Lipſ. 4. c. tab. aen. 2.

Ejusd. Progr. de ratione venas corporis humani anguſtiores inprimis cutaneas oſtendendi. ibid. 4. c. tab. aen. 1.

SAM. IAY, Diſp. inaug. de rhachitide. Lugd. Bat. 4.

NIC. IEAN-ROY, Quaeſt. med. an generatio naturae arcanum? *aff.* Reſp. *Franciſc. Thiery de Buſſy.* Doct. Med. Rem. Pariſiis. 4.

A Courſe of Anatomico - Phyſiological - Lectures on the human Structure and Animal Oeconomy, interſperſed with various Notes, extracted from Memoirs, Transactions of learned Societies etc. with Pathological Obſervations deduced from the Diſſections of morbid Bodies. Including whate-

ver is moſt valuable in the Works of all the eminent Authors on theſe Subiects. Illuſtrated with an Hiſtorical Compendium of the Riſe, Progreſſ, and Diſcoveries, which have been made in the Animal Oeconomy, gradually traced to the preſent Time. To which are prefixed two Eſſays on the Arts of Diſſecting, Injecting and Making Anatomical Preparations. By CHARLES NICHOLAS IENTY. Vol. I. II. III. London. 8. Voll. 3. (*A priori editione, quae 1757 prodierat, nihil differt, nullo augmento locupletata.*)

IRENIANS *Beweis, daß der Mißbrauch des Caffeetranks ſo ad morbos exanthematicos, als fluxum ſanguinis haemorrhoidalem diſponire. Altorf.* 8.

De ſpiritu in morbis tentamen: Auctore IAC. FRID. ISENFLAMM. Viennae Auſtr. 8.

KAEMPFS *Abhandlung von den Temperamenten. Frankfurt am Mayn.* 8.

P. KALM, Tankar om nyttan och nödwändigheten för en Präſt at äga inſikt i Medicine. Reſp. *Sam. Lithovius.* Åbo. 4.

Ejusd. Diſſ. de praeſtantia plantarum indigenarum prae exoticis. Reſp. *Io. Aſpagren.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. Tankar huru Trähus Kunna i anſeende til Golf, tak och Väggar göras varma. Reſp. *Er. Inberg.* ibid. 4.

CAROL. FRID. KALTSCHMIED, Diſſ. inaug. de diamne periodico. Reſp. *Io. Math. Fuchs.* Ienae. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de partu cum haemorrhagia vterina coniuncto. Reſp. *Io. Andr. Schaubach.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de ſymptomatibus vrgentibus in febribus malignis. Reſp. *Chriſt. Iac. de Friz.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. theoriam paſſionis hyſtericae proponens. Reſp. *Io. Frid. Heer.* ibid. 4.

CAROL. FRID. KALTSCHMIED, Progr. de exſtirpato ſcirrho in labio ſiniſtro vuluae, cum monito: emollientia in tumoribus inflammatis duris praeſtare reſoluentibus. Ienae. 4.

Ejusd. Progr. de teſticulo trium cum dimidia librarum feliciter exſtirpato. ibid. 4.

Ejusd. Progr. de multorum praeiudicio, venaeſectionem in corpore prima vice inſtitutam vitae periculum auertere, et hinc differendam, donec aliis aliquando fruſtra tentatis remediis primum in ea ſupereſſe poſſit praeſidium. ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de herniis, ſpeciatim oſcheocele vera. Reſp. *Io. Chr. Siebeck.* ibid. 4.

Ejusd. Progr. de reſtituto per varias operationes ſubpraefecto militum, poſt vulnera antehac infelici ſucceſſu curata. ibid. 4.

IO. CHPH. KEMME, Diſſ. de ortu haemorrhagiarum ictero ſymptomatice accedentium. Reſp. *Io. Gottl. Fritze.* Halae. 4.

Methode de M. KEYSER, pour l' adminiſtration de ſes Dragées dans le traitement des Maladies Veneriennes, imprimée par ordre du Roy. a Paris. 8.

SAM. KLINGENSTIERNA in Ac. Vpſ. P. Math. Regior. Principum Praeceptoris, Ac. Sc. Stockh. Socii, tentamen de definiendis et corrigendis aberrationibus radiorum luminis in lentibus ſphaericis refracti, et de perficiendo teleſcopio dioptrico, Diſſertatio, ab Imp. Ac. Scient. Petrop. praemio affecta die 23 Sept. 1762. Petrop. 4 mai.

IO. HIERON. KNIPHOFII Botanica in originali, ſeu Herbarium viuum, in quo plantarum tam indigenarum, quam exoticarum peculiari quadam operoſaque enchireſi, atramento impreſſorio obductarum, nominibusque ſuis ad methodum illuſtrium noſtri aeui Botanicorum, LINNAEI et

LUDWIGII inſignitarum, elegantiſſima ectypa exhibentur, opera et ſtudio IOAN. GODOFR. TRAMPE. Centuria IX. Halae. fol.

Phiſiſch mediciniſche Betrachtung des ohnweit Bilin in Böhmen befindlichen Geſundbrunnens und deſſen Waſſers, *abgefaſst von D.* CHRIST. LUDW. KNOCHENWEBELL. *Friedrichſtadt.* 8.

IO. PAUL. KOCH Diſſ. inaug. de ſpiritu vini rectificatiſſimo tanquam medicamento ad ſiſtendas haemorrhagias externas optimo. Halae. 4.

ANT. KRAMMER Diſſ. inaug. ſiſtens partem alteram formularum. Vindobon. 8.

CAR. CHRIST. KRAUSE, Progr. quo A. C. CELSI de re medica libros quatuor poſteriores emendat. Lipſiae. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de variolarum exſtirpatione inſitioni ſubſtituenda. Reſp. *Frid. Gotthilf Beer.* ibid. 4.

VALENT. KRAEUTERMANNS *Haus-Land-Reiſe-Noth- und Armen-Arzt*, *worinnen viele probate Arcana enthalten. Arnſtadt.* 8.

Ejusd. *wohlerfahrner Bienenwirth*, *oder Anweiſung*, *was bey der Bienenpflege in iedem Monathe zu beobachten*, *etc.* ibid. 8.

IO. HENR. KRONAUER, Diſſ. inaug. de natura et compoſitione ſanguinis humani ſani. Argentor. 4.

PETR. LALOUETTE, Quaeſt. med. vtrum deformitates a rachitide oriundae, dum ipſa rachitis curatur, thoracibus, ochreis et aliis machinamentis corrigi debeant. Reſp. *Aug. Roux.* Pariſiis. 4. cum tab. aen. I.

L'art de faire le Parchemin par Mr. DE LA LANDE. a Paris. fol. c. fig.

L'art du Cartonnier, par *le meme.* ibid. fol.

GEO. AUG. LANGGUTH, Progr. in quo de nonnullis odoratus admirabilibus quaedam commentatur. Vitemberg. 4.

GEO.

GEO. AUG. LANGGUTH, Diſſ. inaug. de diuerſa colicam curandi methodo. Reſp. *Henr. Carol. Charitius.* Vitemberg. 4.

Deutliche Anweiſung, wie man ſich in einem Nothfalle ſelbſten von den gefährlichſten und meiſten Krankheiten befreyen könne; abgefaßt von DAN. LANGHANS, *beſtallten Stadtarzt in Bern. 1 u. 2ter Theil. Bern.* 8.

WENC. IO. NEPOM. LANGSVERT, Diſſ. inaug. de cauſſa caloris in ſanguine humano. Pragae. 8.

Memoires ſur l'Agriculture en general, et en particulier ſur la Culture, le Defrichement des Champs; ſur la nourriture et l'entretien des Beſtiaux et le gouvernement des Pâcages; ſur la nourriture des Poiſſons et l'adminiſtration des Etangs; par M. LE LARGE, Avocat en Parlement. a Londres. 12.

IOS. MARIA FRANCISC. DE LASSONE, Quaeſt. med. an magni abſceſſus ferro, non cauteriis aperiendi? *aff.* Reſp. *Sim. Vacher.* Paris. 4.

STEPH. PETR. LE LAUMIER. theſes anatomicae et chirurgicae. Reſp. *Claud. du Pont.* ibid. 4.

Ejusd. theſes anatomicae et chirurgicae. Reſp. *Gu. Petr. Frigard.* ibid. 4.

An Eſſay on the Bit of a Mad Dog; by LAYARD. London. 8.

FERD. LEBERS *Abhandlung von der Nutzbarkeit des Schierlings in der Wundarzneykunſt. Wien.* 8.

MART. FROBEN. LEDERMÜLLERS *Nachleſe ſeiner mikroſcopiſchen Gemüths- und Augenergötzung, 1ſte Sammlung, beſtehend in zehen ſein illuminirten Kupfertafeln ſamt deren Erklärung: und einer getreuen Anweiſung, wie man alle Arten Mikroſcope geſchickt, leicht und nützlich brauchen ſolle. Verlegt und in Kupfer gebracht von* ADAM WOLFGANG KINDERSCHMIDT. (*Nürnberg*) 4.

Eben derſelben 2te Nachleſe. ibid. 4.

FRANC. TILEMAN LEEMANS, Diſſ. inaug. de pleuritide. Lugd. Batav. 4.

Specimen orographiae generalis, tractus montium primarios, globum noſtrum terraqueum peruagantes ſiſtens, occaſione diei Feſti coronationis Catharinae II. in ſolemni Academiae conuentu, d. 13 Sept. 1762. praelectum a D. IO. GOTTLOB LEHMANNO. Petropoli. 4.

Om Optikens och Refractions Teleſcopeis förbättring i ſemäſte tider, af C. LEHNBERG. Stockholm.

H. L. VON LENGENFELD, *Anmerkungen von denen auf dem Thüringer Walde bekannteſten drey Arten Nadelhölzern, als der Tanne, Fichte, und den Kienbaum, welche zu Vermehrung der Waldungen vieles beytragen möchten. In Kupfer geſtochen, illuminirt, getreulich nach dem Original gemacht und heraus gegeben von* NIC. FRIDR. EISENBERGER *Nürnberg.* 4. *nebſt 7 illum. Kupfertafeln.*

Obſervations ſur les cauſes et les accidens de pluſieurs accouchemens laborieux. cet. par M. A. LEVRET. 3ſieme Edit. revue, et corrigee. a Paris. 8 mai. avec figur.

COSN. AUG. LEZURIER, Quaeſt. med. vtrum in triplici corporis cauitate diuerſus ſanguinis motus? *aff.* Reſp. *Ioan. Bapt. Alex. Maigret.* Paris. 4.

CAR. LUD. LIGER, Quaeſt. med. an varia rheumatiſmi therapeia? *aff.* Reſp. *Nic. Ieanroy.* ibid. 4.

An Eſſay on the moſt effectual Means of preſerving the Health of Seaman, in the Royal Navy. Containing Directions proper for all thoſe, who undertake long Voyages at Sea, or reſide in unhealthy Situations, with Cautions neceſſary for the Preſervation of ſuch Perſons, as attend the Sick in Fevers. By IAMES LIND. The 2nd Edit. improved and enlarged. London. 8.

CAR.

CAROLI LINNAEI Species plantarum, exhibentes plantas rite cognitas ad genera relatas, cum differentiis ſpecificis, nominibus triuialibus, ſynonymis ſelectis, locis natalibus, ſecundum ſyſtema ſexuale digeſtas. Tom. I. Editio 2da, aucta. Holmiae. 8.

Ejusd. Diſſ. de meloe veſicatorio. Reſp. *Canut. Aug. Lenaes.* Vpſ. 4.

Ejusd. Diſſ. reformatio botanices. Reſp. *Ioh. Mart. Reſtelio.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. fundamentum fructificationis. Reſp. *Ioh. Grüberg.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. ſiſtens inebriantia. Reſp. *Olav. Reinh. Alander.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. termini botanici. Reſp. *Ioh. Elmgrena.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. planta Almſtroemeria. Reſp. *Ioh. Petr. Falck.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. nectaria florum. Reſp. *Birgerus Martin. Halc.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. de morſura ſerpentum. Reſp. *Io. Guſtav. Acrell.* ibid. 4.

CAROLI LINNAEI, Filii, decas prima plantarum rariorum horti Vpſalienſis, ſiſtens deſcriptiones et figuras plantarum minus cognitarum. Stockholmiae. fol.

Lettere riguardante la ſtoria della Malattie acute occorſa negl. anni 1761, 1762. non pure nella citta de Venezia, che quaſi in tutta l' Italia; di ANTON LIZZARI. in Venezia. 8.

MAX. LOCHER obſeruationes practicae circa luem veneream, epilepſiam et maniam. His accedunt caſus varii, qui vlteriorem cicutae vſum internum et externum in morbis curatu difficillimis confirmant, Viennae. 8.

IO. LUD. LEBERECHT LOESEKENS *Phyſiologie, oder Lehre von dem geſunden Zuſtande des menſch-*

lichen Körpers, nebſt einem Unterrichte, denſelben zu erhalten. Mit einer Vorrede von D. CHR. GOTTH. SCHWENKEN. *Dresden und Warſchau.* 8.

IOH. LUDW. LEBERECHT LÖSEKENS *Pathologie; oder Lehre von den Krankheiten des menſchlichen Körpers.* ibid. 8.

Ejusd. *Semiotic; oder Lehre von den Zeichen der Krankheiten.* ibid. 8.

Ejusd. Therapia ſpecialis interna, *oder gründliche Anweiſung zur Erkänntniſs und Cur der innerlichen Krankheiten des menſchlichen Körpers. 3ter Theil, welcher die Lehre von den Krankheiten des Unterleibes enthält.* ibid. 8.

CHRIST. GOTTL. LUDWIG. Progr. de aquarum puritate a magiſtratu curanda. Lipſ. 4.

Ejusd. Progr. de aquae ductu Carthaginenſi. ibid. 4.

Ej. Progr. de lumbricis inteſtina perforantibus. ib. 4.

Ejusd. Progr. de nimia animi defatigatione, cauſſa debilitatis in morbis. ibid. 4.

Traité de la Chenille, qui ronge les Bois de Saule, augmenté d'une explication abregée des Planches et d'une Deſcription de l'Inſtrument et des Outils, dont l'Auteur s'eſt ſervi, pour anatomiſér a la Loupe et au Microſcope, et pour determinér la force de ſes Verres, ſuivant les regles de l' Optique et Mechaniquement; par PIERRE LYONET. a la Haye. 4 mai. avec planches 18.

Die Geſchichte der Geſundheit; und die Kunſt dieſelbe zu erhalten, eine Nachricht von dem allen, was die Aerzte und Weltweiſen bis auf gegenwärtige Zeiten zur Erhaltung der Geſundheit angeprieſen, von IACOB MACKENZIE. *Nach der 2ten Ausgabe aus dem Engl. überſ. Altenb.* 8.

PETR. IOS. MACQUER Quaeſt. med. an in hydrope, punctio quam plurimum infauſta, ſcarificationes periculoſae? *aff.* Reſp. *Hugo Gauthier.* Paris. 4.

MALOU-

MALOUINS *mediciniſche Chymie, welche die gewöhnlichſten Arzneyen bereiten lehrt. 1ſter Theil. Altenburg.* 8.

Lettera del Sig. Dottore SAVERIO MANETTI, che puo ſervire di Supplemento al ſuo Trattato ſul Inoculazione del Vajuolo. In Firenze. 4.

Opuſcules chymiques, de M. MARGRAF. a Paris. 12. Voll. 2. (*Huic editioni imprimendae operam nauauit Cl.* DE MACHI.)

Delle produzioni naturali del Territorio Piſtojeſe, Relazione Iſtorica et Filoſofica di ANT. MATANI. Profeſſ. Publ. di Medicina nell Univerſita Imp. di Piſa, Membro della Societa Ceſ. Fiſico Botanica Fiorentina. etc. in Piſtoia. 4. c. fig.

DAV. MAUCHART Diſſ. therapia purpurae receptiori tutior, ſolidior. Reſp. *Alb. Fr. Faulhaber.* Tubingae. 4.

Des Herrn D. RICHARD MEADS *Abhandlung von den Kinderpocken und Maſſern zu Folge der von D.* THOMAS STACK *unter der Aufſicht des Herrn Verfaſſers beſorgten engliſchen Auflage ins Deutſche überſetzt von* GEORG NEUHOFER. 8.

PETR. DE MEESTER Diſſ. inaug. de ſudore. Lugd. Bat. 4.

Antiquitates balneares ex C. PLINII CAECILII *ſecundi* epiſtolis collectas ad V. C. GOTTL. CAR. SPRINGSFELD mittit M. IO. CHRIST. MESSERSCHMID. Witembergae. 4.

IO. IOS. FRANC. BORG A MIILLER Diſſ. de cardialgia. Vindobonae. 8.

Abhandlung von dem Ray-Graſe des Herrn MIROUDOT. *Aus dem Franzöſ. überſ. mit einer Vorrede* IOH. IAC. REINHARDS. *Carlsruhe.* 8.

Chymiſche Nebenſtunden abgefaſst von IOH. GEORG MODEL. *St. Petersburg.* 8 *mai.*

IAC. VERDELHAN DES MOLES, Quaeſt. med. an in pulſu inaequali aut intermittente purgantia? Reſp. *Hugo Gauthier.* Paris. 4.

Herr DONALT MONRO *von der Waſſerſucht und ihren beſondern Gattungen; nach dem Engliſchen verdeutſcht, mit den Anmerkungen des franzöſiſchen Ueberſetzers, und einer Beſchreibung eines neuen von Hr.* LECAT *erfundenen Trokar, auch mit einigen Anmerkungen verſehen von D.* CARL CHRIST. KRAUSEN. *Leipzig.* 8. *c. f.*

An Expoſtulatory epiſtle to D. WILL. HUNTER (by AL. MONRO.) Edinburgh. 8.

IO. BAPT. MORGAGNI de ſedibus et cauſſis morborum per anatomen indigitatis Libri quinque. Diſſectiones et animaduerſiones nunc primum editas complectuntur propemodum innumeras, medicis, chirurgis, anatomicis profuturas. Multiplex praefixus eſt index rerum et nominum accuratiſſimus. Tomus primus duos priores continens libros. Tomus ſecundus tres reliquos libros. Venetiis. fol. Voll. 2.

Ejusd. Aduerſaria anatomica omnia archetypis aereis tabulis Cominianis ab Auctore ipſo communicatis et vniuerſali accuratiſſimo indice ornata. Opus nunc vere abſolutum, inuentis et innumeris obſeruationibus ac monitis refertum, quibus vniuerſa humani corporis Anatome, et ſubinde etiam, quae ab hac pendent, res medica et chirurgica admodum illuſtrantur. ibid. fol. c. tab. aeneis. (*Editio haec noua, nullis vel emendationibus mutata, vel additamentis aucta, praeter praemonitionem, quam praemiſit typographus in laudem huius editionis, in qua excudenda ſummam diligentiam et correctionem fuiſſe adhibitam, ait.*)

Ejusd. Epiſtolae anatomicae duae, nouas obſeruationes et animaduerſiones complectentes, quibus ana-

anatome augetur, anatomicorum inuentorum hiſtoria euoluitur, vtraque ab erroribus vindicatur. Adiunctus eſt index rerum et nominum accuratiſſimus. ibid. fol. (*nec haec editio aucta vel mutata eſt.*)

His omnibus et opuſculis miſcellaneis, *communis praefixus eſt titulus:* Operum omnium in vnum corpus collectorum. T. I. - V. ibid. fol. Voll. 5.

WILH. MAUQUEST DE LA MOTTE *Vollſtändige Abhandlung der Chirurgie, in welcher über alle chirurgiſche Krankheiten, und die Art ſie zu heilen, nützliche Wahrnehmungen und nöthige Anmerkungen enthalten ſind. Erſter und 2ter Theil; aus dem Franzöſ. überſ. von D.* G. L. HUTH. *Nürnberg.* 8. *Voll.* 2.

Introductio in philoſophiam naturalem, Auctore PETRO VAN MUSSCHENBROEK. Tomus I et II. Lugd. Bat. 4 mai. c. tab. aen. Voll. 2.

Ejusd. Compendium phyſicae experimentalis, conſcriptum in vſus academicos. ibid. 8. c. fig.

ERN. ANT. NICOLAI, Diſſ. inaug. de ſecretione corporis humani in genere. Reſp. *Io. Mich Hiecke.* Ienae. 4.

Ejusd. Progr. II. de cauſſis pelluciditatis partium corporis humani praeſentis et ſublatae. ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de carie oſſium in genere. Reſp. *Ioh. Adolph Behrends.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de vitiis fluidorum corporis humani in genere. Reſp. *Io. Frid. Diteric. Kaſt.* ib. 4.

IO. GUIL. NIEPER, Diſſ. inaug. de paralyſi ſcorbutica. Halae. 4.

ADAM NIETZKI, Diſſ. de callorum circa vlcera ortu, effectu, praeſeruatione et curatione. Reſp. *Ado. Uven.* Halae. 4.

Oeuvres de M. NIVELLE DE LA CHAUSSÉE. Nouvelle Edition, corrigée et augmentée de plu-

ſieurs

ſieurs Pieces, qui n'avoient point encore paru. a Paris. 12. Voll. 5.

OCELLUS LUCANUS, en grec et en françois, avec des Diſſertations ſur les principales queſtions de la Metaphyſique, de la Phyſique et de la Morale des Anciens, qui peuvent ſervir de ſuite *a la Philoſophie de bon Sens*, par M. le Marquis d'ARGENS. a Berlin. 8.

FERDIN. CHPH. OETINGER, Diſſ. ſiſtens problema practicum, an achorum inſitio, imitando variolarum inſitionem, pro curandis pueritiae morbis rebellibus tuto tentari poſſit? Reſp. *Sam. Theod. Gmelin.* Tubingae. 4.

NIC. GEO. OOSTERDYK Diſſ. inaug. de aceto. Traj. ad Rhen. 4.

La Conſtituzione corrente brevemente conſiderata di PIETRO ORTESCHI. in Venezia. 4 mai.

NATAL. IOS. PALLUCI A. A. Impp. Chirurgi, cet. Methodus curandae fiſtulae lacrymalis. Vindob. 8.

GEO. FRID. PAPEN. Diſſ. inaug. de adminiculorum in partu vtilitate et neceſſitate. Goett. 4.

L'Art de cultiver les Peupliers d'Italie, avec les obſervations ſur les Choix, la Diſpoſition des Pepinieres, leur Culture, et ſur celle des arbres plantés a demeure, par M. PELEE de S. Maurice, de la Societé Royale d'Agriculture de la Generalité de Paris. a Paris. 8.

IO. NATH. PEZOLD, Diſſ. inaug. de delirio febrili. Lipſiae. 4.

Hiſtoria phyſiologica aſcaridum, Auctore M. VAN PHELSUM. Leovardiae. 8 mai. c. fig. aen.

ANT. GUIL. PLAZ Proluſio I. et II. de plantarum virtutibus ex ipſarum charactere haud quaquam addiſcendis. Lipſ. 4.

Eiusd. Progr. de paedantiſmo medico. ibid. 4.

ANT.

ANT. GUIL. PLAZ Diſſ. inaug. de therapia per iniucunda. Reſp. *Sam. Gottl. Silchmüller.* Lipſ. 4.

MARC. ANT. PLENCITZ opera medico - phyſica, in quatuor tractatus digeſta. Vindob. 8 mai.

ANT. L. B. PONGRAEZ DE SZ. MIKLOS et OVAR, Diſſ. experimentalis de electricitatis theoria et vſu. Vindobon. 4.

ANT. DE PONSARD Diſſ. exhibens dubia circa poteſtates medicamentorum et vſum medendi propoſita. Monſpelii. 4.

Practical Remarks on the Hydrocele or watry Rupture and other Diſeaſes of the Teſticles; by PERCIVALL POTT. London. 8.

Oſſervazioni ſopra le malattie di armata in Campagna, et in Guarnigione, con un' Appendice d' Eſperienze communicate alla Societa Reale di Londra. Opera del Dottor GIOVANNI PRINGLE: tradotta della ſeconda Edizione di Londra del 1753 nella lingua Italiana dal celebre Signor FRANCESCO SERAO, Primario Profeſſor Regio nella Univerſità di Napoli. Edizione nuoviſſima, arrichita d'un nuovo Trattato del Sign. Bar. GERARDI VAN SWIETEN ſopra le malattie delle Armate, et del metodo di curarle. In Venezia. 4.

ER. PROSPERIN, Diſſ. de emendatione tuborum diopticorum recentiſſima. Reſp. *Car. Weſtrin.* Vpſal. 4.

Della Preſervazions della Salute dé Litterati e della Gente applicata e ſedentaria opera poſtumma di GIUSEPPE ANTONIO PUIATI e data in luce da ANTON GAETANO, ſuo Figlio. In Venezia. 8.

Flora Eſpannola ó Hiſtoria de las Plantas, que ſe creaci en Eſpanna, ſu Auctor D. IOS. QUER, Cirujano de ſu Mageſtad, Conſultor de ſus Reales

Exer-

Exercitas, Academico del Inſtituto de Bolonia, de la Real Medica Matritenſe, y Primer Profeſſor de Botanica del Real Iardin de Plantas de Madrid.. En Madrid. 4. c. tab. aen. Voll. 2.

Das Ankerſchmieden vom Hrn. VON REAUMUR, *mit Anmerkungen und Zuſätzen vom Hrn.* DU HAMEL, *aus dem Franzöſiſchen und mit Anmerkungen von* I. H. G. VON IUSTI. *Berlin.* 4 *mai. c. f.*

Opere del Signor FRANCESCO REDI, Gentilhomo Aretino, e Accademico della Cruſca, con ſomma diligenza inſieme raccolte, accreſcuite e migliorate. Edizione noviſſima arricchita della vita dell' Autore ſcritta dal Sign. Abb. SALVINO SALVINI. Fiorentino, ed in piu luoghi corretta ed emendata. Tomo I. II. III. IV. V. VI. VII. in Venezia. 4. c. tab. aen. Voll. 7.

HENR. IOS. REGAE tractatus medicus de ſympathia, ſeu conſenſu corporis humani, ac potiſſimum ventriculi in ſtatu morboſo. Franco^c. et Lipſiae. 8.

Allgemeine Betrachtungen über die Triebe der Thiere, hauptſächlich über ihre Kunſttriebe zur Erkenntniß des Zuſammenhanges der Welt, des Schöpfers und unſer ſelbſt, vorgeſtellet von HERRMANN SAMUEL REIMARUS. *2te Auflage, welche mit einem Anhange vermehrt worden. Hamburg.* 8.

CHRIST. TOB. EPHR. REINHARDS *Abhandlung von dem Lungenblutfluſſe oder Blutſpeyen, nebſt deſſen Gedanken von den epidemiſchen und unächten Wechſelfiebern. Glogau.* 8.

Ejusd. *Gedanken vom weiſſen Frieſelfieber.* ibid. 8.

Ejusd. medicus poeta; Pars I. exhibens de leucorrhoea a fluore albo mulierum benigno, pallore faciei, et lethalitate vulnerum iecinoris, carmina tria. Praefatur de Poetis medicis commentatiuncula. ibid. 4.

REIN-

REINHARD Progr. de Minerua medica ad Curt. Lib. III. cap. 7. Erlangae. 4.

ADOLPH GOTTL. RICHTER de corruptelis medicamentorum cognoſcendis tractatus medico chymicus, pharmacopoliis accommodatus et triplici indice inſtructus. Colon. Allobrog. 8.

ANT. RIDIGER Progr. de chemiae vniuerſalis vſu in phyſiologia medica generali magno et neceſſario. Lipſ. 4.

IO. GEO. ROEDERER Diſſ. inaug. de porrigine. Reſp. *Io. Ant. Frid. Oldenbourg.* Goett. 4.

Ejusd. Progr. continens obſeruationes de phthiſi infantum neruoſa. ibid. 4.

Ejusd. Progr. de cerebri ſcirrho obſeruatio. ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de rhachitide Reſp. *Geo. Ludv. Hanſen.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de pulmonum ſcirrho. Reſp. *Chriſt. Gottl. Hirſchfeld.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. exhibens tentaminum et obſeruationum de morbo varioloſo ſatura. Reſp. *Phil. Gabr. Hensler.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de cauſſis frequentiae morborum et mortium inter ciues in ſedibus bellorum. Reſp. *Io. Phil. Clave.* ibid. 4.

Ejusd. Progr. de hydrope ouarii. ibid. 4.

De morbo mucoſo liber ſingularis, quem nuper ſpeciminis inauguralis loco ediderunt IO. GEO. ROEDERER et CAR. GOTTL. WAGLER. ibid. 4. c. fig. aen.

EB. ROSEN. Diſp. de aphthis, ſigillatim febrium continuarum. Reſp. *Io. H. Eckmann.* Londini Scan.

Ejusd. Diſſ. de calculis hepaticis et cyſticis. Reſp. *Guil. Keventer.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. de hydrope. Reſp. *Pet. Unge.* ibid. 4.

De

De nonnullis plantis, quae pro venenatis habentur, obſeruationes et experimenta, a PETRO ROSSI Florentiae inſtituta. Piſis. 8 mai.

Nouvelles Obſervations, ou Methode certaine ſur le traitement des corps, dans la quelle ſe trouvent detaillées leurs differentes cauſes et les moyens d'une prompte et radicale gueriſon, d'apres les experiences faites par M. ROUSSELOT, Chirurgien. a Paris et a la Haye. 12.

Memoire ſur une eſpece de Chenilles, qui produiſent de la Soie, par M. DE LA ROUVIERE, a Beziers. 8.

Iournal de Medecine, Chirurgie, Pharmacie, etc. par AUG. ROUX. Iuil - Decembre 1762. a Paris 8.

Ejusd. Quaeſt. med. vtrum omnes humores corporis, non excrementitii, tum recrementitii, ex fermentatione producantur? *aff.* Reſp. IO. D'ARCET, D. Med. Burdigal. Paris. 4.

CAR. LE ROY de aquarum mineralium natura et vſu propoſitiones praelectionibus academicis accommodatae. Ed. altera. Monſpelii. 8.

IOH. FRID. RÜBELS *mediciniſch und chirurgiſches Lehrgebäude oder Auszug aller mediciniſch und chirurgiſchen Wiſſenſchaften. Augſpurg.* 8.

Ejusd. *mediciniſche Abhandlung, wie man in den Krankheiten aus dem Urine, Schweiſſe und aus dem Stuhlgange ein richtiges Urtheil fällen ſoll.* ibid. 8.

Eiusd. *Merkwürdigkeiten aus dem Reiche der Natur, oder phyſicaliſch - mediciniſch - chymiſch - und chirurgiſche Unterſuchungen und Anmerkungen, die allen Medicis und Chirurgis zu wiſſen nöthig und nützlich ſeyn. Frankfurt und Leipzig.* 8.

AARON DEL VALLE SALDANA Diſſ. inaug. de exoſtoſi. Trai. ad Rhen. 4.

CAR. SALLIN Quaeſt. med. an praecipuum reſpirationis organum diaphragma? *aff.* Reſp. *Ioſ. Philip.* Doct. Med. Rem. Paris. 4.

SAN-

SANCTORII SANCTORII aphoriſmi de medicina ſtatica cum ſcholiis ANDREAE RIDIGERI. Lipſiae. 8.

Dictionnaire univerſel de Commerce, d'Hiſtoire naturelle et des Arts et Metiers, contenant tout ce, qui concerne le Commerce, qui ſe fait dans les quatre parties du Monde, par IACQUES SAVARY DES BRUSLONS: Nouvelle Edition, exactement revue, corrigée et conſiderablement augmentée. a Coppenhague. Tome IV. fol.

FRANC. DE SAUVAGES Diſſ. de catharticis. Reſp. *Io. Petr. Laporte.* Monſpel. 4.

AUG. SCHAARSCHMIDTS *ſplanchnologiſche Tabellen. Neue Auflage. Berlin.* 8.

Ejusd. *Neurologiſche Tabellen; neue Auflage. ibid.* 8.

SAM. SCHAARSCHMIDTS *Abhandlung von der Geburtshülfe. 2te Auflage. ibid.* 8.

IACOBI CHRISTIANI SCHAEFFER fungorum, qui in Bauaria et Palatinatu circa Ratisbonam naſcuntur, icones natiuis coloribus expreſſae. Tomus I. Ratisbonae 4 mai. (*latine et teutonice.*)

Ejusd. Botanica expeditior, genera plantarum in tabulis ſexualibus et vniuerſalibus aeri inciſis exhibens. ibid. 4.

Ejusd. *Die Egelſchnecken in den Lebern der Schaafe, und die von dieſen Würmern entſtehende Schaafkrankheit, 2te Aufl. nebſt einer Kupfertafel mit Figuren in Farben. ibid.* 4.

Ejusd. *Der fiſchförmige Kiefenfuß in ſtehenden Waſſern um Regensburg. 2te Aufl. nebſt einer Kupfertafel in Farben. ibid.* 4.

Ejusd. *Die Sattelfliege. 2te Aufl. nebſt* 1 *Kupfert. in Farben. ibid.* 4.

Diſſ. phyſico medica, qua auri cum ſalibus mixti ſummam in corpus humanum vim atque virtutem viſcidum in febribus reſoluendi demon-

ſtrare annititur. IO. THEOPH. SCHEINHARDT. Carlsruh. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de vitiis lactis lactantium. Argentor. 4.

Deſcrizione di varie Produzione Naturali della Sicilia indirizzata in vna Lettera all Illuſtr. Sign. GIAN. FRANC. SEQUIER dal S. Dottore DOMINICO SCHIAVO, Palermitano Socio Colombario di Firenze. in Palermo.

CASIM. CHPH. SCHMIDEL, Diſſ. inaug. de hydrophobia ex vſu fructuum fagi oriunda. Reſp. *C. F. Selig.* Erlang. 4.

SIGISM. SCHMIEDERI ſchediaſma pathologico medicum de polypo oeſophagi vermiformi rariſſimo, a quotidiano pulueris ſternutatorii Hiſpanici vulgo Spaniol abuſu progenito. Lipſ. 4. c. fig.

Memoires ſur les Oolithes par M. SCHMIDT. a Basle. 4.

Chirurgiſche Geſchichte mit theoretiſchen und practiſchen Anmerkungen, entworfen von LEBRECHT EHREGOTT SCHNEIDER, Chirurgo *in Mitweyda. Chemnitz.* 8.

FRANC. SCHOENMEZEL Diſſ. inaug. de haemorrhagiis. Reſp. *Iacob Canſtatt.* Heidelberg. 4.

DAN. GOTTF. SCHREBERS *neue Sammlung verſchiedener in die oekonomiſchen und damit verwandten Wiſſenſchaften einſchlagender Schriften, Nachrichten und Urkunden,* I *und* 2*tes Stück. Bützow und Wiſmar.* 8.

Ejusd. *Sammlung verſchiedener Schriften, welche in die oeconomiſche-Policey-und Cameral-Wiſſenſchaften einſchlagen. 9ter Theil. Halle.* 8.

Tal om Glasmakariet, ſamt om Kongsholms Glasbruck af SAM. SCHULZE. Stockholm.

IUL. ERNST VON SCHÜTZ *oeconomiſche Bedenken über allerhand in die Hauswirthſchaft einſchlagende Sachen. 7 und 8tes Stück. Chemnitz.* 8.

FRANC.

FRANC. GUIL. DE LA SERVE Diſſ. de analogia neruorum cum fluido electrico. Monſpelii. 4.

GEO. FRID. SIGWART. Diſſ. inaug. de aere et alimentis militum, praecipuis hygienes militaris momentis. Reſp. *Car. Phil. Diez.* Tubing. 4.

Ejusd. epiſt. gratul. in qua homo in ſingulari dualis, nec diſſylabum tantum et bipes animal, vt vulgaris fert fama, ſed ſupra vulgi captum totus anceps et duplex, neque vel ibi ſimplex, vbi videtur ſimplex et ſimpliciſſimus: nouo dichotomiae anatomicae ſpecimine dualiſtico conſpectior factus. ibid. 4.

A Treatiſe on the Theory and Practice of Midwifery, by W. SMELLIE M. D. Vol. I. The fourth Edition. London. 8.

IAC. REINBOLD SPIELMANN Diſſ. ſiſtens hiſtoriam et analyſin fontis Rippolſauienſis. Reſp. *Ioan Boecler.* Argentorati. 4.

Ejusd. Diſſ. ſiſtens cardamomi hiſtoriam et vindicias. Reſp. *Ioh. Herrmann.* ibid. 4.

Specimen phyſico-geometricum de terrae motu ad architecturae vtilitatem concinnatum ab EUSEBIO SQUARIO. Venetiis.

GEO. FRID. STEINMEYER Diſſ. inaug. de rubia tinctorum. Argentor. 4.

ANT. STOERCK tractatus medicus cum diuerſis experimentis de cicuta. Lauſannae. 8. c. f.

Ejusd. annus medicus ſecundus. Edit. alt. Vienn. 8.

Ejusd. Libellus, quo demonſtratur: ſtramonium, hyoſciamum, aconitum, non ſolum tuto poſſe exhiberi vſu interno hominibus, verum et ea eſſe remedia in multis morbis maxime ſalutifera. Iunguntur ſimul harum plantarum imagines aere excuſae. Vindobonae. 8.

Ejusd. *Beobachtungen von dem Gebrauch und Nutzen des Schierlinges, ſowohl in innerlichen als äußerlichen*

chen Krankheiten. Aus dem Lateiniſchen überſetzt, und mit einer Vorrede und einigen Erfahrungen vermehrt von GEORG LUDW. RUMPELT. 3 *Theile. Dresden und Warſchau.* 8.

Obſervations nouvelles ſur l' uſage de la Cigue, dans les quelles il eſt demontré, que non ſeulement on peut uſér interieurement de cette plante avec la plus perfaite ſecurité; mais encore, qu'elle eſt un excellent remede dans beaucoup de maladies, quel'on a juſqués a ce jour aſſurées incurables; ou ſeconde Partie et Supplement neceſſaire; Ouvrages traduits du Latin de M. ANT. STOERK, auxquels on a joint l' hiſtoire de l' uſage interne de la Cigue, la figure de cette plante, et les cures operées et publiées en France juſqu' a ce jour. a Vienne et a Paris. 12. (*Obſeruationes de hac planta in Gallia factas huic editioni adiecit* LE BEGUE DE PRESLE. *Med. Facult. Pariſ. et Cenſor Regius.*)

HANS STROM Phyſick og Oeconomisk Beſkrivelſe over Fogderiet Sond mor beliggende i Bergens Stift i Norge. I. D. Soroe. 4. c. tab. aen.

GERARDI L. B. VAN SWIETEN commentariorum in HERMANNI BOERHAAVE aphoriſmos compendium ſtudio et opera R. SCHOMBERG. Francof. et Lipſiae. 8. (*Epitome haec in anglicam translata linguam Londini eodem edita fuit anno.*)

Deſcription abregée des maladies, qui regnent le plus communement dans les armees avec la methode de les traitér par M. VAN SWIETEN. a Amſt. et a Leipzig. 8.

THOMAE SYDENHAM opera medica; in hac nouiſſima editione variis variorum praeſtantiſſimorum medicorum obſeruationibus, et plurium conſtitutionum epidemicarum recentiorum deſcriptione quam maxime illuſtrata; immo et mechanica

chanica tum morborum tum medicamentorum a IO. BAPT. MAZINO: nec non CAELEST. COCCHII et BARTHOL. BOSCHETTI tractatibus rurſus aucta; etc. Venetiis. fol.

HERM. FRID. TEICHMEYERI inſtitutiones medicinae legalis vel forenſis. Edit. 5ta reuiſa, emendata, et multis additamentis aucta a IO. FRID. FASELIO. Ienae. 4.

IO. NIC. TETENS de vi cohaeſionis explicandis phaenomenis, quae vulgo vi attrahenti tribuuntur, haud ſufficiente. Buezov. 4.

Hiſtoire d'un Inſecte, qui devore les grains de l'Angoumois, avec les moyens, que l' on peut employér pour le detruire, par Mſſrs. DU HAMEL DU MONCEAU et TILLET. a Paris. 12.

Diſſertation ſur les Bains des Orientaux par Mr. ANTOINE TIMONY. a Vienne. 4.

Diſſertation ſur l' Inoculation de la petite verole par *le meme*. ibid. 4.

Lettre a Monſ. HIRZEL ſur quelques critiques de M. DE HAEN par M. TISSOT. a Lauſanne. 12.

Avis au Peuple ſur ſa Santé: ou Traité des Maladies les plus frequentes; par M. TISSOT. Nouvelle Edition, augmentée de la Deſcription et de la cure de pluſieurs maladies et principalement de celles, qui demandent de prompts ſecours. Ouvrage composé en faveur des habitans de la Campagne, du Peuple de Villes, et de ceux, qui ne peuvent point avoir aiſement les Conſeils des medecins. a Paris. 8.

Hrn. S. A. D. TISSOT *Anleitung für das Landvolk in Abſicht auf ſeine Geſundheit, mit neuen Zuſätzen vermehrt, aus dem Franzöſ. überſetzt, durch Hrn.* C. HIRZEL. *Zürch.* 8.

Vſus opii ſalubris et noxius in morborum medela ſolidis et certis principiis ſuperſtructus a D.

BALTH. LUDOV. TRALLES. Sectio IV et vltima. Vratislav. 4.

DAN. WILH. TRILLER Diſſ. inaug. de morte ſubita ex nimio violarum odore oborta. Reſp. *Petr. Renſch.* Witemberg. 4.

HEINR. GOTTL. NEPOMUK TROSCHEL, *der Ch. u. Med. D. erforderliche Nachrichten von dem Biliner Sauerbrunnen, nach der neueſten Aufſuchung der wahren reinen Quelle Waſſers. Pirna.* 8.

Memoires ſur les defrichemens, par M. TURBILLY. Amſterd. 8.

Des Herrn Marquis VON TURBILLY *practiſcher Unterricht zum Aufreiſſen oder Brechen der angebaueten Felder, eine mit einigen von dem Herrn Verfaſſer ſelbſt mitgetheilten Zuſätzen erweiterte deutſche Ueberſetzung mit einer Vorrede* GOTTFR. SCHÜTZENS *Altona.* 8 *mai.*

FRANC. GUIL. LE VACHER de fractura cranii, quae dicitur contra fiſſura, theſes anatomico chirurgicae. Reſp. *Franc. Sauthereau.* Paris. 4.

SIM. VACHER, Quaeſt. med. an refuſa in ſanguinis alueum pinguedo cedat in corporis nutrimentum? *neg.* Reſp. *Franc. Portier.* Doct. Med. Andegav. Paris. 4.

Mineralogie, ou Nouvelle Expoſition du Regne Mineral; Ouvrage dans lequel on a taché de ranger dans l'ordre le plus naturel les Individus de ce Regne, et ou l'on expoſe leurs proprietés et uſages mechaniques; avec un Dictionnaire Nomenclateur et des Tables Synoptiques; par M. VALMONT DE BOMARE. Tome II. a Paris. 8.

Iournal de Medecine, Chirurgie, Pharmacie, etc. par M. VANDERMONDE. Ianvier - Iuin. 1762. Tome. XVI. a Paris. 8. (*Reliquae partes quaerendae ſunt ſub nomine* A. ROUX, *qui poſt mortem* Cl. VANDERMONDE *hoc diarium curauit imprimendum.*)

IAC. VERDELHAN DES MOLES, Quaeſt. med. an in pulſu inaequali aut intermittente purgantia? *aff.* Reſp. *Hugo Gauthier.* Paris. 4.

NIC. VENETTE *von Erzeugung der Menſchen. Neue Auflage. Königsberg.* 8.

EL. COL. VILARS *Einleitung in die Chirurgie, nebſt einem mediciniſch chirurgiſchen Wörterbuche,* 5 *Theile. Altona und Lübeck.* 8. Voll. 5.

Practiſches Mineralſyſtem, entworfen von D. RUD. AUGUSTIN VOGEL. *Leipzig.* 8.

Ejusd. *neue mediciniſche Bibliotheck* 4*ten Bandes* 6*tes Stück; und* 5*ten Bandes* 1*ſtes Stück.* Goetting. 8.

Ejusd. Inſtitutiones chemiae ad lectiones academicas accommodatae, editio noua et locupletata. Francofurti et Lipſiae. 8. (*Alia editio Bambergae eodem anno prodiit.*)

Ejusd. Diſſ. inaug. de gemino coli vulnere non lethali. Reſp. *Io. Herm. Vogel.* Goetting. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. terrarum atque lapidum partitio. Reſp. *Aug. Frid. Chr. Hempel.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de nitro flammante. Reſp. *Chriſt. Frid. Keller.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de vomica pulmonum ſine cyſtide. Reſp. *Sim. Henr. Adolph Keiſer.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de rarioribus quibusdam morbis et adfectionibus obſervationes. Reſp. *Io. Chriſt. Bündell.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de inſigni venenorum quorundam virtute medica, inprimisque cantharidum ad morſum animalium rabidorum praeſtantia. Reſp. *Io. Ernſt Wichmann.* ibid. 4.

IO. CAR. VOIGT Diſſ. de abſceſſu lapillos quosdam continente. Reſp. *Io. Fr. Wilh. Lützend.* Giſſae. 4.

Ejusd. Diſſ. inaug. de iis, quae in membrorum amputatione obſeruanda ſunt. Reſp. *Io. Chr. Liebknecht.* ibid. 4.

IAC. VAN DER VORM. Diſſ. inaug. de anorexia. Lugd. Bat. 4.

ADO UVEN Diſſ. inaug. de mali hyſterici ſymptomatum diuerſitate ob regionum et vitae regiminis diuerſitatem, habita praeſertim ratione ad hyſtericas in Friſia orientali. Halae. 4.

Der wohlerfahrne Landwirth, oder vorläufige Anleitung, wie die Landwirthſchaftsoekonomie, nemlich der Feldbau, der Wieſewachs, die Hutweyden, die Waldungen, die Teiche, die Meyerhöfe und die Schäfereyen in einen viel verbeſſerten Stand gebracht, die Einkünfte hoher Herrſchaften um ein groſſes vermehret, und der gemeine Landmann merklich vermögender werden könte; in einer Unterredung zwiſchen einem Wirthſchaftsamtmann, und ſogenannten Burggrafen oder Landwirthſchafter, vorgetragen von I. W. *Leipzig.* 8.

De morbo mucoſo liber ſingularis, quem nuper ſpeciminis inauguralis locò ediderunt IO. GEO. ROEDERER et CAR. GOTTLIEB WAGLER. Goett. 4. c. fig. aen.

I. ERNST IMM. WALCHS *Steinreich, ſyſtematiſch entworfen. m. K. Halle.* 8.

M. I. WALLENIUS, Diſſ. de communicatione caloris inter fluida commixta. Reſp. *Ionath. Hoekert.* Abo. 4.

IO. GOTTSCH. WALLERIUS *Mineralogie. 2te Aufl. mit den Verbeſſerungen der franzöſ. Ueberſetzung, vermehrt von* I. DOM. DENSO. *Berlin.* 8. *m. K.*

Ejusd. Om de vid Stora Koppar-Berget i Smält Proceſſen fåfängt förſökte förbätringar. Reſp. *Iſaac Moraeus.* Vpſal. 4.

Ejusd. Diſſ. de circulatione aquarum duplici. Reſp. *Petr. Adolph Ahlbom.* ibid. 4.

Ejusd. Diſſ. de pluuia ſulphurea. Reſp. *Haquin Ekenborg.* ibid. 4.

IO.

IO. GOTTSCH. WALLERIUS Diſſ. de cinnabaris in corpus humanum effectu. Reſp. *Nic. Stragge.* Holm. 4.

Ejusd. Diſſ. de Moſe, mineralogo, et chemico ſummo. Reſp. *Gerh. Reinh. Hoyer.* Vpſal. 4.

Der groſse Gott im Kleinen, auf eine ſeiner Majeſtät anſtändige Weiſe an dem edlen Geſchöpfe der Bienen, nebſt einer Präliminarabhandlung von dem Ungeziefer überhaupt, ſchrift und vernunftmäſsig vorgeſtellet von IOH. GOTTL. WALPURGER. *Nebſt einer Vorrede Hrn.* CHRIST. HEINR. EILENBURG. *Chemnitz.* 8.

FRID. WENDT Diſſ. inaug. ſiſtens obſeruationes de pleuritide et peripneumonia. Goett. 4.

An Account of the Topical application of the Spunge in the Stoppage of Haemorrhages. Read before the Royal Society, by CH. WHITE, One of the corporation of Surgeons in London and Surgeon to the Mancheſter infirmity. London. 8.

I. B. VON WICHMANNSHAUSEN *oeconomiſches Allerley. Leipzig.* 8.

CHRIST. LUD. WILLICH de plantis quibusdam obſeruationes. Goetting. 8.

Die Naturgeſchichte und Bergwerksverfaſſung des Oberharzes beſchrieben von IOH. FR. ZÜCKERT. *Berlin.* 8.

Contenta in hac parte.

1. Hiſtoire et Memoires de l'Academie Royale des Sciences de Paris. an. 1758. - p. 579
2. HILL Flora Britannica. - - 597
3. HUDSONI Flora Anglica - 599
4. DUFIEU Traité de phyſiologie - 603
5. BAADER Obſeruationes medicae inciſionibus cadauerum anatomicis illuſtratae - 614
6. POERNER Delineatio pharmaciae chemico-therapeuticae. - - 618
7. LE BEGUE DE PRESLE Memoire pour ſervir a l' hiſtoire de l'uſage interne du mercure ſublimé corroſif. - - 632
8. BERTRAND Dictionnaire univerſel des foſſiles cet. - - - 634
9. Faſciculus diſſertationum anatomico-medicarum 637
10. VANDERMONDE Iournal de Medecine, Chirurgie, Pharmacie, cet. Tom. XV et XVI. 642
11. V. HALLER Elementa Phyſiologiae corp. hum. Tom. VI - - - 666
12. Philoſophical Transactions Vol. LII. Pars I. 698
13. Noua phyſico-medica - - 720
14. Continuatio indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1762 prodierunt - - 732

INDEX.

INDEX.

A.

Abdominis tumores varii, de iis obſeruationes. 135 ſq. velamenta. p. 684

Abhandlungen der naturforſchenden Geſellſchaft in Zürich 1ſter Band. 110

Abietum ramuſculorum vtilitas in obtegendis agris lino conſitis. 536

Aboae theatrum anatomicum et laboratorium chemicum exſtructa ſunt. 170

Abſceſſuum ſedes. 449

Aceti vſus in mania. 34 contra cupri vires triſtes. 666. tanquam potus conſiderati effectus. 678. vini tanquam menſtrui vis. 625

Acidorum mineralium et vegetabilium vſus in variolis. 25 ſq.

Acidum pingue, quid. 490 eius ortus et proprietates. 489 ſq. an ſit materia ignis? 490 ſqq. an ſit elaſtica aeris materies? 495. an pro materie electrica haberi poſſit? 495 ſq. an ſit acidum primigenium ſeu vniuerſale? 496

Aconiti hyemalis anatome et vitae ratio. 510 ſq.

Acutarum febrium differentia et curatio. 432 ſqq.

Aedificia exſtruendi varia methodus. 69 ſq.

Aerugo vaſorum cupreorum cauſſa ſcorbuti. 444 ſq.

Aether, an ſit acidum pingue? 495. eius elaboratio chemica et vſus medicus. 454. circa eum eiusque cum aqua miſcibilitatem experimenta. 585

Affectus ſuperficiarii quid? 41. horum claſſis et ordines. 47

Affinitas corporum chemica quid? 84

Agriculturae, in agris Appenzell dictis deſcriptio. 112. dictionarium generale indicatur. 171 ſq.

Ailhaud pulueris laxantis diſquiſitio. 222

Alantoides membrana quid? 639. de hac obſeruatio. ib.

Alcali refractarium quid? 224

Algae conuolutae vegetatio deſcribitur. 514

Allemand Icones, animalia ex muſeo academiae Lugduno-Batauae deſumta, picta exprimentes, indicantur. 173

Alpium Noruegicarum plantae paſcendo pecori aptae enumerantur. 519 ſq.

Americanarum ſtirpium hiſtoria. 226

Amputatio cruris ſine ſubſequente haemorrhagia. 453

Anates ferae, de iis obſeruationes. 81

Anatomicae obſeruationes. 4. 212 ſq. 537, 581

Anemones vitae et vegetationis ratio. 512

Aneuryſma, de illo obſeruationes. 133. illud ſanandi noua methodus. 464. eius ſingularis ſpecies obſeruata. 467. arteriae axillaris obſeruatum. 615

Angina, eius curatio. 545 circa eius curationem monita. 558
Anguriae, plantae character. 243
Anhelatio quid? 44. eius claſſis et ordines. 48
Anima quid, eiusque facultates. 322. eius ſedes an ſit in corpore calloſo. 607 an in ventriculo? 684
Animalium, ex muſeo academiae Lugd. Batauae deſumptorum, pictorum icones indicantur. 173. carniuororum et herbiuororum differentia. 673 in aere intercluſorum ſuffocatio, circa hanc experimenta. 338 ſq.
Animi adfectus, quomodo oriantur. 324. horum effectus. ib.
Annulorum coloratorum inter laminas vitreas phaenomeni diſquiſitio. 199
Anthelii prope Oxonium obſeruati deſcriptio. 707
Antimonii, ſal ſedatiuo ſali ſimilis. 5. butyrum, circa illud experimenta. ib. tinctura nigra vera ſeu mineralis amara. 221
Apar, erinacei ſpecies 403
Aper mexicanus, eius deſcriptio. 390
Aphides, inſecta, mel roſcidum excernunt. 525
Apoplexia quid? 27. eius ſpecies. 27 ſq. eius theoria et curatio. 435
Apum deſtructrices, eruca eiusque phalaena. 518
Aquae congelatio, circa illam experimenta. 64. differentiae et bonitatis notae. 676. deſtillatae, harum definitio. 626. almelouenſis vſus in paralyſi veſicae. 664. amarae Saydſchuzenſis deſcriptio. 153 ſq. coloratae in fonte quodam Duaci reperiundae analyſis. 204. martiales fluuii Rio Tinto Hiſpanici, circa has experimenta. 65 earundem vſus in hydrope. ib. ſq. mineralis Ochtienſis diſquiſitio. 219.
Aquilae tripedis deſcriptio. 532
Araneas capiendi et nutriendi modus. 71. illarum ſpecies ob modum cubile ſibi parandi notabilis. 580 ſq.
Arbores iuniores hyeme a muribus et talpis defendendi modus. 62. a formicis tuendi modus. ib. arborum frugiferarum incrementi nimii ad augendam fructuum copiam retardatio, circa hanc experimenta. 703
Ardeſiae tegularis circa Andegauum fodinae. 7. huius differentiae, natura et figurae. ib.
Argillae ad fuſionem diſpoſitio ope miſtionis cum calcariis terris. 588
Arnold, Io. Chriſt. vita et obitus. 565 ſq.
Arthritidis cauſſae et curatio. 517 ſqq.

Articulorum hydrops, eius cauſſae. 107 ſymptomata. 108. curatio. 109. oſſificatorum curatio. 712
Aſcite demortui cadaueris ſectio. 648
Aſthmate demortui ſectio. 617, 618.
Aſtronium, planta, eius character. 244
Gli Atti dell' Accademia delle ſcienze di Siena detta de Fiſiocritici dell' anno 1760, Tom. I. 145 ſqq.
Atretae, circa harum curationem monita. 136
Auditus, quomodo fiat. 308 ſeq. huius organi fabrica. 305 ſqq. oſſicula vid. oſſicula auditus.
Auenae, in ſecale mutatio experientia probata. 276 ſemina, quae in ventriculo hominis progerminarunt, obſeruata. 643
Auicennia, planta, eius character emendatus. 240
Aurantiorum foliorum vſus in conuulſionibus et epilepſia. 141 ſq.
Aurum album, nouum metallum vid. Platina.
Azyga vena duplex obſeruata. 641

B.

Baader, Ioſeph. Obſeruationes medicae inciſionibus cadauerum anatomicis illuſtratae. 614
Bactris, nouum plantae genus. 245
Badenſium in Auſtria thermarum partes conſtituentes et vſus. 440 ſqq.
Balemann, Henr. obitus. 169
Balneorum frigidorum vtilitas. 549
Barometri conſtructio emendatior. 273. noui metallici deſcriptio. 713
Baumé Elemens de Pharmacie theorique et pratique etc. 35
Baumer, Io. Guil. Prof. Med. Primar et Phyſicus Prouincialis Gieſſenſis. 168 367. a Reg. Scient. Acad. Berolinenſi praemium reportauit. 367
Belgii tempeſtatum viciſſitudines cauſſa morborum. 557
Bergius, Petr. Ion. ab Acad. Reg. Scient. Suecica praemium obtinuit. 524
Berolinenſis Acad. Reg. Scient. elegantiorumque literarum theſ. et praemium ad ann. 1766 dilatum. 562
Bertrand, E. Dictionaire univerſel des foſſiles propres et des foſſiles accidentels etc. 634
Bilfinger, Chriſt. Lud. de tetano liber ſingularis. 259
Biliariorum hepatis ductuum fabrica. 688 ſq.
Bilinenſis fontis medicati contemplatio 247 ſqq. vlterior diſquiſitio. 250 ſqq. aquae medicatae natura. 251. producta medicamentoſa. 252. vſus. 254 ſq.
Bilis differentiae et proprietates. 691 ſq. cum illa inſtituta experimenta. 692 eius analyſis chemica. 693 via. 694. quatenus icteri cauſſa

cauſſa. 694. eius ſecretionis ratio. 695. vtilitas. 696
Blackſtonia, nouum plantae genus. 600
Boehmeria, nouum plantae genus. 243
Boehmer, Phil. Adolph. Diſſ. oui humani foecundati ſed deformis, trimeſtri abortu eliſi, anatomen exponens. 638. de vracho humano. 639. diſſ. de confluxu trium cauarum in dextro cordis atrio. 640
Bohadſch, Io. Bapt. Prof. Botan. et mater. med. Pragenſis. 563. Acad. Elector. Scient. vtilium Moguntinae ſocius. ib. Reg. Societ. Scient. Londinenſ. ſocius. ib. ſq.
Borax natiua, experimenta cum ea inſtituta. 223. eius depurationem inſtituendi modus. 222. eius partes conſtitutiuae. 224
Botanices hiſtoria in periodos diſtributa. 501
Boum contagium, de illo obſeruationes. 289
Bragunenſium thermarum deſcriptio. 219
Breslauiae ſalubritas cum Angliae variis locis comparata. 701 ſq.
Brownaea, planta, eius character. 241
Brunſuigae domus artis obſtetriciae exercitio dicata exſtruitur. 725 ſq.
Bryum collo oloris, eius deſcriptio. 514
Bufonis venenati effectus. 646. americani propagatio. 270
Burdigalenſis Societ. Reg. Scient. theſ. et praem. ad ann. 1765 et 1766. 165 364
Byttneria aculeata, planta, eius deſcriptio. 234 ſq.

C.

Cachecticorum morborum character. 46. claſſis et ordines. 49
Cachicamo, daſypi ſpecies. 406
Cadauerum putreſcentium lux in tenebris, circa hanc obſeruatio. 70 ſq.
Caecitas, mira eius obſeruatio. 613. colicae pictonum ſymptoma. 660
Cagopollin, animalis deſcriptio. 413
Calcareus lapis Osnabrugenſis. 470. experimenta cum eo inſtituta. ib. ſq. eius calcinatio. 472
Calcinationis diſtinctio, ſpecies et ſubiecta. 91
Calcis viuae extinctio, circa eam obſeruata. 472 ſq. combinatio cum pinguibus et oleis an ſaponem praebeat? 476 ſq. cum ſpiritu vini combinatio. 478 ſq. cum ſulphure 480 ſq. cum metallis. 481 ſq. cum alcalinis ſimilitudo. 484. calx aquae ope cur incaleſcat? 472 ſq. eius ſolutio. 473 circa aquam eius experimenta chemica. 473 ſqq.

Calculi biliarii, horum ortus et differentia. 692 ſq. analyſis chemica. 693. veſicae, ſacco incluſi obſeruatio. 78 ſq. permagni obſeruatio. 132 ſq. magni ex vrethra per perinaeum egreſſi caſus. 713
Calli in fractura femoris, carie affecti, formatio. 654
Campanulae cymbalariae foliorum vſus ad exſtirpandas verrucas. 646
Camper, Petr. Med. Theoriae Anat. Chir. et Botan. P. P. ord. in Acad. Groningenſi. 167
Camphorae ſublimationem inſtituendi modus. 222 vſus in variolis. 25
Canae inſulae mira naturae producta. 709
Cancri, animalis, nouum genus deſcriptum. 211
Canum rabiei cauſſa. 430
Capitis vulnerum recentium curatio, circa hanc obſeruata. 593 ſq.
Cardialgia chronica, circa eius curationem monita et obſeruationes. 134 ſq.
Caro, pars plantae, huius deſcriptio. 506. vſus. 507 officium. 510
Carus nyſtagmus, noua morbi ſpecies. 55
Caſearia, nouum plantae genus. 238
Caſtor oil vid. Ricini oleum.
Catalepſis a terrore exortae curatio. 655
Catamenia vid. Menſtrua.
Cataphractus ſcuto vnico, cingulis octodecim Briſſon. 406 ſq.
Cataractae ſpecies. 50 ſq. extractioni accedentia ſymptomata et modus iis proſpiciendi. 654. congenitae ſigna et operatio. 664 ſq.
Caua vena ſuperior duplex obſeruata. 640
Cauſticum, eius definitio. 488 calcis principium, in quo conſiſtat. 474, 476. circa illud experimenta. 481 ſq. 484. eius ortus. 485. quaenam corpora illud ſuſcipiant. 486. eius geneſis et proprietates. 487. cauſticum ſalem fixum praeparandi modus. 474 ſq.
Cellularis, contextus ſtructura et morbi. 447 ſq. telae in pla tis deſcriptio. 505
Cephi, auis deſcriptio. 712
Ceraceae cuiusdam materiae examen. 220
Ceraſa per hiemem conſeruandi modus. 579 ſq.
Cerebri commotio vehementior, qua aeger ad 25 dies ſine ſenſuum vſu manſit. 651
Cereuiſiae ortus et vtilitas. 677
Ceruis cornua cur decidant? 200. cerui volantis, inſtrumenti, emendatio. 205
Chalybs, ad eius productionem pulueres varii inſeruientes. 87
Chemia quid. 83
Chemica principia et elementa. 83. inſtrumenta eorumque differentia. 84

Chimar-

Chimarrhis, nouum plantae genus. 234
China China vid. Peruuianus cortex.
Chomel, Io. Bapt. Lud. praemium, elogio Lud. Dureti dicatum, reportauit. 366
Chomelia, nouum plantae genus. 231
Chronicorum morborum penes Guineenſes curatio. 284 ſq.
Cibi, menſura. 678. eum ſumendi tempus. ib. ſq. coctionis in ventriculo cauſſae. 679, 681, 683. animalis et vegetabilis natura et hiſtoria. 673 ſq. animalis noxa. 675
Cicutae character botanicus. 119. ab aliis ei ſimilibus plantis differentia. 706 ſq. analyſis chemica. 119 ſq. 123. dubia vexata. 125 ſq. vtilitas in variis morbis obſeruata. 34, 120 ſqq. 124 ſq. 647. vſus in cancro. 653. in ſcirrho. 549 in tumore ſcirrhoſo. 645 vtilitas in cancro negatur. 57. vtilitas dubia. 555 560. circa eius effectus experimenta. 102
Cincinalis, nouum plantae genus. 360
Cirquinçon ſ. tatu cingulis octodecim. 406
Clayton, Io. Flora Virginica. 142
Coffeae plantatio et negotiatio in Yemen ſeu Arabia felici. 27 ſq. vſus in vertigine habituali. 643
Colchici anatome et vitae ratio. 510
Colicae ſpecies. 548. inflammatoriae curatio. 555. pictonum ſpecies, harum cauſſae et ſymptomata 649 ſq. pictonum vegetabilis, vſu vini pomacei exortae notiones generales. 651 ſq. vegetabilis ſymptomata. 657 ſq. 660 ſq.
Collin, Matthaeus, Prof. Anat. Viennenſ. 724
Coloris rubri ex hyperico obtinendi qualitates et vſus. 527. colorum diuerſitas vnde? 316
Conchae margaritiferae, earum hiſtoria naturalis. 521 eas aperiendi modus. 523
Condylomatum venereorum palmae manus magnitudine curatio. 665
Conger, piſcis vid. Muraena.
Coni vaſculoſi, pars plantae, horum deſcriptio. 506
Conii Royenii L. icon. 123
Conuulſiones quid? 43. earum ſalubritas. 44. claſſis et ordines. 48. de iis obſeruationes et monita. 131 earum in infantibus cauſſae. 549
Cor, eius ruptura obſeruata. 714 ſq. huius ratio diſquiritur. 715. inſigne volumen habens obſeruatum. 716. cordis auricularum motus, eiusque cauſſae. 216 ſq.
Coriandri vtilitas in fugandis talpis et rattis aquaticis. 62

Coria-

Coriarii pulueris vſus ad pullos ouis excludendos. 204
Corpulentia vid. Polyſarcia.
Corſicae florula 341 ſq.
Cortex foliorum vid. Folia. peruuianus, vid. Peruuianus cortex.
Corticis plantarum externi ſtructura. 504. interioris ſtructura. 505
Coſtae bouinae pars ex fiſtula ani hominis extracta. 655
Cramer, Chriſt. Car. obitus. 170.
Cranii vſtio, vid. Vſtio.
Crantz, Henr. Io. Nepom. Qu. acad. quae ſint cauſſae muſculorum motrices etc. 214
Cruris fractura complicata doloribus ad partum accedens. 659
Cryſtallus Islandica, circa eius vim electricam experimenta. 520, 717 ſq.
Cupri effectus triſtes eorumque curatio. 666. cupreorum vaſorum noxa 452 horum vſus in nauibus cauſſa ſcorbuti. 444 ſq.
Cuticulae generatio. 294
Cutis deſcriptio. 293. eam inungentes humores. 296
Cynips quercus corticis deſcripta. 529

D.

Dalechampia, planta, eius character. 246
Daſypi Linn. variae ſpecies. 404 ſqq.
David, Diſſertation ſur ce, qu'il convient faire pour diminuer ou ſupprimer le lait des femmes. 343
Debilitatum ſ. morborum paralytodaeorum character. 44. claſſis et ordines. 48
Decocta pharmaceutica quid. 628. decocti radicis gentianae rubrae cum liquore tartari vitriolati praeparatio et virtus. 628
Deformitatum character. 46 claſſis et ordines. 49
Desman, muris ſpecies 387 389
Deſtillationis diſtinctio, ſpecies et ſubiecta. 88 ſq.
Diarrhoea in variolis, quid denotet? 57
Didelphis Linn. animal, eius deſcriptio. 409 ſqq.
de Dieſt, Io. Ordini med. Pariſino 60000 livres teſtamento legauit. 722
Digeſtionis alimentorum ratio. 609, 679 ſqq.
Diphyſa, nouum plantae genus. 242
Dippelii oleum animale praeparandi facilis methodus. 218
Dolores quid? 44. horum differentia. ib. eos efficientia principia. ib. ſq. eorum claſſis et ordines. 49
Draconis volantis, inſtrumenti emendatio. 205
Dreſdenſe collegium ſupremum mercaturae, agriculturae, artium vtilium et officinarum conſtitutum. 158
Dufieu, Iean Ferapie, Traité de phyſiologie. 603

Dumbarici portus in Scotia deſcriptio. 708
Dureti, Ludov. elogium. 366
Dyſenteriae curatio, circa eam monita. 548
Dyſpnoea vid. Anhelatio.
Dyſuria, ex abſceſſu veſicae orta, eius curatio. 663

E.

Echinita ſingularis. 203
Ecnephiae procelloſi in noua Anglia exorti recenſio. 699 ſq.
Ehrhart, Proiect. Ioſeph. Diſſ. de cicuta. 122
Elaeis, nouum plantae genus. 245
Elaphrium, nouum plantae genus. 236
Elaterium, nouum plantae genus, eius character. 243
Electrica materia, an in acido pingui conſiſtat? 495 ſq.
Electricitas, circa eam experimenta. 80, 717 ſq. an in ſpatio aere vacuo poſſit excitari, de hac experimentum. 333 ſq. contraria; circa hanc dum vis electrica accumulatur, experimenta. 535 ſq. eius vſus in paralyticis. 29. in hemiplegia arthritica. 54 in tumore corporis oedematoſo et emphyſematico. 57
Elementa quid? 497. horum numerus. ib. vbinam in puritate ſua reperiunda? 498. eorum characteres. ib. ſq. chemica quid? 83
Eller, Io. Theod. Obſeruationes de cognoſcendis et curandis morbis, praeſertim acutis. 431
Emeticorum remediorum indicantia et contraindicantia. 551
Emphyſematis caſus ſingularis. 445 ſqq. eius operatio Guineenſibus ad curationem morborum chronicorum vſitata. 284 ſq.
Encoubert, daſypi ſpecies. 404
Encrini cum ſtipite articulato deſcriptio. 718
Epidemicus morbus Edinburgi autumno 1758 ſaeuiens. 454
Epilepſia, circa illam obſeruata et monita. 32 ſq. 131. ea defuncti ſectio. 615 ſq. building biliosa, eius cum hydrophobia ſpontanea analogia. 663
Epiploi vtilitas. 685. ex vulnere prope vmbilicum propendentis ſectio. 656
Equorum morbus. 198
Eraſmus, Io. Frid. in Acad. Moſcouienſi Anat. Chir. et artis obſtetriciae Prof. Publ. ord. 725
Erinacei Linn. ſpecies. 403
Eruca, apibus infeſta, eiusque phalaena. 518
Eruum, circa eius effectum experimenta. 102
Eſſentiae aſae foetidae cum liquore cornu cerui ſuccinato praeparatio et vires. 627. gummi ammon. cum liquore nitri regenerati praeparatio et virtus. 627
Exfoliatio oſſium, circa hanc experimenta. 593 ſq.

Extra-

Extracta pharmaceutica parandi modus. 630. extracti millefolii praeparatio et vſus, 630 ſq.

F.

Famis ſedes et cauſſa. 671 ſq.
Faſciculus diſſertationum anatomico medicarum. 637
Febrium character, in quo conſiſtat. 41, 50. claſſis et ordines. 47. ordinum genera. 50. curatio, circa hanc monita. 51 ſq. cauſſae, differentiae et curatio. 432 ſqq. billoſarum curatio. 556. intermittentium ſeu potius remittentium epidemicarum anno 1759 graſſatarum deſcriptio. 20 ſq. curatio. 22 malignarum curatio. 547 febris epidemica maligna, eius curatio. 458
Fellea veſicula vid. Veſicula fellea.
Feminarum morbi, horum curatio. 548 ſq.
Femoris luxatio. 450. partis ſeparatio ſingularis. 460
Ferrum, qua ratione in ſanguinem veniat. 675
Fiſtulae in vtroque teſticulo caſus. 458
Flammae extinctionis cauſſa. 338 ſqq.
Flora Anglica. 597, 599. Ingrica. 349. Virginica aucta et emendata. 142 ſq.
Florula Corſicae. 341 ſq.
Fluuii Normanniae et Galliae, qui terras ſubeunt. 590
Fluxuum morboſorum differentia. 46. claſſis et ordines. 49
Foetus male conformati deſcriptio. 207. extra vterum inuenti, per partes abſcedentis caſus. 465
Foliorum in plantis, cortex et rete, circa illum obſeruata. 103 ſq. vtilitas. 210 aurantiorum vſus in epilepſia. 33
Foſſilium lexicon vniuerſale. 635
Fracturae cruris complicatae cum vulnere et luxatione curatio. 645
Frictionis oleoſae abdominis vſus in aſcite. 30
Frigoris intenſi a. 1759, 60, et 61. effectus in plantas. 59, 67. ex euaporatione phaenomena. 336 ſq. febrilis definitio. 42
Fructus horaeos per hiemem conſeruandi modus. 579 ſq.
Frumentum contra inſecta defendendi remedia. 18 ſq. ſine corruptione diu conſeruandi methodus. 113 ſqq.
Fungorum in Bauaria et Palatinatu naſcentium icones. 99
Fungus glutinoſus, nouum fungi genus. 526

G.

Gallae ſingularis deſcriptio. 529
Gaſſer, Io. Laur. vita et obitus. 564 ſq.
Gebauer, Chriſt. Sam. obitus. 169 ſq.

Generationis negotium explicatur. 611
Genuum hydrops vid. Articulus.
Gerini, Io. Ornithologia vid. de Laurentiis.
Ginoria, planta, eius character. 239
Glandularum obſtructionis caſus rarior. 530. ea demortui ſectio. ib. corticalium in plantis deſcriptio et vtilitas. 105 ſq.
Gleditſch, Io. Gottl. Syſtema plantarum a ſtaminum ſitu cet. 353
Gmelin, Sam. Gottlieb Soc. Scient. Harlemenſis ſocius. 167
Godar ab Acad. Reg. Scient. Diuionenſi praemium reportauit. 166
de Gorter, Dav. Flora Ingrica ex ſchedis Steph. Kraſcheninnikow. 349
Gottingenſis Societatis Reg. Scient. theſ. et praem. ad ann. 1765 et 66. 364, 562
Gouania, planta, eius character. 244
Gronouii, Io. Fred. Flora Virginica. 142
Guineenſium modus morbos chronicos curandi. 284 ſq.
Guinterus, Io. (Andern.) elogio in eius memoriam conſtitutum praemium. 722
Guſtus quid, eius organi fabrica. 300 ſq. eius differentiae ratio. 612

H.

Haemorrhagia, eam inuolutione aegrae in linteum madefactum ſiſtendi modus. 646. inſolita, quam ſubita mors ſecuta. 661 ſq.
de Haen, Anton. Rationis medendi in noſocomio practico Pars V et VI. 127
Haffner, Geo. Diſſ. de hydrope articulorum. 107
Hallandiae auſtralis hiſtoria naturalis, ex illa obſeruationes. 71, 74. incolarum varia remedia domeſtica. 74 ſq.
de Haller, Alb. Soc. Scient. Harlemenſis ſocius. 167 elementa phyſiologiae corporis humani Tom. V. 292. Tom. VI. 666
Halonis d. 20 Maii 1737 viſae deſcriptio. 698
du Hamel du Monceau, Hiſtoire d' inſecte, qui devore les grains de l' Angoumois etc. 14
Hapolanthus, nouum plantae genus. 230
Hartmann, Io. Prof. med. Aboenſis. 368
Haſenöhrl, Io. Geo. Hiſtoria medica trium morborum cet. 211
Heiſteria Iacqu. nouum plantae genus. 237
Helices, circa earum generationem obſeruata. 76
Hellebori nigri foetidi anatome. 503
Heluetiae ſtirpium hiſtoria emendata et aucta. 328 ſqq. depopulationis ibique morborum cauſſae. 544
Hepar, eius diuiſio, vaſa et fabrica. 687 ſqq. vtilitas. 696. ductuum bilariorum fabrica.

fabrica. 688 ſq. an ſanguinis circuitum moderetur. 697
Heriſſant, Lud. Ant. Proſp. praemium elogio Io. Guinteri deſtinatum obtinuit. 722
Herniae ſingularis obſeruatio. 537. herniarum, incarceratarum curatio. 110 in recens natis infantibus cauſſae. 269
Hill, Iohn, Vegetable ſyſtem etc. including a new Anatomy of plants. 500. Flora Britannica. 597
Hiraea, nouum plantae genus. 238
Hiſtoire de l'Academie Royale de Sciences Année MDCCLVII. 3. Année MDCCLVIII. 579. Hiſtoire naturelle generale et particuliere avec la Deſcription du Cabinet du Roi. Tome X. 387
Holmiae ſeptem Aſſeſſoribus Collegii Medici annuum ſalarium decretum. 171
Homalium, nouum plantae genus. 240
Hudſon, Gulielm. Flora Anglica. 599
Humeri luxati repoſitionis impedimenta, per ſectionem declarata. 463. luxatio, circa eam generalia monita. ib. ſq. luxati repoſitionis noua methodus. 465
Hybanthus, nouum plantae genus. 235
Hydrae variae claſſes et ſpecies. 704 ſqq.
Hydrocephalus puellae Beglenſis. 203
Hydrophobiae ſpontaneae caſus. 652
Hydrops, circa eius curationem monita. 29 ſeq. eius curatio pro ratione ſeri inſtituenda. 277 ſqq. articulorum vid. Articulus. aſcites vid. Aſcites. eo aſcite et pectoris demortui viri cadauer ſanguine vacuum inuentum. 136 ſq. cyſticus, de eius curatione monita. 129. pectoris, de eo obſeruationes. 136 ſq. circa eius cognitionem et curationem monita. 130 ſq. hydropici aegri caſus. 459
Hydroſarcocele frictione mercuriali curata. 659
Hyemis ann. 1759, 60, et 61. effectus in plantas. 59
Hypericum, ruber color ex illo paratur. 527

I.

Iacquin, Nic. Ioſeph. Selectarum ſtirpium Americanarum hiſtoria. 226
Iacquinia, planta, eius character. 233
Icteri cauſſae. 694
Ignis differentia, et in quonam conſiſtat eius materia? 490 ſqq.
Ilei morbi curatio. 548
Incendiorum ſponte ortorum exempla. 8
Incrementum corporis pueri quinquennis celerrimum obſeruatum. 581 ſq.
Incus vid. Oſſicula auditus.
Infantis monſtroſi deſcriptio. 613, 650

Inflammatoriorum morborum character. 42 ſq. ordo et claſſes. 48 inflammatorii pectoris morbi, horum curatio. 545
Infuſa pharmaceutica quid. 676
Ingrica flora. 349
Inoculatio variolarum, circa hanc obſeruata. 277. quaenam aetas ei maxime conueniat. 272, 280 ſqq. caſus, vbi variolae ſpontaneae ſecutae ſunt. 666 eius vtilitas. 52. fata eius in Suecia. 96 ſq. ſuper hac in Suecia editorum ſcriptorum recenſio. 98. eius in vrbe Siena ratio, hiſtoria et ſucceſſus 146 ſq. de hac obſeruationes. 149 ſq. ibidem his inſtitutae effectus. 151 ſq. ſuper illa iudicium ordinis medicorum Pariſienſis. 171, 727. ſq. eius prophylaxi dubiae praemium Pariſiis conſtitutum. 366. eius fata in Gallia. 597, 726 ſqq. ad eius hiſtoriam in Gallia quaedam ſpectantia. 647
Inſecti, frumenti grana corrumpentis, generatio. 15 ſq. ortus et progreſſus. 17 contra illud remedia 18 ſq.
Inſulae Ferdinando Noronho deſcriptio. 60. inſularum e mari nouarum ortus eiusque cauſſa. 424 ſq.
Inſtrumenta chemica, horum differentia. 84
Inteſtinorum tunicae exterioris euaginatio ſingularis obſeruata. 138 ſq.
Iridis oculi ſectionem periculo carere oſtenditur. 657
Iridum ſingularium obſeruationes. 6, 580
Irritabilitas, quatenus a medicamentis excitetur. 621
Iugularis venae ſectionis vtilitas in aqua ſuffocatis. 285
Iuſſieu, Anton. elogium et vita. 582 ſqq.
a Iuſti, Io. Henr. Gottl. ab Acad. Scient. Theodoro-Palatina praemium reportauit. 721

K.

Kabaſſou ſeu Tatu cingulis duodecim. 406
Kalm ab Acad. Reg. Scient. Suecica praemium reportauit. 524
Kirſten, Io. Iac. obitus. 369
Kleinia, nouum plantae genus. 242
Klingenſtierna ab Ac. Reg. Scient. Suecica praemium reportauit. 63
Knochenwebell, Chr. Ludw. *Phyſiſch-mediciniſche Betrachtung des ohnweit Bilin in Böhmen befindlichen Geſundbrunnens.* 247
Kongl. Vetenſkaps Academiens Handlingar för Aor 1761. Vol. XXII. 58. för Aor 1762. Vol. XXIII. 517
Kraſcheninnikow, Steph. Flora Ingrica. 349 ſqq.

L.

Lac, eius in mammis ſecreti ratio. 344. ſecretionis auctae cauſſae. 345. imminu-

minuendi vel ſupprimendi ratio. 346. vt cauſſa morborum. 347
Lacerti quaedam ſpecies. 401 ſq.
Lamey, Acad. Scient. Theodoro-Palatinae Secretarius perpetuus. 164
Lange, Io. Henr. Dubia cicutae vexata. 125
Lange, Io. Ioach. obitus. 566
Lapis molaris Pariſiorum, eiusque a noſtro differentia. 589. lapides, quatenus aedificiis exſtruendis commodi. 69
Lateres, dum carbones ex ligno fiunt, ſimul praeparandi modus. 80
Lava, lapis ad ſternendas vias aptus. 11
Laubmeyer, Io. Chriſt. obitus. 724
Laugieria, nouum plantae genus. 234
de Laurentiis, Laur. Ornithologia proxime edenda indicatur. 568
Lautter, Franc. Ioſeph. Hiſtoria medica biennalis morborum ruralium, qui a verno tempore a. 1759 vſque ad finem hyemis a. 1761 Laxenburgi et vicinia dominati ſunt. 20
Leche, Io. obitus. 169
Ledermülleri nouum opus microſcopicum indicatur. 174
Lienis fabrica et vtilitas. 685 ſq.
Lingua, praecipuum guſtus organon. 300. monſtroſa, eius deſcriptio. 646
Lino conſiti agri cur abietum ramuſculis denſe tegendi ſint, vtilitas. 536
Lipſienſis Societatis Oeconomicae conſtitutio et ratio. 159. indicis (*Intelligenzblat*) inſtituti ratio. 160
Lithonthriptica, de iis obſeruationes. 132 ſq. vſitatiora, eorundem vſus et effectus. 56
Lithotomia ad methodum fratris Coſmi ſuſcepta, de ea obſeruationes. 139
Locher, Maximil. Obſeruationes practicae circa luem veneream, epilepſiam et maniam etc. 31
Louis, Acad. Reg. Chirurg. Pariſienſ. Secretarius perpetuus. 166 ſq.
de Loupes, tumoris genus, vocabuli varia ſignificatio. 561 ſq.
Lucis theoria. 314. materia quid ſit. 491. ſq. eius proprietates. 493 ſq.
de Ludolf, Hieron. obitus. 369
Lugdunenſis Acad. Scient. elegant. literar. et artium theſ. et praem. ad ann. 1767. 166, 720
Lunam cornuam parandi modus. 90 ſq.
Lundius ab Ac. Reg. Scient. Suecica praemium reportauit. 524
Lupini vſus in fugandis talpis. 62, 82
Luxatio humeri vid. Humerus.
Lycoperdon molis eximiae deſcriptum. 542
Lymphae vtilitas in efformatione oſſium. 604

M.

Malignitas morbi in quo conſiſtat. 51
Malleus v. Oſſicula auditus.
Mammarum tumores et ſcirrhi, de iis monita practica. 559
Manducationis vtilitas. 667
Manetti, Xaver. Dictionarium generale agriculturae indicatur. 171 ſqq.
Manhemii Scient. Academia conſtituta. 160. huius leges. 161 ſq. vid. Theodoro-Palatina Academia.
Mania, circa eius curationem experimenta. 33 ſq. 538
de Mare, Franc. Xaver. *Chemiſcher Verſuch des Nieder-Oeſterreichiſchen Baadner Baades.* 440
Margaritae, quibusnam in conchis optimae reperiantur. 522. earum in conchis ſedes et figura. ib.
Marmoſa, animal. 412
Marſupiale americanum, animal. 409 ſqq.
Maxillae ſpaſmo clauſae curatio. 452, 466
Medical Obſeruations and Inquiries; by a Society of Phyſicians in London. Vol. II. 444
Medicamentorum viciſſitudines. 287 ſq. qualitates actiuae. 621 ſq. pharmaceuticae 622 ſq. praeparatio et vires. 623 ſq. ſolidorum definitio. 629. horum actio determinata. ib.
Medullae plantarum ſtructura. 506 ſq.
Melancholia errabunda, rara eius ſpecies. 56
Melanges de Philoſophie et de Mathematique de la Societé Royale de Turin pour les années 1760, 61. 328
Melilotus fl. albo ad fila linea praeparanda idonea. 81
Mellis roſcidi ortus et hiſtoria. 525
Mellonella, eruca apibus infeſta. 518
Memoires de Mathematique et de Phyſique. Tome IV. 195
Memoria quid? 321
Menſtrua chemica, horum diuerſitas. 86. pharmaceutica. 623 ſq.
Menſtrua, horum in feminis mechanismus, eorumque ſuppreſſionis ratio. 344 puellae in ſecundo aetatis anno obſeruata. 657. in femina ad annum 75 vſque obſeruata 655
Mercurialis frictionis vſus in hydroſarcocele. 659
Mercurius, eum in malis venereis adhibendi peculiaris methodus. 613. ſublimatus corroſiuus, eius praeparatio veteribus cognita. 632. quaenam ſit optima. ib. cum arſenico adulterati fraudem detegendi modus. 633. vſus interni hiſtoria. ib. vſus in morbis venereis. 449 ſq. in vlceribus phagedaenicis. 455 464. in opacitate oculi. 455 ſq. in grauidis lue venerea laborantibus. 457

Meſen-

Meſenterii fabrica et vtilitas. 684 ſq.
Metalla fundendi modus, ne cauernoſa fiant. 209. horum generatio. 423
Meteori in noua Anglia viſi recenſio 699. d. 1 Sept. 1761 Oxonii viſi deſcriptio. 708
Meteorologicae obſeruationes. 74, 196, 532 ſq. 541
Methodus plantarum vid. Plantae.
Meyer, Ioh. Friedr. *chymiſche Verſuche zur nähern Erkenntniſs des ungelöſchten Kalchs, der elaſtiſchen und electriſchen Materie, des allerreinſten Feuerweſens und der urſprünglichen allgemeinen Säure* 468 ſqq.
Miliaris febris, ſuper hac obſeruationes. 127 ſq.
Model, Io Geo. *Chymiſche Nebenſtunden.* 218
Molinelli, Petr. Paul. obitus. 170
Monoculus, de hoc obſeruatio. 613
Monſtri deſcriptio. 197, 645 infantilis deſcriptio. 613 650. ouilli ſine ore et faucibus nati deſcriptio. 641 vitulini deſcriptio. 643
de la Montagne, Acad. Reg. Scient. Burdigalenſis Secretarius. 166
Montelatici, Vbaldi Dictionarium generale agriculturae indicatur. 171 ſqq.
Morand, a munere perpetui Secretarii Acad. Reg. Chirurg. Pariſ. ſe abdicauit. 166
Morbi in inſula Curacao paſſim graſſantes, circa hos obſeruata. 275
Morbillorum inoculatio. 547
Morgagni, Io. Bapt. Opuſcula miſcellanea. 436. operum omnium noua editio. 440
Moſcouiae theatrum anatomicum ann. 1764 conditum. 724 ſq.
Müller, Gerh. Frid. Conſiliarius Collegiorum et Director Primarius domus infantibus educandis inſtituendisque Moſcouiae exſtructae. 563
Muraenae, piſcis deſcriptio. 290. vis electrica percutiens. 291
Murina-didelphis cauda ſemipiloſa, mammis ſenis Linn. 412
Murray, Io. Andr. de fatis variolarum inſitionis in Suecia. 94
Mus moſchiferus canadenſis. 387 ſqq. ſylueſtris americanus Scalopes dictus Sebae. 412. africanus Kagopollin dictus Sebae. 413
Muſci, circa horum exſtirpationem tentamina. 60
Muſculorum cauſſae motrices. 214. actionis phaenomena. 214 ſq. cauſſae. 215 ſq. actio quomodo fiat. 605 ſq. oſſeſcentium caſus et curatio. 712
Muſices effectus et vtilitas. 310
Muzelius, Herm. Lud. Conſiliarius intimus Regis Boruſſ. 724

Myginda, planta, eius character. 231
Myopiae cauſſa et medela. 318
Myrmecophagae quaedam ſpecies. 398 ſqq. 401
Myroſpermum, nouum plantae genus. 237

N.

Naſturtii indici fulgura, eorumque cauſſae. 539
Natorum et mortuorum tabularum imperfectio demonſtratur. 701 ſq.
Nautarum belgicorum, Indiam occidentalem nauigantium, morbi. 265. ſq. horum cauſſae. 266 ſqq. curatio. 268
Niuis figurae, quomodo oriuntur, circa has experimenta. 63 ſq. harum cauſſae. 63
Noctambuli. 327
Noſologia methodica. 37 ſqq.
Nucis olei effectus contra taeniam. 646
Nutritionem foetus in vtero per vaſa vmbilicalia ſolum fieri, probatur. 641

O.

Obſervations ſur l' ecorce des feuilles et petales. 103
Obſeruationes anatomico-practicae curioſiores. 137 ſqq. 451. 614 ſqq. chymicae. 4. phyſicae. 3.
Obſeſſionis ſpuriae curatio. 648
Ochotzkienſis ſalis diſquiſitio. 221
Ochtienſis aquae mineralis diſquiſitio. 219
Oculi eiusque partium deſcriptio. 310 ſq.
Odor, in quo conſiſtat. 303
Oeconomiae ruſticae praecepta. 117
Oleum, animale Dippelii praeparandi facilis methodus. 218 ouorum ſine igne parandi methodus. 653 ſq. oleorum in odora et inodora diſtinctio. 87
Olfactus organi fabrica. 302 ſqq. exquiſitioris exempla. 612
Olonizenſis fontis examen. 219
Omentum vid. Epiploon.
Ondatra ſ. mus moſchiferus canadenſis. 387 ſqq.
Ononidis vſus in calculo veſicae. 141
Opii in febribus acutis et varioliis vſus noxius. 24 ſq. ſalutaris. ib. ſq.
Opoſſum, animal. 409 ſqq.
Oſſa, eorum ex lympha geneſis. 604 ſq. ea efformantes partes quatuor. 595. eorum emollitionis cauſſa. 595 ſq. circa hanc experimentum. 595. eorum denudatio, cauſſa exfoliationis. 593. oſſium capitis exfoliatio, circa hanc experimenta. 594. oſſium in foetu male conformato mollities peculiaris. 207
Oſſiculorum auditus exitus. 648, 714
Oſſificationis definitio et ratio. 591 ſq. praeternaturalis obſeruationes. 581
Oua, circa horum olei praeparationem experimenta chemica. 653 ſq. oui humani foecundati, ſed deformis, trimeſtri abortu eliſi, anatome. 638
Ouarii, inſignis degeneratio. 276 muliebris hydrops, eius cauſſae. 282. progreſſus et ſymptomata. 283. curatio. ib. ſq.
Oxymellis angelicae virtus. 631

P.

Paca, animal. 408
de Palerne, Societ. Reg. agriculturae Pariſienſis Secretarius perpetuus. 165
Pancreatis eiusque ſucci vtilitas. 687
Pangolin, animal. 401
Paracenteſis in quonam abdominis loco inſtituenda. 459
Paralyſis, eius cauſſae. 29. curatio. 435. veſicae curatio. 664. colicae pictonum ſymptoma. 660
Pariſienſis medicorum Ordinis iudicium ſuper inoculatione variolarum. 171, 727 ſq. Acad. Reg. Chirurg. theſ. et praem. ad ann. 1766 et 1767. 167, 365, 561. Soc. Reg. Agriculturae theſ. et praem. ad ann. 1765 et 1766 164
Paſcuorum vliginoſorum correctio, quomodo inſtituenda. 116 ſq.
Paſtae alexipharmacae de Rotrou praeparatio. 653
Pecari ſ. aper mexicanus. 390
Pecori paſcendo plantae idoneae. 519 ſq. pecorum ſanitatem ſpectantia praecepta. 116 ſq.
Pelerin, A. Societ. Scient. Harlemenſ. ſocius. 167
Perinaei a calculo diſrupti caſus. 713
Peritonaei fabrica. 684. vtilitas. 685

Perſpi-

Perſpiratio inſenſibilis, eius a ſudore differentia. 297. eius auctae et imminutae cauſſae. 298
Peruuiani corticis vſus in variolis. 25. in affectibus ſcrophuloſis. 457. in febribus remittentibus et ſimul intermittentibus epidemicis. 22. in febribus aliisque morbis. 113 ſq. in ſternutatione vehementi. 540 ſq. in gangraena aliisque morbis. 662. in ſuppuratione veſicae. 663. largior vſus in morbis malignis. 129 in hydrope aſcite. 130. vſus externus. 457. eius cum laxantibus combinati vſus in febribus intermittentibus. 555
Petechialis febris, de hac obſeruationes. 127 ſq.
Petit-Gris ſciuri ſpecies. 395 ſq.
Petitia, nouum plantae genus. 230
Petraea, planta, eius character emendatus. 241
Petropolitanae Imperial. Acad. Scient. theſ. et praem. ad ann. 1766 dilatum. 560
Pezizae arenae volatilis deſcriptio et vſus. 539
Phaenomenon inuſitatum Doretſhirae obſeruatum. 710 ſq.
Pharmaceuticae officinae, quomodo inſtituendae. 619
Pharmacopoei requiſita. 620. labores, in quo conſiſtant. ib. ſq.
Phatagin, animal. 401 ſq.
Philander Briſſon. animal. 409 ſqq. africanus Briſſonii, animal. 413
Philoſophical Transactions Vol. LII. Part. I. for the Year 1761. 698
Phlegmaſiae Galeni, harum character. 42. ſq. claſſis et ordines. 48
Pholidotus longicaudatus Briſſon. 401 ſq.
Pilorum ſedes et deſcriptio. 295
Pipae ſ. bufonis americani propagatio. 270 ſq.
Piſces, in lacubus mediterraneis plantandi modus. 68. circa earum lucem in tenebris experimenta. 70 ſq.
Piſum in cauitate narium progerminans obſeruatum. 652
Plantarum quarundam monſtroſi habitus et variationum cauſſa. 117 ſq. in alpibus Noruegicis pecori paſcendo aptarum recenſio. 519 ſq. eas conſtituentes partes. 502. methodus noua a ſtaminum ſitu diſpoſita. 353 ſqq. ex earum partibus conſtituentibus deſumta. 513. medullae ſtructura. 506 ſq. vita, in qua conſiſtat. 507 ſqq.
Platina, nouum metallum, circa illud experimenta. 586 ſq. eius definitio. 636. proprietates et vtilitates. ib. ſq.
Pleuritis, circa huius curationem monita. 557
Plica polonica obſeruata, eiusque cauſſa. 648
Podagrae nodoſae curatio. 596
Poerner, Car. Guil. Delineatio pharmaciae chemico-therapeuticae. 618
Polatouche ſ. ſciurus volans. 394
Polypodium folio vario deſcriptum. 514
Polyporum variae ſpecies. 704 ſqq.
Polyſarciae cauſſae et curatio. 286
Poronia, nouum fungi genus. 361
Potus varia genera. 676 ſqq. nimii noxa. 678
Pouteau Eſſai ſur la rage. 428
Presbyopiae cauſſae et medela. 319
de Preſle, le Begue, Memoire pour ſervir a l' hiſtoire de l' uſage interne du mercure ſublimé corroſif. 632
Prognoſis quid? 40
Pteropi ſ. veſpertilionum ſpecies quaedam. 391 ſqq.
Pubertas in puero quinquenni obſeruata. 581
Pubis oſſium diductio ſingularis. 461 ſq. ſymphyſis anatomice conſiderata. 462
Pulſus naſalis, quid indicet? 647
Pupillae oculi diſruptio non periculoſa. 657
Purgantium indicantia et contraindicantia. 551
Puris ſpontanea generatio confirmata. 136. differentia. 449
Putredo, cauſſa proxima morborum nautarum. 267
Putrefactio humorum animalium, circa eandem experimenta. 334
Pyrii pulueris materies elaſtica, ſuper illa obſeruationes. 335
Pyrmontanae aquae calidae vſus in dolore renum. 453

Pyrotechnia Sinenſium. 196
Pyxidaria, nouum plantae genus. 360

Q.

Quarin, Ioſeph. tentamina de cicuta. 119

R.

Rabiei theoria. 428. curatio. 430 546. caſus ſingularis. 429.
Rachitidis idea. 414. origo. 415 eſſentia et cauſſae. 416 ſq. curatio. 418
Ranarum animalcula per microſcopium obſeruata. 75
Raphani eiusque partium anatome. 507 ſq. euolutio et vitae ratio. ib. ſqq.
Raſpe, Rud. Eric. ſpecimen hiſtoriae naturalis globi terraquei, praecipue de nouis e mari natis inſulis etc. 420
Reductionis metallicae ratio et ſubiecta. 93
Rehfeld, Car. Frid. Prof. med. ord. in Ac. Gryphiswaldenſ. 169, 367
Reichel, Geo. Chriſt. Acad. Imper. Nat. Curioſ. ſocius. 368
Reſpirationis cauſſa. 609
Rete corticis foliorum in plantis microſcopio obſeruatum. 104 ſq.
Rheumatiſmi ſpecies et curatio. 546, 555
Ricini olei effectus medicus. 456
Roederer, Io. Geo. vita. 369 ſqq. ſcripta. 375
Roſen, ab Acad. Reg. Scient. Suecica praemium reportauit. 63
Roſeolarum variolas artificiales ſubſecutarum hiſtoria. 151
Roſſi, Petr. de nonnullis plantis, quae pro venenatis habentur, obſeruationes et experimenta. 101
Rothomagienſis Scient. Acad. theſ. ad ann. 1766. 364 ſq.
Rougette, veſpertilionis ſpecies. 391 ſqq.
Rouſſette, veſpertilionis ſpecies. 391 ſqq.
Rubigo, plantarum morbus. 201
Rubro colore telas goſſypinas pingendi ratio. 195
Rubum arcticum plantandi ratio. 533
Ruminationis ratio et cauſſae. 680
Ruſſelia, nouum plantae genus. 240, 359
Ruyſchia, nou. plant. gen. 234

S.

Sal, eum ex aquis ſalinarum euaporatione parandi modus. 580 per ablutionem arenae aqua marina imbutae parandi modus. 586. antimonii ſali ſedatiuo ſimilis. 5. ſalis communis ceu condimenti vtilitas. 675. amari Saydſchutzenſis praeſtantia et ſpecies. 157. eum optimum parandi modus. 158. ſalium in thermis Badenſibus reperiundorum ſpecies. 441. ſalis cuiusdam Ochotzkienſis diſquiſitio. 221. perſici, vtpote veri alcali mineralis deſcriptio. 222 ſq. experimenta cum eo inſtituta. 223 eius partes conſtitutiuae. 224 eius in boracem mutatio. 225
de Salagnac. Cabanis, a Burdigalenſi Scient. Acad. praemium reportauit. 364.
Saliuae fontes, natura et analyſis chemica. 668. eius motus cauſſae. ib. ſq. vtilitas. 669
Sanguis, quid, eiusque ruboris ratio. 608. eius circuitus cauſſae. ib. eius in baſin cranii effuſio poſt praegreſſum aneuryſma curatum. 137 ſq. eius in cadaueribus defectus ſingularis obſeruatus. 138
Saporum differentiae. 301
Sarcoma vteri trium librarum. 651
Sarigue, animal. 409 ſqq.
Saſſaparillae vſus in vlcere phagedaenico. 464
Satio, ope machinae cuiusdam peracta, quomodo ceſſerit. 59
de Sauſſure, H. B. Obſervations ſur l' ecorçe des feuilles et petales. 103
de Sauvages, Franc. Boiſſier. Noſologia methodica. 37
Scabiei implantatio, eiusque vſus. 275. retropulſae effectus periculoſi. 655
Schacht, Io. Ooſterdyk, Societ. Scient. Harlemens. Socius. 67
Schaeffer, Iac. Chriſt. Fungorum, qui in Bauaria et Palatinatu circa Ratisbonam naſcuntur, icones natiuis coloribus expreſſae. 99
Schaefferia, nou. plant. gen. 243
Schefferus, Henr. Theoph. ab Ac. Reg. Scient. Suec. praem. reportauit. 63. eius memoria. 569

Schreber, Io. Chriſt. Dan. Societ. oeconomicae Lipſienſis Secretarius perpetuus. 159
Schroeder, Frid. Ioſ. Guil. Prof. med. ord. Marburgenſis. 368
Schroeder, Phil. Georg. Prof. Med. et Anat. Ord. Gotting. titulo Archiatri Regii ornatus. 564
Schwenke, Thom. ab officio Prof. Anat. et Chir. Hagae Comitum ſe abdicauit. 368
Sciurus volans, eius deſcriptio. 394 ſq. virginianus cinereus maior Rai. 395 ſq. palmarum. 396. getulus ib. ſq. carolinenſis. 396 ſq.
Scorbutus veteribus iam cognitus. 444. eius cauſſae. ib. ſq. caſus ſingularis. 289 ſq. per ſcabiem humidam ſanati caſus. 274. ſcorbutici affectus vehementioris caſus. 456
Scorpionis morſus curatio. 656
Scroti a gangraena plane deſtructi regeneratio. 665
Secale cornutum, cauſſa morborum epidemicorum. 554
Segetum vitia. 201
Semi-vulpa Geſneri, animal. 409
Seminum magnitudo aequalis in plantis inaequaliter magnis. 10
Senſatio quid, et quomodo fiat. 320 ſq.
Senſibilitas partium animalium. 209. nonnullarum C. H. partium, inprimis tendinum, per obſeruationes chirurgicas negata. 115 ſq.
Senſus externi. 293. interni. 320
Sertulariae vegetatio obſeruata. 710
Serum, eius in hydropis variis ſpeciebus diſcrimen. 277 ſqq. ſanguinis putreſcens ſedimentum purulentum deponit. 334
Sinenſium artificia pyrotechnica. 196
Sitis ſedes et cauſſa. 671 ſq.
Skabbjorden, terra, quae ſcabiei medetur. 531
Sol, circa radios eius et per reflexionem et per refractionem collectos experimenta. 12
Solanum, circa eius effectus experimenta. 102
Solutionis chemicae differentia et ratio. 85
Somni phaenomena et cauſſae. 325 effectus. 326
Somniorum ortus et theoria. 327
Somnolentiae phaenomena. 324 ſq.
Soni theoria. 306
Spaſmus quid. 43. huius claſſis et ordines. 48
Spartii ſcoparii vires medicae. 524
Spielmann, Iac. Reinbold. Inſtitutiones chemiae. 82
Spilanthes, nou. plant. gen. 242
Spiritus animales, horum exiſtentia. 606. vini quid, eiusque effectus. 678. vitrioli dulcis praeparatio. 626
Spongiae poſt amputationem applicandae vſus. 458
Staminum ſitus ad nouum ſyſtema plantarum artificiale adaptatus. 353 ſqq.
Steatoma pylori obſeruatum. 617
Stendarti, Car. obitus. 169
Stenius, Iac. ab Acad. Reg. Scient. Suecica praemium obtinuit. 524
Sterilitas, ſatorum morbus. 202
Sternutationis vehementioris caſus. 540
Stridsberg, Magnus, machinae trituratoriae frumenti inuentor. 70
Strumpfia, planta, eius character. 242 ſq.
Suberes lagenis obturandis vtiles, praeparandi modus. 534
Sublimationis ratio et ſubiecta. 90
Submerſis auxilia ferendi modus. 550. eorum mortis cauſſa. 556
Succini ſalis ſoluti tanquam menſtrui virtus. 624 ſq.
Sudoris phyſiologia. 297
Suecicae Reg. Societ. Scient. theſ. et praem. ad ann. 1763 et 1764. 63, 524
Suffocati in aqua, ſectione venae iugularis reſtituti, hiſtoria. 285
Sulphur, eius in ſpiritu vini ſolutio. 585. antimonii auratum Meuderi parandi modus, eiusque vſus. 92 ſq. antimonii mercuriale parandi modus. 629 eius virtus. 630
Superfoetationis caſus aliquot. 60
Swietenia, nou. plant. gen. 237 ſq.
Symphoricarpi Dill. vſus in febribus intermittentibus. 145
Symplocos, nou. plant. gen. 239

T.

Tabaci fumi clyſmatum vſus in cura vermium. 460

Tack, Io. Societ. Scient. Harlem. ſocius. 167
Tactus, eius differentia et organi fabrica. 293 ſqq. vbi et quomodo perficiatur. 611. exquiſitior, eius mira exempla. ib. ſq.
Taenia, contra eam remedium. 646
Taiacou Braſilienſium, apri ſpecies. 390
Talpas fugandi remedia quaedam. 62. earum ſanguinis vſus in verucis. 646
Tamandua guacu, animal. 398 minor. 399
Tamariſci ſalis lixiuioſi proprietates. 12 ſq. eius cinerum vtilitas. 13
Tartarum vitriolatum ſulphureo regulinum parandi modus, eiusque virtus. 630
Tatu, animalis genus. 402. eius ſpecies. 403 ſqq.
Tatuete Braſilienſium, animal. 405, 406
Tatupeba Braſilienſium. 404
Taurinenſis horti ſtirpium methodica ſynopſis. 332. Taurinenſium miſcellaneorum Tom. II. 328
Telluris ſuperficiei natura. 421 ſqq. eius mutationum cauſſa. 424 ſq.
Tendinum inſenſibilitas obſeruationibus chirurgicis demonſtrata 115 ſq.
Terra, quae ſcabiei medetur, circa hanc experimenta chemica. 531 ſq. terram foliatam tartari candidam parandi modus. 205 ſq.
Teſticulorum fiſtula. 458
Tetanus quid et quotuplex? 259 eius ab aliis morbis differentia. 260. caſus ſingularis. 261. ſymptomata. 262. cauſſae. ib. ſq. curatio. 263 ſq.
Themelii, Io. Chriſt. commentatio, qua oſtenditur, nutritionem foetus in vtero per vaſa vmbilicalia ſolum fieri, occaſione monſtri ouilli ſine ore et faucibus nati. 641
Theodoro-Palatinae Scient. Academiae conſtitutio. 160. leges. 161 ſq. theſes et praem. ad ann. 1765 et 1766. 163 ſq. 721
Thermae Badenſes in Auſtria. 440 ſq. St. Petri ſ. Bragunenſes deſcriptae. 219
Thermometri noui metallici deſcriptio. 713
Thymelaea, ex huius cinere paratur tartarus vitriolatus. 13
Tigurinae Societatis naturae indagatorum ratio et conſtitutio. 111
Tigurum, vrbis ſitus, magnitudo et ſalubritas phyſice conſiderata. 111 ſq.
Tillet, Hiſtoire d'un inſecte, qui devore les grains de l'Angoumois cet. 14
Tinctura antimonii nigra vera ſ. mineralis amara. 221
Tiſſot a Collegio Sanitatis Bernenſi praemium accepit. 553 de variolis apoplexia et hydrope. 23. Avis au Peuple ſur ſa ſanté. 543. huius libri editiones et verſiones variae indicantur. 552 ſq.
Torfacea terra in agris Rüti dictis effoſſa, de illa obſeruationes. 114
Toxicodendri effectus venenati. 102
Trigonis, nou. plant. gen. 236
Troſchel, Heinr. Gottl. Nepom. *Nachricht von dem wahrhaften Böhmiſchen Bitterwaſſer, Saydſchützer Urſprungs.* 155 *Erforderliche Nachrichten von dem Biliner Sauerbrunnen.* 250
Tuba Fallopiana, in ea tumores obſeruati. 135 ſq.
Tuba turbinea terreſtris, meteoron. 708 ſq.
Tuber, fungus, eius deſcriptio. 513
Tumoris magni, parti laterali externae labii dextri genitalium adhaerentis, exſtirpatio. 644 capitis, ictu funis craſſi orti, curatio. 644
Turbinum effectus inſignes. 579

V.

Valcarenghi, Paul. Prof. Med. Mediolanenſ. 168
Vampire, veſpertilionis ſpecies. 391
Vandermonde, Iournal de Medecine, Chirurgie Pharmacie etc. Tom. XV et XVI. 642 ſqq.
Variolarum curatio, circa hanc monita. 53, 547. quibus remediis inſtituenda. 25 ſq. diaeta in iis obſeruanda. 26. in vrbe et agro Senenſi

Senenſi a. 1758 epidemice graſſantium hiſtoria. 149. poſt inſitionem bis ſubſecutarum hiſtoria. 150 ſq. in Suecia graſſantium malignitas. 95. inſitio vid. Inoculatio. naturalium hiſtoria cum animaduerſionibus. 154. variolis Londini quotannis correptorum et demortuorum aetatis determinatio. 281 ſq. artificialibus defuncti hiſtoria et ſectio. 152 ſq.
Vegetabilia vid. Plantae.
Velſe, Corn. Henr. Prof. Anat. et Chir. Hagae Comitum. 564. a quo munere ſe iterum abdicauit. 723
Venae portarum praerogatiua prae aliis venis. 688. eius ſanguinis natura. ib. cauſſa ſecretionis bilis. 695. iugularis ſectio, huius vtilitas in aqua ſuffocatis. 285
Venaeſectionis vſus. 550 ſq. vſus et abuſus in variis morbis. 557 ſq. in morbis inflammatoriis. 212. venaeſectiones trecentae intra 26 menſium ſpatium in aegra inſtitutae. 642
Venereae luis curatio, circa eam obſeruationes. 32
Venti, circa illos Sueciae obſeruationes et tabulae. 532 ſq.
Ventriculi fabrica. 669 ſq. inflammatio eiusque cauſſa. 212. motus periſtalticus et antiperiſtalticus. 679
Verbenae vſus in cephalaea idiopathica. 141
Verhandelingen uitgegeeven door de Hollandſe Maatſchappye der Weetenſchappen te Haarlem. Zesde Deel. 265
Verrucas exſtirpandi modus. 646
Vertigo habitualis vſu coffeae curata. 643
Veſaniarum ſ. veſanorum morborum character. 45. claſſis et ordines. 49
Veſicae vrinariae punctio in retentione vrinae. 656
Veſicatoriorum effectus in anaſarca. 448. vſus in variolis. 555 in pleuritide. 558. in regione oſſis ſacri applicatorum vſus. 461, 467
Veſiculae felleae ſitus et fabrica. 690
Veſpertilionum quaedam ſpecies. 391 ſq.
Veſuuii incendia, de his obſeruationes. 198, 700
Victus animalis noxa. 675. eius cum vegetabili miſcela optima. ib.
Vindobonenſis facultatis medicae membra. 362
Vinum, eius ceu potus virtus et vtilitas. 677
Virginica flora. 142
Virginitatis notae incertae. 437
Viſus, eius organi deſcriptio. 310 ſqq. quomodo fiat. 316 ſqq. ſingulares circa eum obſeruationes. 612 ſq.
Vitrificationis productorum differentia. 94
Vitrum, an ſit imperuium fluido electrico. 80. vnde bullulae in eo oriantur. 207 ſq.
Vituli monſtroſi deſcriptio. 643
Vlicis vſus ad ripas fluminum muniendas. 698
Vnguium vſus et deſcriptio. 295
Voetius, Io. Euſeb. Inſectorum praecipue coleopterorum hiſtoria edenda indicatur. 567
Volvox globoſus, animal, eius ſeſe propagandi deſcriptio. 65
Voluulus, de eo eiusque curatione monita. 559
Vomitoria vid. Emetica.
Vomitus quid? eiusque cauſſae. 680. paracenteſeos operationem ſequuti effectus. 451
Vrachus humanus peruius obſeruatus. 639
Vredo, ſatorum morbus. 201
Vreterum ampliſſimorum obſeruatio. 132
Vrinae feruidae vſus in vulnere frontis carioſo. 660
Vrticae marinae variae ſpecies. 704 ſqq.
Vſtilago frumenti, contra eam remedia. 117
Vſtio cranii in pertinacioribus capitis vitiis noxia obſeruata. 140
Vteri duplicis obſeruatio. 79
Vuae vrſi vſus in calculo. 132 ſq.
Vulneris ſingularis deſcriptio et curatio. 76 ſq. thoracem penetrantis curatio. 644. vulnera thoracis, circa horum curationem monita. 56

Wagner,

W.

Wagner, Petr. Chriſt. obitus. 368 memoria. 729
Waſſendae natorum, mortuorum, matrimonio iunctorum numerus per 40 annos. 542
Wedelia, nouum plantae genus. 242
Wrisberg, Henr. Aug. Prof. med. extraord. Gottingenſis. 368

Z.

Zeiher, Io. Ern. Math. infer. Prof. Publ. ord. Wittebergenſ. 168
Zeviani, Giovanni Verardo, della cura de' Bambini attaccati dalla Rachitide trattato. 414
Zietenia, nouum plantae genus. 359
Zinn, Io. Godofr. memoria et ſcripta. 176 ſqq.
Zoophyta quid, eorumque vegetatio. 709 ſq.

Emendanda.

p. 16. l. 16. phalaenaram l. phalaenarum. p. 25. l. 26. arceat l. arceant. p. 29. l. 28. appidus l. vappidus. p. 32. l. 23. ſpatio l. ſpatium. p. 49. l. 31. ſapius l. ſaepius. p. 51. l. 2. laxata l. luxata. l. 4. Waitreian l. Maitreian. p. 61. l. 17. ſingulus l. ſingulum. l. 24. caſum l. caſuum. p. 63. l. 5. pecuriari l. peculiari. p. 70. l. 3. arenae l. arena. p. 71. l. 18. Hollandia l. Hallandia. p. 72. l. 24. terra l. terrae. l. vlt. cercopitheri l. cercopitheci. p. 73. l. 32. 6 ille l. 6 mille. p. 74. l. 20. Maior almo l. maior ſalmo. p. 78. l. 13. Fantior l. Fortior. p. 88. l. 20. tamdemque l. tandemque. p. 90. l. 34. tunque l. tuncque. p. 102. l. 5. itearum l. iterum. p. 107. l. 22. ſuſpicatur putat l. ſuſpicatur. p. 109. l. 25. integamenta l. integumenta. p. 116. l. 24. a nudii l. a nudis. p. 134. l. 22. balſomoque l. balſamoque. p. 142. l. vlt. eosdemque l. eademque. p. 154. l. 27. axilium l. auxilium. p. 158. l. 28. Ab amico, nuper, l. Ab amico, qui nuper. p. 168. l. 25. Academia l. Academiae. p. 179. l. vlt. inuida l. inuita p. 183. l. 8. Edward F. S. S. l. Edwards F. R. S. p. 224. l. 29. refrectarii l. refractarii. p. 229. l. 25. filamenta l. filamenta. p. 250. l. 5. Nachricten von dem Sauerbrunnen l. Nachrichten von dem Biliner Sauerbrunnen. l. 23. Bilienſes l. Bilinenſes. p. 251. l. 22. Blinenſes l. Bilinenſes. l. 34. ad ſinem l. ad finem. p. 264. l. 8. Opium vſum l. Opii vſum. p. 267. l. 33. obnexia l. obnoxia. p. 270. l. 3. peritanaeo l. peritonaeo. l. vlt. Pipos l. Pipas. p. 271. l. 1. duo, altrum ouula, altrum ſobolem l. duos, alterum ouula, alterum ſobolem. l. 7. duobus l. duabus. p. 274. l. 20. diffrangantu l. diffrangantur. p. 275. l. 16. graſſantium l. graſſantes. p. 277. l. 5. ſine l. fine. l. 9. ſequentis l. ſequentes. l. 33. fluida l. fluidum. p. 279. l. 14. profus l. prorſus. p. 281. l. 20. eoruui l. eorum. p. 283. l. 30. latere l. lateri. p. 284. l. 12. finitae l. finite. p. 291. l. vlt. piſceter l. piſce ter. p. 294. l. 20. viloſam l. villoſam. p. 296. l. 4. duritia l. duritie. p. 309. l. 25. ſupenſa l. ſuſpenſa. p. 316. l. 17. materiae l. materie; p. 325. l. 10. mouctur l. mouetur. p. 329. l. 26. aſtralagos l. aſtragalos. p. 335. l. 30. 6) l. 5. l. 32. materie elaſtica l. materiei elaſticae p. 338. l. 27. educcndae l. educendae. p. 364. l. 16. inſerendis l. inſerendi. p. 367. l. 26. oratione, add. de methodo artem medicam rite ediſcendi. p. 389. l. 25. Lappponia l. Lapponia. p. 390. l. 14. vetut l. velut. p. 393. l. 5. perdricibus l. perdicibus. p. 401. l. 8. a nimalibus l. animalibus. p. 403. l. 22. ciugulis l. cingulis. p. 420. l. vlt. colligendum l. colligendam. p. 477. l. 28. ſaporem l. ſaponem. p. 508. l. 7. qui l. quae. p. 562. l. vlt. Vol. X. l. Vol. XI. p. 602. l. 19. nonnulla. l. nonnullae. p. 632. l. 21. veteribus iam e. gr. l. veteribus, e. gr. p. 718. l. 26. inuentis l. inuenta.